MISSALE SARUM

MISSALE

AD USUM

INSIGNIS ET PRÆCLARÆ ECCLESIÆ

SARUM

EX EDITIONE

FRANCISCI HENRICI DICKINSON

MMXII

TABULA AD INVENIENDUM PASCHA IN PERPETUUM							
NUMERUS AUREUS.	LITTERÆ DOMINICALES						
	A	B	C	D	E	F	G
I.	ix	x	xi	xii	vi	vii	viii
II.	xxvi	xxvii	xxviii	xxix	xxx	xxxi	i
III.	xvi	xvii	xviii	xix	xx	xiiii	xv
IIII.	ix	iii	iiii	v	vi	vii	viii
V.	xxvi	xxvii	xxviii	xxix	xxiii	xxiiii	xxv
VI.	xvi	xvii	xi	xii	xiii	xiiii	xv
VII.	ii	iii	iiii	v	vi	xxxi	i
VIII.	xxiii	xxiiii	xxv	xix	xx	xxi	xxii
IX.	ix	x	xi	xii	xiii	xiiii	viii
X.	ii	iii	xxviii	xxix	xxx	xxxi	i
XI.	xvi	xvii	xviii	xix	xx	xxi	xxii
XII.	ix	x	xi	v	vi	vii	viii
XIII.	xxvi	xxvii	xxviii	xxix	xxx	xxxi	xxv
XIIII.	xvi	xvii	xviii	xix	xiii	xiiii	xv
XV.	ii	iii	iiii	v	vi	vii	viii
XVI.	xxvi	xxvii	xxviii	xxii	xxiii	xxiiii	xxv
XVII.	xvi	x	xi	xii	xiii	xiiii	xv
XVIII.	ii	iii	iiii	v	xxx	xxxi	i
XIX.	xxiii	xxiiii	[1]xxv	xix	xx	xxi	xxii

[1] Misprint for April 18. The numbers underlined—(because printed in Rubric in the Missal) are days in April, the others in March.

Nota quod in correspondente numero aureo et litera dominicali invenies quota die Martii vel Aprilis erit dies Paschæ, illo anno quo currant talis litera, et numerus.

¶ Item nota quod numerus de rubro in tabula suprascripta scriptus, signat mensem Aprilis, et de nigro mensem Martii.

¶ Item nota quod numerus aureus incipitur ab uno et durat asque ad xix inclusive. Postea reincipitur ab uno. Et sic usque in perpetuum.

¶ Item nota quod in anno præsenti M.CCCCC et VIII, in quo fuit impressum præsens Missale, numerus aureus est VIII, et litera dominicalis, est b. a.

¶ Item nota quod numerus aureus et litera dominicalis incipiuntur in circumcisione Domini, et non in pascha.

¶ Item nota quod anno domini M.CCCCC numerus aureus fuit XIX, et M.CCCCC.I, numerus aureus fuit I et sic de aliis.

¶ Item nota quod annus habet xii menses hebdomadas lii et diem unum, et habet ccclxv dies et horas sex. Quæ quater sumptæ constituunt bis sextum.

TABULA AD INVENIENDUM				
Aureus Numerus.	Litera Dominicalis.	Septuagesima.	Cinerum Dies.	Pascha Domini.
		Januarii	Februarii	Martii
V.	d	xviii	iiii	xxii
	e	xix	v	xxiii
XIII.	f	xx	vi	xxiiii
II.	g	xxi	vii	xxv
	A	xxii	viii	xxvi
X.	b	xxiii	ix	xxvii
	c	xxiiii	x	xxviii
XVIII.	d	xxv	xi	xxix
VII.	e	xxvi	xii	xxx
	f	xxvii	xiii	xxxi
XV.	g	xxviii	xiiii	i Aprilis
IIII.	A	xxix	xv	ii
	b	xxx	xvi	iii
XII.	c	xxxi	xvii	iiii
I.	d	i Februarii	xviii	v
	e	ii	xix	vi
IX.	f	iii	xx	vii
	g	iiii	xxi	viii
XVII.	A	v	xxii	ix
VI.	b	vi	xxiii	x
	c	vii	xxiiii	xi
XIIII.	d	viii	xxv	xii
III.	e	ix	xxvi	xiii
	f	x	xxvii	xiiii
XI.	g	xi	xxviii	xv
	A	xii	i Martii	xvi
XIX.	b	xiii	ii	xvii
VIII.	c	xiiii	iii	xviii
	d	xv	iiii	xix
XVI.	e	xvi	v	xx
	f	xvii	vi	xxi
	g	xviii	vii	xxii
	A	xix	viii	xxiii
	b	xx	ix	xxiiii
	c	xxi	x	xxv

PERPETUE OMNIA FESTA MOBILIA				
Ascensio Domini	Penthecostes	Corporis Christi	Residuum Dominicarum post oc. Sa.[1]	Adventus Domini
Aprilis	Maii	Maii		
xxx	x	xxi	xxvi	xxix Novembris
i Maii	xi	xxii	xxvi	xxx
ii	xii	xxiii	xxvi	i Decembris
iii	xiii	xxiiii	xxvi	ii
iiii	xiiii	xxv	xxvi	iii
v	xv	xxvi	xxv	xxvii Novembris
vi	xvi	xxvii	xxv	xviii
vii	xvii	xxviii	xxv	xxix
viii	xviii	xxix	xxv	xxx
ix	xix	xxx	xxv	i Decembris
x	xx	xxxi	xxv	ii
xi	xxi	i Junii	xxv	iii
xii	xxii	ii	xxiiii	xxvii Novembris
xiii	xxiii	iii	xxiiii	xxviii
xiiii	xxiiii	iiii	xxiiii	xxix
xv	xxv	v	xxiiii	xxx
xvi	xxvi	vi	xxiiii	i Decembris
xvii	xxvii	vii	xxiiii	ii
xviii	xxviii	viii	xxiiii	iii
xix	xxix	ix	xxiii	xxvii Novembris
xx	xxx	x	xxiii	xxviii
xxi	xxxi	xi	xxiii	xxix
xxii	i Junii	xii	xxiii	xxx
xxiii	ii	xiii	xxiii	i Decembris
xxiiii	iii	xiiii	xxiii	ii
xxv	iiii	xv	xxiii	iii
xxvi	v	xvi	xxii	xxvii Novembris
xxvii	vi	xvii	xxii	xxviii
xxviii	vii	xviii	xxii	xxix
xxix	viii	xix	xxii	xxx
xxx	ix	xx	xxii	i Decembris
xxxi	x	xxi	xxii	ii
i Junii	xi	xxii	xxii	iii
ii	xii	xxiii	xxi	xxvii Novembris
iii	xiii	xxiiii	xxi	xxvii

[1] Octavas Sanctæ Trinitatis

¶ Aureum numerum sic scire poteris.

¶ Nota quod aureus numerus anni istius scilicet M.CCCCC.IX est ix. Sequentis anni scilicet M.CCCCC.X erit x. Sic semper continuando, ac ad principium redeundo, ut patet per numerum sequentem,

ix.	x.	xi.	xii.	xiii.	xiiii.	xv.	xvi.	xvii.	xviii.	xix.	i.	ii.	iii.	iiii.	v.	vi.	vii.	viii.								

redi ad principium lineæ scilicet ix.

¶ Simili modo ut superius dictum est deprehendere poteris literam dominicalem.

¶ Nota quod litera dominicalis anni scilicet M.CCCCC.IX est g, sequentis anni scilicet M.CCCCC.X erit f. Sic semper continuando ac ad principium redeundo ut patet per numerum sequentem, et ubi sunt duæ litteræ est bissextus.

g	f	e	d	b	A	g	f	d	c	b	A	f	e	d	c	A	g	f	e	c	b	A	g	e	d	c	A[1]
			c				e				g				b				d				f				b

¶ Ad inveniendum omnia festa mobilia. Invenias primo aureum numerum in Tabula superius posita, qui currit illo anno, deinde descende usque ad literam dominicalem currentem illo anno, et in illa linea sunt omnia festa mobilia.

¶ Et nota quod si aureus numerus est in eadem litera dominicali, non accipitur illa litera sed ei similis sequens.

¶ Tabula annorum communium et bissextilium: literarumque dominicalium quotannis currentium: revolutio cujus est post annos xxviii, post quos ad caput ejusdem cum annis tunc currentibus revertitur.

a	f	e	d	c	a	g	f	e	c	b	a	g	e	d	c	b	g	f	e	d	b	a	g	f	d	c	b
g				b				d				f				a				c				e			

¶ In Tabula ista literarum dominicalium annum vel communem vel bissextilem notificante, literam item dominicalem sic invenies. Primam literam in prima linea quæ est a accipe, et da illam anno salutis M.CCCCC.XX, sequenti anno scilicet M.CCCCC.XXI da sequentem literam scilicet f, et sic deinceps donec ad annum currentem pervenies, quia litera super quam cadet numerus anni currentis, erit litera dominicalis. Quæ si unica fuerit, annum communem esse intelliges, si duplex, bissextilem. Et tunc superior litera usque ad festum Mathiæ utilis erit. Inferior vero ad reliquam partem anni accommodabitur. Et quarto quoque anno semper est bissextus; et tunc sunt duo dies inter festum cathedræ Sancti Petri, et beati Mathiæ.

¶ Tabula clavium festorum mobilium, simulque aurei numeri subjuncti: revolutio cujus est post annos xix, post quos cum annis tunc currentibus, semper ad ejusdem regreditur initium.

Claves festorum mobilium,	xxvi.	xv.	xxxiiii.	xxiii.	xii.	xxxi.	xx.[2]
Aureus numerus,	i.	ii.	iii.	iiii.	v.	vi.	vii.

[1] Mistake for $\begin{matrix} b \\ A \end{matrix}$ [2] It is printed $\begin{matrix} xxx \\ vii \end{matrix}$, $\begin{matrix} xxix \\ viii \end{matrix}$ an x being wrongly placed. In the next number xxvii is given instead of xxviii.

xxxix.	xxviii.	xvii.	xxxvi.	xxv.	xiiii.	xxxiii.	xxii.	xi.	xxx.
viii.	ix.	x.	xi.	xii.	xiii.	xiiii.	xv.	xvi	xvii.

xix.	xxxviii.
xviii.	xix.

¶ Simili computo (ut dictum est de litera dominicali) etiam deprehendere poteris clavem festorum mobilium. Nam clavium numero primo, qui videlicet est xxvi, da annum M.CCCCC.XX; sequenti numero, qui est xv, da. M.CCCCC.XXI; sicque deinceps semper singulos numeros clavium accommoda, donec perduceris ad numerum anni tui propositi. Nam ubi annus tuus propositus sedem inveniet, illic numerum clavis deprehendes. Sub quo continuo aureus numerus pro nova luna reperienda valens apparebit.

¶ Festa igitur mobilia, habita clave anni currentis, hoc modo inveniuntur. Animadverte quot unitates sunt in clave anni currentis, deinde tot dies numera deorsum descendendo a loco cujuslibet clavis in Kalendario notatæ.[1] Ubi autem numerus ille terminabitur, ibi dominica proxima tale festum peragetur. In anno tamen bissextili, si Septuagesimam, aut xl. queris, clavi adde unitatem. Et si Quadragesima juxta talem computationem in xxiiii. die Februarii, vel post inventa fuerit, ipsa per unum diem retroacta erit peragenda.

¶ Noviluniorum Canon.

¶ Novilunium, sive nova luna, singulis mensibus anni sic reperitur. Habito aureo numero anni tui, ubicunque ille in ordine aurei numeri in Calendario posito tibi occurrerit, a loco illius diei juxta positi, sequentium verborum syllabas sursum computa: ut puta In cœlis est hic, unicuique diei accommodando syllabam unam; diesque ille supra quem syllaba (hic) ceciderit dies est novilunii propositi per singulos menses.

¶ Carmina docentia per novilunia invenire pascha.

Post regum festa quære novilunia trina.
Post dominica tertia sacrum pascha celebra.

¶ Post veris equinoctium, quære plenilunium.
Et dominica proxima, sacrum celebra pascha.
Non verius invenies, si mille legas codices.

¶ Sequuntur quædam regulæ secundum parvum compotum ecclesiæ Romanæ cum multis aliis documentis.

Compotus est talis proprie dictus manualis.
Pro litera dominicali. A b c sunt extra g supra, d e f manent infra.
Pro annis Domini habendis octo bis ex centum remanet ex mille viginti.
Versus. Filius esto Dei cœlum bonus accipe gratis.
Pro bissext.
Bissextum sextæ Martis tenuere Kalendæ,

[1] See below, *Pro clavibus*, page viii

Posteriori die celebrantur festa Matthiæ.
Sabbata si teneant ibi non alibi celebrantur.
Pro concurrente: A sex. b quinque: c quatuor: e duo: d tres.
Primus concurrens est f litera: septimus est g.
Pro numero dierum cujuslibet mensis.
Junius, Aprilis, September, et ipse November,
Dant triginta dies: reliquis superadditur unus.
De quorum numero Februarius excipiatur.
Namque quater septem fertur habere dies,
Sed cum bissextus fuerit superadditur unus.

¶ De septem Planetis.

Sol, Venus, Mer, Luna, Saturnus, Jupiter et Mars.
Quot nonas ydus et Kalendas.
Sex Maius nonas October, Julius et Mars.
Quatuor et reliqui tenet ydus quilibet octo
Inde dies reliquos omnes dic esse Kalendas.

¶ De duodecim signis.

Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Architenens, Capricornus, et Urna,
Cui tenet et Pisces. Sita sunt hæc ordine signa.
Semper quindenis ponuntur signa Kalendis.

¶ De numero aureo.

Aureus hic numerus hiis versibus est manifestus.
Ternus undin nod octo, sex quinque tred ambo decem doct,
Versus. Septem quind quater dud ista novem dest sextus quat.

¶ Pro situatione.

Est sine divi Febru sine to pril Junius Augustus,
October sineque bo: vultque December abesse.

¶ Pro lunatione embolismali.

Embolismus lunatio semper erit par.
Impare par impar pare fit lunatio mense.
Illius est mensis cui dat lunatio finem.

¶ Pro clavibus.

Primula g Jani supremaque g que secunda.
Martis et Aprilis g tertia g que suprema.

¶ Pro Adventu.

Andreæ festo vicinior ordine quo vis.
Adventus Domini prima colit feria.
Si cadat in lucem Domini celebratur ibidem.

¶ Pro indicionibus.

Si per quindenos Domini diviseris annos,
Hiis tres adjunges indicio sit tibi præsens.
Dant centum gentes tibi mille decem quoque reddit.
Dum redit October indicio fit nova semper.
Quattuor atque tribus ipsi prælata diebus.

¶ Pro diebus ægris.

Augurio decies audito lumine clangor.
Linquit olens abies colit colus fercula gallus.

¶ Pro solsticiis.

Hæc duo solstitia faciunt Cancer Capricornus,
Sed noctes æquant Aries cum Libra diebus.

¶ Pro observatione jejunorum.

Petrus et Andreas Paulus cum Symone Judas,
Ut jejunemus nos admonet atque Mattheus,
Fiat Domini Penthe: que Johan Lau. Sumptio sancta,
Sed cum prædictis addes sanctos simul omnes.
Horum vigiliis jejunes Luceque Marci.

¶ Pro quatuor temporibus.

Post penth. cru. lu. ci. scio quatuor tempora anni.

¶ Pro festis mobilibus inveniendis.

Post epy. tres pri tres di. pasch. Domini fit.
In Septuagesima tres sunt dominicæ cir. esto exurge.
In Quadragesima sex In. re. o. le ui do.
In tempore paschali sex Re qua mi ju can vo.

Lunæ post rogationes celebrantur, jovis sequens ascensio Domini, secunda dominica post, celebratur Penthe. Et in oct festum sanctissimæ Trinitatis æstivalis, et jovis sequenti festum sanctissimi sacramenti, et dominica proximior adventu festum Trinitatis hiemalis, et inter illa festa Trinitatis celebrantur Hystoriæ.

Versus pro hystoriis fiendis.

India dat bursas auratas ad data clausas.

Nota quod sunt septem hystoriæ post Trinitatem æstivalem quæ sunt celebrandæ infra Trinitatem hiemalem i est Deus omnium, ii In principio, iii Si bona, iiii Peto Domine, v Adonai, vi Adaperiat, vii Vidi Dominum. Quælibet hystoria habet tot dominicas quota est in ordine alphabeti cujuslibet dictionis Hujus versus India dat. Ut supra.

Finis.

JANUARIUS

Annus habet duodecim Menses, Ebdomadas LII., et Diem unum, et habet Dies CCCLXV.

KL Januarius habet Dies XXXI., Luna XXX. et Horas VI.
Nox habet Horas XVI., Dies vero VIII.

Prima dies mensis et septima truncat ut ensis.

3	A	Januarii.	Circumcisio Domini minus duplex ix lectionum.	1
	b	4 N.	Octa. Sancti Stephani prothomartyris iii lectionum.	2
11	c	3 N.	Octa. Sancti Johannis apostoli et evangelistæ iii lect.	3
	d	pridie N.	Octa. Sanctorum Innocentium martyrum iii lectionum.	4
19	e	Nonis.	Octa. Sancti Thomæ mart. et S. Edwardi regis et conf.	5
8	f	8 Id.	Epiphania Domini festum principale duplex ix lect.	6
	g	7 Id.	Claves Septuagesimæ.	7
16	A	6 Id.	Luciani presbyteri et sociorum memoria tantum.	8
5	b	5 Id.		9
	c	4 Id.		10
13	d	3 Id.	Sol in Aquario.	11
2	e	pridie Id.	[Mediæ lect. de Sancto Hylario.	12
	f	Idibus.	Octa. Epyphaniæ. Invitatorium triplex ix lectionum.	13
10	g	19 Kl.	Februarii. Felicis presb. et mart. Inv. s. iii lect.	14
	A	18 Kl.	Mauri abbatis. Invitatorium simplex iii lectionum.	15
18	b	17 Kl.	Marcelli papæ et mart. Inv. simplex iii lect.	16
7	c	16 Kl.	Sulpicii episcopi et confessoris. Sancti Antonii conf.	17
	d	15 Kl.	Priscæ virginis et mart. Inv. s. iii lect. Prima LXX.	18
15	e	14 Kl.	Vulstani episcopi et confessoris ix lect. de communi.	19
4	f	13 Kl.	Sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum ix lect.	20
	g	12 Kl.	Agnetis virginis et martyris ix lectionum.	21
12	A	11 Kl.	Vincentii martyris novem lectionum.	22
1	b	10 Kl.		23
	c	9 Kl.		24
9	d	8 Kl.	Conversio Sancti Pauli. Inv. triplex ix lect. Memoria de	25
	e	7 Kl.	Sancto Prejecto. duplex.	26
17	f	6 Kl.	Juliani episcopi et confessoris. Inv. duplex iii lect.	27
6	g	5 Kl.	Agnetis secundo. Inv. duplex iii lect. Claves XL.	28
	A	4 Kl.		29
14	b	3 Kl.	Batildis reginæ virginis non mart. Invitatorium simplex iii	30
8	c	pridie Kl.	[lectionum.	31

In Jano claris calidisque cibis potiaris.
Atque decens potus post fercula sit tibi notus.
Lædit enim medo tunc potus vel bene credo.
Balnea tunc intres et venam scindere cures.

Pocula Janus amat, 13.

SS. Wulstan, Fabian, Agnes, Vincent, and S. Paul, black, H, 57. S. Anthony omitted, H, 92, 94.

The Calendar is printed from 97.

FEBRUARIUS

KL Februarius habet Dies XXVIII., Luna XXIX.
Nox habet Horas XIV., Dies vero X.

Quarta subit mortem, prosternit tertia fortem.

	d	Februarii.	Brigidæ virginis et martyris. Inv. simplex iii lect.	1
11	e	4 N.	Purificatio beatæ Mariæ Majus duplex novem lect.	2
19	f	3 N.	Blasii episcopi et martyris. Inv. duplex trium lect.	3
8	g	pridie N.		4
	A	Nonis.	Agathæ virginis et martyris novem lect. [lect.	5
16	b	8 Id.	Sanctorum Vedasti et Amandi episc. Inv. simplex trium	6
6	c	7 Id.	Ubicunque prima luna fuerit post festum Agathæ,	7
	d	6 Id.	proxima dominica sequenti erit dominica, XL.	8
13	e	5 Id.	Sol in Piscibus.	9
2	f	4 Id.	Scolasticæ virginis. Invitatorium simplex iii lect.	10
	g	3 Id.	Translatio Sanctæ Fredeswidæ virginis.	11
10	A	pridie Id.		12
	b	Idibus.		13
18	c	16 Kl.	Martii. Valentini episcopi et martyris. Invitat. simplex iii	14
7	d	15 Kl.	[lectionum.	15
	e	14 Kl.	Julianæ virginis et martyris. Inv. simplex iii lect.	16
15	f	13 Kl.		17
4	g	12 Kl.		18
	A	11 Kl.		19
12	b	10 Kl.		20
1	c	9 Kl.	Ultima Septuagesimæ.	21
	d	8 Kl.	Cathedra Sancti Petri. Inv. triplex ix lectionum.	22
9	e	7 Kl.		23
	f	6 Kl.	Mathiæ apostoli. Inv. duplex, ix lect., si bissextus	24
17	g	5 Kl.	fuerit quarta die a cathedra Sancti Petri fiat festum	25
6	A	4 Kl.	Sancti Mathiæ et f litera bis numeretur.	26
	b	3 Kl.		27
14	c	pridie Kl.		28

Post cineres neuma, post Crucem, postque Luciam
Mercurii, Veneris, Sabbati, jejunia fient.

Nascitur occulta Febris Februario multa.
Potibus et escis si caute minuere velis.
Tunc cave frigora, de pollice funde cruorem.
Suge favum mellis, pectoris qui morbos curabit.

Et Februus algeo clamat, 13.

S. Agatha and S. Peter's chair, black, H, 57. Omit S. Frideswide, H, 92. 94.

MARTIUS

KL Martius habet Dies XXXI., Luna XXX.
Nox habet Horas XII., Dies vero XII.

Primus mandentem disrumpit, quarta bibentem.

3	d	Martii.	Davidis episcopi et confessoris ix lectionum.	1
	e	6 N.	Cedde episcopi et confessoris ix lectionum.	2
11	f	5 N.		3
	g	4 N.		4
19	A	3 N.		5
8	b	pridie N.		6
	c	Nonis.	Sanctarum Perpetuæ et Felicitatis vir. et mart., iii lect.	7
16	d	8 Id.		8
5	e	7 Id.		9
	f	6 Id.		10
13	g	5 Id.	Claves Paschæ. Sol in Ariete. Equinoctium vernale.	11
2	A	4 Id.	Gregorii papæ et confessoris inferius duplex ix lect.	12
	b	3 Id.	Ultimum Quadrigesimæ.	13
10	c	pridie Id.	Post istum locum non potest esse initium XL.	14
	d	Idibus.		15
18	e	17 Kl.	Aprilis. Introitus Noe in archam.	16
7	f	16 Kl.	Patricii episcopi et confessoris ix lectionum.	17
	g	15 Kl.	Eduuardi regis et martyris ix lectionum.	18
15	A	14 Kl.		19
4	b	13 Kl.	Cuthberti episcopi novem lectionum.	20
	c	12 Kl.	Benedicti abbatis novem lectionum.	21
12	d	11 Kl.	Primum pascha.	22
1	e	10 Kl.	Hic Adam creatur.	23
	f	9 Kl.		24
9	g	8 Kl.	Annunciatio dominica minus duplex novem lectionum.	25
	A	7 Kl.		26
17	b	6 Kl.	Resurrectio Domini. principale duplex festum.	27
6	c	5 Kl.		28
	d	4 Kl.		29
14	e	3 Kl.		30
3	f	pridie Kl.		31

Martius humores gignit variosque dolores.
Sume cibum pure: cocturas si placet ure.
Balnea sunt sana, sed quæ superflua vana.
Vena nec abdenda, nec potio sit tribuenda.

Martius arva fodit de vite superflua demit, 13.

SS. David, Chad, Gregory, Edward, Cuthbert, and Benedict, black, H, 57. S. Patrick, red, 94, 8RM.

Claves Paschæ, 17 Kal. April, H, 92, erroneously.

APRILIS

KL Aprilis habet Dies xxx., Luna xxix.
Nox habet Horas x., Dies vero xiv.

Denus et Undenus est mortis vulnere plenus.

	g	Aprilis		1
11	A	4 N.		2
	b	3 N.	Richardi episcopi et confessoris ix lect.	3
19	c	pridie N.	Ambrosii, episc. et doct. inferius duplex ix lect.	4
8	d	Nonis.		5
16	e	8 Id.		6
5	f	7 Id.		7
	g	6 Id.		8
13	A	5 Id.		9
2	b	4 Id.		10
	e	3 Id.	Sol in Tauro.	11
10	d	pridie Id.		12
	e	Idibus.		13
18	f	18 Kl.	Maii. Sanctorum Tyburcii Valerinni et Maximi mart., iii	14
7	g	17 Kl.	Claves Rogationum. [lect.	15
	A	16 Kl.		16
15	b	15 Kl.		17
4	c	14 Kl.		18
	d	13 Kl.	Alphei episcopi et martyris iii lectionum.	19
2	e	12 Kl.		20
1	f	11 Kl.		21
	g	10 Kl.		22
9	A	9 Kl.	Georgii mart. inferius duplex trium lectionum cum regi-	23
	b	8 Kl.	[mine chori.	24
17	c	7 Kl.	Marci evangelistæ iii lectionum inferius dup. Letania	25
6	d	6 Kl.	[Major. Ultimum Pascha.	26
	e	5 Kl.		27
14	f	4 Kl.	Vitalis mart. iii lect., cum regimine chori.	28
3	g	3 Kl.	Egressus Noe de archa.	29
	A	pridie Kl.	Depositio Sancti Erkanwaldi episc. London. dyocesis.	30

Sæpe probatur vere vires Aprilis habere.
Cuncta renascuntur, pori tunc aperiuntur.
In quo scalpescit corpus, sanguis quoque crescit.
Ergo soluatur venter cruorque minuatur.

Aprilis florida nutrit, 13.

SS. Richard, Ambrose, and Vitalis, black, H, 57. S. Erkenwald is omitted in H, 92, 94, and is black in 57.

MAYUS

KL

Mayus habet dies XXXI., Luna XXX.
Nox habet Horas VIII., Dies vero XVI.

Tercius occidit et septimus ora relidit.

11	b	Maii.	Apostolorum Philippi et Jacobi inferius dup. iii lect.	1
	c	6 N.		2
19	d	5 N.	Inventio Sanctæ Crucis minus dup. iii lect. Memoria de	3
8	e	4 N.	[martyribus Alexandro et Eventio.	4
	f	3 N.		5
16	g	pridie N.	Johannis ante Portam Latinam. Inv. trip. iii lect.	6
5	A	Nonis.	Johannis episc. et conf. de Beverlaco iii lect. cum regimine	7
	b	8 Id.	[chori.	8
13	e	7 Id.	Translatio Sancti Nicolai cum regimine chori	9
2	d	6 Id.	Sanctorum Gordiani et Epimachi martyrum iii lect.	10
	e	5 Id.		11
10	f	4 Id.	Sanctorum Nerei, Achillei, atque Pancratii, iii lect.	12
	g	3 Id.	Sol in Geminis.	13
18	A	pridie Id.	Nota quod festum Translationis Sancti Cedde episcopi	14
7	b	Idibus.	semper debet celebrari dominica proxima ante Ascens-	15
			ionem Domini cum regimine chori.	
	c	17 Kl.	Junii.	16
15	d	16 Kl.		17
4	e	15 Kl.		18
	f	14 Kl.	Dunstani episc. et conf. ix lect. Memoria de Sancta Poten-	19
12	g	13 Kl.	[tiana.	20
1	A	12 Kl.		21
	b	11 Kl.		22
9	c	10 Kl.		23
	d	9 Kl.	Festum Sancti Salvatoris.	24
17	e	8 Kl.	Aldelmi episc. et conf. mediæ lect. de Sancto Urbano ix	25
6	f	7 Kl.	Augustini Anglorum apostoli ix lect. [lect.	26
	g	6 Kl.		27
14	A	5 Kl.	Germani episcopi et confessoris iii lectionum.	28
3	b	4 Kl.		29
	c	3 Kl.		30
11	d	pridie Kl.	Petronille virginis non martyris iii lectionum cum extra	31
			[octavam Sanctæ Trinitatis contigerit.	

Mayo secure laxari sit tibi curæ.
Scindatur vena, sed balnea dentur amœna.
Cum calidis rebus sint fercula seu speciebus.
Potibus astricta sit salvia cum benedicta.

Ros et flos nemorum Maio sunt fomes amorum, 13.

Holy Cross, SS. John Port. Latin., John of Beverley, Dunstan, the Holy Saviour, and SS. Aldhelm and Augustin, black, 57.

SS. John of Beverley, Dunstan and Aldhelm black in H, and the Holy Saviour not inserted, it is black in 55P.

S. Nicholas omitted in 92, and the Rubric about S. Chad in H.

JUNIUS

KL Junius habet Dies XXX., Luna XXIX.
Nox habet Horas VI., Dies vero XVIII.

Denus pallescit, quindenus federa nescit.

	e	Junii.	Nichomedis martyris iii lectionum.	1
19	f	4 N.	Sanctorum Marcellini et Petri martyrum. Inv. duplex iii	2
8	g	3 N.	[lectionum.	3
16	A	pridie N.		4
5	b	Nonis.	Bonifacii sociorumque ejus martyrum. Invitat. duplex iii	5
	c	8 Id.	[lectionum.	6
13	d	7 Id.		7
2	e	6 Id.	Sanctorum Medardi et Gildardi confessorum iii lect.	8
	f	5 Id.	Translatio Sancti Edmundi mart. mediæ lect. de martyr-	9
10	g	4 Id.	[ibus Primo et Feliciano. Inv. triplex ix lect.	10
	A	3 Id.	Barnabæ apostoli. Inv. triplex, ix lect.	11
18	b	pridie Id.	Sanctorum Basilidis, Cyrini et Naboris, iii lect.	12
7	c	Idibus.	Sol in Cancro. Solsticium.	13
	d	18 Kl.	Julii. Basilii episcopi et confessoris iii lectionum.	14
15	e	17 Kl.	Sanctorum Viti et Modesti atque Crescentiæ iii lect.	15
4	f	16 Kl.	Translatio Sancti Richardi, mediæ lect. de Sancti Cirico	16
	g	15 Kl.	[et Julita ix lectionum.	17
12	A	14 Kl.	Sanctorum Marci et Marcelliani. Inv. dup. iii lect.	18
1	b	13 Kl.	Sanctorum Gervasii et Prothasii. Inv. dup. iii lect.	19
	c	12 Kl.	Translatio Sancti Edwardi regis et mart. ix lect., nisi fac-	20
9	d	11 Kl.	[tæ fuerint in XL.	21
	e	10 Kl.	Albani prothomartyris ix lect.	22
17	f	9 Kl.	Etheldredæ virginis iii lectiones cum nocturno. Vigilia.	23
6	g	8 Kl.	Nativitas Sancti Johannis Baptistæ minus dup. ix lect.	24
	A	7 Kl.		25
14	b	6 Kl.	Sanctorum Johannis et Pauli. Inv. duplex iii lect.	26
3	c	5 Kl.		27
	d	4 Kl.	Leonis papæ et confessoris iii lect. cum nocturno. Vigilia,	28
11	e	3 Kl.	Apostolorum Petri et Pauli minus duplex ix lect.	29
	f	pridie Kl.	Commemoratio Sancti Pauli. Inv. triplex ix lect.	30

Post Personas tres librum Regum dare debes. Deus Omnium.

In Junio gentes potabit medo bibentes.
Atque novellarum fuge potus cervisiarum.
Ne noceat colera, valet hec refectio vera.
Lactucæ frondes ede, jejunus bibe fontes.

Dat Junius fœna, 13.

SS. Edmund, Edward, Alban, and S. Paul, black, H, 57, as also S. Barnabas in 57. S. Alban, black, 55P.

JULIUS

KL

Julius habet Dies XXXI., Luna XXX.
Nox habet Horas VIII., Dies vero XVI.

Tredecimus mactat Julii, denus labefactat.

19	g	Julii.	Octa. Sancti Johannis Baptistæ. Inv. dup. iii lect.	1
8	A	6 N.	Visitatio Beatæ Mariæ duplex memoria [1]de martyribus[1]	2
	b	5 N.	[sub silentio.	3
16	c	4 N.	Translatio et Ordinatio Sancti Martini ix lect.	4
5	d	3 N.		5
	e	pridie N.	Octa. apostolorum Petri et Pauli. Inv. dup. ix lect.	6
13	f	Nonis.	Translatio Sancti Thomæ mart. ix lect. Dominica prima	7
2	g	8 Id.	post festum translationis Sancti Thomæ celebratur	8
	A	7 Id.	festum reliquiarum, ix lectionum.	9
10	b	6 Id.	Sanctorum Septem Fratrum mart. Inv. dup. iii lect.	10
	c	5 Id.	Translatio Sancti Benedicti abb. ix lect. nisi factæ fuerunt	11
18	d	4 Id.	[in xl. tunc fiant iii lect. et inv. dup. [2]iii lect.[2]	12
7	e	3 Id.		13
	f	pridie Id.	Sol in Leone. Dies caniculares.	14
15	g	Idibus.	Translatio Sancti Swithini sociorumque ejus ix lect.	15
4	A	17 Kl.	Augusti. Translatio Sancti Osmundi novem lect.	16
	b	16 Kl.	Kenelmi regis et martyris. Inv. duplex, iii lect.	17
12	c	15 Kl.	Arnulphi episcopi et martyris iii lectionum.	18
1	d	14 Kl.		19
	e	13 Kl.	Margaretæ virg. et mart. ix lect.	20
9	f	12 Kl.	Praxedis virginis non martyris iii lectionum.	21
	g	11 Kl.	Mariæ Magdelenæ Inv. triplex ix lect.[3]	22
17	A	10 Kl.	Apollinaris episcopi et martyris iii lectionum.	23
6	b	9 Kl.	Christinæ virginis et mart. iii lect. cum noc. Vigilia,	24
	c	8 Kl.	Jacobi apostoli inferius duplex ix lect.[4]	25
14	d	7 Kl.	Annæ matris Mariæ. Inv. triplex novem lect.	26
3	e	6 Kl.	Sanctorum Septem Dormientum m. Inv. d. iii lect.	27
	f	5 Kl.	Sansonis episcopi. Inv. duplex, iii lectionum.[5]	28
11	g	4 Kl.	Sanctorum Felicis et Fausti. Inv. duplex iii lect.	29
19	A	3 Kl.	Sanctorum Abdon et Sennes mart. Inv. dup. iii lect.	30
	b	pridie Kl.	Germani episcopi et confessoris iii lectionum.	31

Et post Sansonem [6]sapientiam[6] da Salomonem. In principio.

Qui vult solamen Julio probet hoc medicamen.
Venam non scindat, nec ventrem potio ledat.
Somnum compescat, et balnea cuncta pavescat.
Prodest recens unda, allium cum salvia munda.

Julio resecatur avena, 13.

[1] Possibly SS. Processus and Martinianus and S. Swithin, 797. [2] These words seem inserted by mistake. [3] Memoria of S. Wandragesil. [4] Memoria of SS. Christopher and Cucufatus. [5] Memoria of S. Pantaleon, and Mass of S. Pantaleon. [6] should be "sapientem."

SS. Martin, Thomas, Benedict, Swithin, and Margaret, black, 57. SS. Martin, Benedict, and Swithin, black, H. S. Martin and S. Benedict, black, 55P. H. and 55P, and probably others, have the Feast of Relics red.

AUGUSTUS

KL Augustus habet Dies XXXI., Luna XXX.
Nox habet Horas X., Dies vero XIV.

Prima necat fortem, perditque secunda cohortem.

8	c	Augusti.	Ad Vincula Sancti Petri. Inv. triplex, ix lect.[1]	1
16	d	4 N.	Stephani papæ et martyris. Inv. duplex, iii lect.	2
5	e	3 N.	Inventio Sancti Stephani prothomartyris, ix lect.	3
	f	pridie N.		4
13	g	Nonis.	Oswaldi regis et martyris. Inv. dup. iii lectionum.[2]	5
2	A	8 Id.	Transfiguratio Domini dup. memoria de martyribus.[3]	6
	b	7 Id.	Festum Nominis Jesu, dup. majus ix lect. Donati episcopi [et martyris memoria tantum.	7
10	c	6 Id.	Ciriaci sociorumque ejus mart. memoria tantum.	8
	d	5 Id.	Romani martyris memoria tantum. Vigilia,	9
18	e	4 Id.	Laurentii martyris. Inv. triplex ix lectionum.	10
7	f	3 Id.	Tyburtii martyris memoria tantum.	11
	g	pridie Id.		12
15	A	Idibus.	Ipoliti sociorumque ejus martyrum ix lectionum.	13
4	b	19 Kl.	Septembris. Octa Jesu. Eusebii presb. et conf. Vigilia,	14
	c	18 Kl.	Assumptio Beatæ Mariæ virginis majus dup. et principale.	15
12	d	17 Kl.	Sol in Virgine. Equinoctium.	16
1	e	16 Kl.	Octa. Sancti Laurentii memoria tantum.	17
	f	15 Kl.	Agapiti martyris memoria tantum.	18
9	g	14 Kl.	Magni martyris memoria tantum.	19
	A	13 Kl.		20
17	b	12 Kl.		21
6	c	11 Kl.	Octa. Sanctæ Mariæ ix lect. memoria de sanctis.[4]	22
	d	10 Kl.	Sanctorum Thimothei et Appollinaris cum noc. Vigilia,	23
14	e	9 Kl.	Bartholomei apostoli inferius duplex ix lectionum.[5]	24
3	f	8 Kl.		25
	g	7 Kl.		26
11	A	6 Kl.	Ruffi martyris. Invitatorium duplex iii lectionum.	27
19	b	5 Kl.	Augustini episcopi et doctoris. Inv. triplex ix lect.[6]	28
	c	4 Kl.	Decollatio Sancti Johannis Baptistæ. Inv. trip. ix lect.[7]	29
8	d	3 Kl.	Sanctorum Felicis et Adaucti, m. Inv. dup. iii lect.	30
	e	pridie Kl.	Cuthberge virginis non martyris. Inv. dup. iii lect.	31

Post Augustinum doctorem Job lege justum. Si bona.
Thobiam dictum post Prothum atque Hiacinctum. Peto Domine.

Quisquis sub Augusto vivat medicamine justo.
Raro dormitet, æstum coitum quoque vitet.
Balnea non curet, nec multum comestio duret.
Nemo laxari debet, vel flebothomari.

Augustus Spicas, 13.

[1] Memoria de martyribus (SS. Machabæorum?) [2] Festum nivis, 55P, black. [3] Sixti Felicissimi et Agapiti. [4] Timothei et Symphoriani. [5] Memoria de Sancto Audoeno. [6] Memoria de Hermete. [7] De Sancta Sabina.

S. Peter's Chains, S. Stephen, Transfiguration, S. Augustin, and S. John the Baptist, black, 57. S. Stephen and Transfiguration, black, H. Name of Jesus not inserted in H. and 92, nor its octave in 94.

SEPTEMBER

KL September habet Dies xxx., Luna xxix.
Nox habet Horas xii., Dies vero xii.

Ternus September et denus fert mala membris.

16	f	Septembris.	Egidii abbatis ix lect. Mediæ lect. de Sancto Prisco.	1
5	g	4 N.		2
	A	3 N.	[factæ in xl.	3
13	b	pridie N.	Translatio Sancti Cuthberti episcopi et conf. ix lect. nisi	4
2	c	Nonis.	Bertini abbatis et confessoris trium lect. cum noc.	5
	d	8 Id.		6
10	e	7 Id.		7
	f	6 Id.	Nativitas Beatæ Mariæ virginis.	8
18	g	5 Id.	Gorgonii martyris memoria tantum.	9
7	A	4 Id.		10
	b	3 Id.	Sanctorum Prothi et Jacincti mart. memoria tantum.	11
15	c	pridie Id.		12
4	d	Idibus.	Sol in Libra.	13
	e	18 Kl.	Octobris. Exaltatio S. Crucis mi. dup. nov. lect. med. lect. de SS. Cornelio et Cypriano. Æquinoctium Autumnale et finiunt dies caniculares.	14
12	f	17 Kl.	Octa Beatæ Mariæ. Invitatorium triplex ix lect. Memoria [de Sancto Nichomede.	15
1	g	16 Kl.	Edithæ vir. non mart. ix lect. mediæ lect. de mart.	16
	A	15 Kl.	Lamberti episcopi et mart. ix lect. Invit simplex, iii lect.	17
9	b	14 Kl.	Observa mensis noni Jejunia semper.	18
	c	13 Kl.	Post Exaltatam feria quarta Crucem.	19
17	d	12 Kl.	Vigilia. [Memo. de S. Laudo ep. et conf.	20
6	e	11 Kl.	Mathei apostoli et evangelistæ. Inferius dup. ix lect.	21
	f	10 Kl.	Mauricii sociorumque ejus martyrum ix lectionum.	22
14	g	9 Kl.	Teclæ, virginis non martyris iii lect. cum nocturno.	23
3	A	8 Kl.		24
	b	7 Kl.	Firmini episcopi et martyris. Invit simplex iii lect.	25
11	c	6 Kl.	Cypriani epi. et Justinæ virginis. Inv. dup. iii lect.	26
19	d	5 Kl.	Sanctorum Cosmæ et Damiani mart. Invitat. duplex iii	27
	e	4 Kl.	[lect.	28
8	f	3 Kl.	Michaelis archangeli. Inferius duplex ix lectionum.	29
	g	pridie Kl.	Hieronimi presb. et doctoris. Inferius duplex ix lect.	30

Subjungas Judith post Vigiliamque Mathei. Adonay.
Post Sanctum Cosmam des historiam Machabeo. Adaperiat.

Fructus maturi Septembris sunt valituri.
Et pira cum vino, panis cum lacte caprino.
Aqua de urtica tibi potio fertur amica.
Tunc venam pandas, species cum semine mandas.

September conterit uvas, 13.

SS. Giles, Cuthbert and Jerome, black, H, 57. SS. Edith and Maurice, red in 94. SS. Cornelius and Cyprian omitted in H, 92. S. Priscus omitted in 55P.

OCTOBER

KL October habet Dies xxxi., Luna xxx.
Nox habet Horas xiv., Dies vero x.

Ternus et denus est sicut mors alienus.

16	A	Octobris.	SS. Remigii, Germani, Vedasti, et Bavonis, episcoporum [ix lect., mediæ lect. de Sancto Meloro.	1
5	b	6 N.	[1]Thomæ Herfordensis episcopi et confessoris ix lect.	2
13	c	5 N.	[mediæ lect. de Sancto Leodegario.	3
2	d	4 N.		4
	e	3 N.		5
10	f	pridie N.	Fidis virginis et martyris. Invitat. simplex iii lect.	6
	g	Nonis.	Sanctorum Marci et Marcelliani. Invitat. dup. iii lect.	7
18	A	8 Id.		8
7	b	7 Id.	Dyonisii sociorumque ejus ix lectionum.	9
	c	6 Id.	Gereonis sociorumque ejus mart. Invit. dup. iii lect.	10
15	d	5 Id.	Nichasii sociorumque ejus mart. Invit. dup. iii lect.	11
4	e	4 Id.		12
	f	3 Id.	Translatio Sancti Edwardis regis. Inf. dup. iii lect.	13
12	g	pridie Id.	Calixti papæ et mart. Inferius dup. iii lectionum. Sol in [Scorpione.	14
1	A	Idibus.	Vulfranni episcopi et confessoris ix lect.	15
	b	17 Kl.	Novembris. Michaelis in Monte Tumba. Inv. trip. novem	16
9	c	16 Kl.	Etheldredæ vir. non mart. novem lect. [lect.	17
	d	15 Kl.	Lucæ evangelistæ. Inferius duplex ix lectionum.[2]	18
17	e	14 Kl.	Fredeswidæ virginis non martyris novem lectionum.	19
6	f	13 Kl.		20
	g	12 Kl.	Sanctarum undecim milium vir. Invit. dup. iii lect.	21
14	A	11 Kl.		22
3	b	10 Kl.	Romani episcopi et confessoris iii lect., cum nocturno.	23
	c	9 Kl.		24
11	d	8 Kl.	Sanctorum Crispini et Crispiniani ix lectionum, mediæ	25
19	e	7 Kl.	lect. de Sancto Johanne de Beverlaco episcopo et con-	26
	f	6 Kl.	fessore.[3]	27
8	g	5 Kl.	Apostolorum Symonis et Judæ. Inferius dup. ix lect.	28
	A	4 Kl.		29
16	b	3 Kl.		30
5	c	pridie Kl.	Quintini mart. iii lect. cum nocturno. Vigilia.	31

Post Judam Symonem subjungas Ezechielem. Vidi Dominum.

October vina præbet cum carne ferina.
Necnon aucina caro valet et volucrina.
Quamvis sint sana, tamen est repletio vana.
Quantum vis comede, sed non præcordia læde.

Seminat October, 13.

[1] No service for S. Thomas of Hereford in Sanctorale. [2] Memoria de Sancto Justo. [3] Vigil.

SS. Remi, Denys, Wulfran, Michael at Mont St. Michel, Awdry, Frideswide, and Crispin, black, H, 57. SS. Wulfran and Awdry, black, 8RM. S. Thomas of Hereford, red in 94, 8RM. S. John of Beverley omitted in 92.

NOVEMBER

KL November habet Dies xxx., Luna xxxi.
Nox habet Horas xvi., Dies vero viii.

Scorpius est quintus et tertius est nece cinctus.

	d	Novembris.	Solemnitas Omnium Sanctorum. Majus duplex ix lect.	1
13	e	4 N.	Commemo. Omnium Defunctorum ix lect., ad vesperas [de S. Maria, fiat meo. de S. Eustachio et sociorum.	2
2	f	3 N.	Wenefredæ, virginis et martyris ix lectionum.	3
	g	pridie N.		4
10	A	Nonis.		5
	b	8 Id.	Leonardi, abbatis, novem lectionum.	6
18	c	7 Id.		7
7	d	6 Id.	Sanctorum Quatuor coron. mart. Invit. dup. iii lect.	8
	e	5 Id.	Theodori martyris. Invitatorium simplex iii lect.	9
15	f	4 Id.		10
4	g	3 Id.	Martini episcopi et confessoris. Inv. trip., novem lect.	11
	A	pridie Id.	Sol in Sagittario. [Mem. de S. Menna, mart.	12
12	b	Idibus.	Bricii epis. et con. Invit. duplex iii lect., Mem. de S. [Martino.	13
1	c	18 Kl.	Decembris. Translatio Sancti Erkenwaldi episcopi.	14
	d	17 Kl.	Machuti epis. et con. ix lect. mediæ lect. de S. Martino.	15
9	e	16 Kl.	Depositio S. Edmundi archiepis. Invit. trip. ix lect.	16
	f	15 Kl.	Hugonis epis. et con. ix lect. mediæ lect. de S. Aniano.	17
17	g	14 Kl.	Octa. Sancti Martini. Invitatorium duplex iii lect.	18
6	A	13 Kl.		19
	b	12 Kl.	Edmundi regis et martyris, ix lectionum.	20
14	c	11 Kl.		21
3	d	10 Kl.	Cæciliæ virginis et martyris, ix lectionum.	22
	e	9 Kl.	Clementis papæ et mart. ix lect. Memoria de Sancta [Felicitate virgine.	23
11	f	8 Kl.	Grisogoni martyris. Invit. simplex iii lect.	24
19	g	7 Kl.	Katherinæ virginis et martyris ix lectionum.	25
	A	6 Kl.	Lini papæ et martyris. Invit. simplex iii lect.	26
8	b	5 Kl.		27
	c	4 Kl.	[Vigilia,	28
16	d	3 Kl.	Sanctorum Saturnini et Sisinnii iii lect., cum noct.	29
5	e	pridie Kl.	Andreæ apostoli. Inferius duplex ix lectionum.	30

Post festum Lini, erit semper Adventus Domini. Aspiciens

Hoc scire tibi datur quod reuma Novembri curatur.
Quæque nociva vita, tua sint preciosa dieta.
Balnea cum venere tunc nullum constat habere.
Potio sit sana atque minutio bona.

Spoliat virgulta November, 13.

SS. Wenefrid, Martin, Machutus, Edmund the Archbishop, Hugh, Edmund the King, Cicely, and Clement are black in H. and 57, All Souls in H and S. Catherine in 57. S. Brice is red in 94, 8RM, and S. Leonard in 94.

DECEMBER

KL

December habet Dies XXXI., Luna XXX.
Nox habet Horas XVI., Dies vero VIII.

Septimus exsanguis virosus denus ut anguis.

	f	Decembris.		1
13	g	4 N.		2
2	A	3 N.		3
10	b	pridie N.	Osmundi episcopi et confessoris ix lectionum.	4
	c	Nonis.		5
18	d	8 Id.	Nicolai, episcopi et confessoris. Invit. triplex ix lect.	6
7	e	7 Id.	Octa. Sancti Andreæ apostoli. Invit trip. iii lect.	7
	f	6 Id.	Conceptio Beatæ Mariæ. Minus duplex ix lect.	8
15	g	5 Id.		9
4	A	4 Id.		10
	b	3 Id.		11
12	c	pridie Id.		12
1	d	Idibus.	Luciæ virginis et martyris ix lectionum.	13
	e	19 Kl.	Januarii. Sol in Capricorno. Solstitium hyemale.	14
9	f	18 Kl.		15
	g	17 Kl.	O sapientia.	16
17	A	16 Kl.	Nullæ deinceps fiant preces ad vesperas.	17
6	b	15 Kl.		18
	c	14 Kl.		19
14	d	13 Kl.	Vigilia.	20
3	e	12 Kl.	Thomæ, apostoli. Inferius duplex ix lectionum.	21
	f	11 Kl.		22
11	g	10 Kl.		23
19	A	9 Kl.	Vigilia.	24
	b	8 Kl.	Nativitas Domini Nostri Jesu Christi. Principale festum [duplex ix lect.[1]	25
8	c	7 Kl.	Stephani, prothomartyris. Minus duplex ix lect.	26
	d	6 Kl.	Johannis apostoli et evangelistæ. Minus duplex ix lect.	27
16	e	5 Kl.	Sanctorum Innocentium mart. Minus dup. ix lect.	28
5	f	4 Kl.	Thomæ Cantuariæ archiepiscopi et mart. Minus dup. ix [lect.[2]	29
	g	3 Kl.		30
13	A	pridie Kl.	Silvestri episcopi et confessoris ix lectionum mediæ lect. [de nativitate Domini.	31

Sanæ sunt membris res calide mense Decembris.
Frigus vitetur, capitalis vena scindatur.
Lotio sit vana, sed vasis potatio cara.
Sit tepidus potus, frigori contrarius totus.

Quærit habere cibum porcum mactando December, 13.

[1] Missa in Aurora. Memoria de Sancta Anastasia, 55. [2] Sexta die, 74.

S. Osmund, black, H, 57. SS. Lucy and Sylvester, red in 94, 8RM.

EXORCISMUS AQUÆ.

Benedictio salis et aquæ.

Benedictio salis et aquæ; [1]Omnibus Dominicis per annum post primam [2]et capitulum,[2] fiat benedictio salis et aquæ ad gradum chori a sacerdote hoc modo.[1]

EXORCÍZO te creatúra salis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum: per Deum qui te per Heliséum prophétam in aquam mitti jussit ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal [3]Hic respiciat sacerdos sal[3] exorcizátum, in salútem credéntium: et sis ómnibus te suméntibus sánitas ánimæ et córporis: et effúgiat atque discédat ab eo loco quo aspérsum fúeris omnis fantásia et nequítia vel versútia diabólicæ fraudis, omnísque spíritus immúndus adjurátus. Per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Sequitur Oratio sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus.

Oratio.

IMMÉNSAM cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, [4]Hic respiciat sacerdos sal[4] ut hanc creatúram salis quam in usum géneris humáni tribuísti, bene✠dícere et sanctifi✠cáre tua pietáte dignéris, ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; ut quicquid ex eo tactum vel respérsum fúerit cáreat omni immundítia omníque impugnatióne spirituális nequítiæ. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum.

Amen.

Sequitur exorcismus aquæ.

EXORCÍZO te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci; ut ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis. Per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi; qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Sequitur Oratio sine Dóminus vobíscum sed cum Orémus.

Oratio.

DEUS, qui ad salútem humáni géneris máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti; adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic [5]Hic respiciat sacerdos aquam[5] multímodis purificatiónibus præ-

[1] Omnibus Dominicis diebus per annum post capitulum, nisi in duplicibus festis et in Dominica Palmarum, a sacerdote hebdomadario, alba et capa serica rubra cum aliis vestibus sacerdotalibus induto, cum diacono et subdiacono albis cum amictibus indutis, subdiacono textum deferente, cum thuribulario et duobus ceroferariis et accolito crucem deferente, omnibus albis cum amictibus indutis et in medio presbyterii ad altare conversis, et etiam cum duobus pueris, quorum alter, scilicet puer qui ad aquam scribitur in tabula, in sale tenendo et aquam benedictam gestando, alter scilicet puer hebdomadarius primus, lector primæ lectionis ad matutinas, librum tenendo, eidem sacerdoti diei ministrent, ad gradum chori, fiat Benedictio Salis et Aquæ hoc modo.—Grad.

[2] in capitulo.—94. capitulum.—98. 4L. non habet 8RM.

[3] non habent H. 94. 98. 4L. 8RM. 13.

[4] non habent H. 94. 98. 4L. 8RM. 13.

[5] non habent H. 94. 98. 4L. 8RM.

paráto virtútem tuæ benedictiónis infúnde, ut creatúra tua mystériis tuis sérviens ad abjiciéndos dæmones morbósque pelléndos divínæ grátiæ sumat effectum; ut quicquid in dómibus vel in locis fidélium hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa, non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens; discédant omnes insídiæ laténtis inimíci; et si quid est quod aut incolumitáti habitántium ínvidet aut quiéti aspersióne hujus aquæ effúgiat, ut salúbritas per invocatiónem sancti tui nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Hic mittat sacerdos sal in aquam in modum crucis, [1]ita dicendo sine nota.[1]

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat: in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Versus. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii rex, ac semper magníficus triumphátor; qui advérsæ dominatiónis vires réprimis, qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas; qui hostíles nequítias potens expúgnas; te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur ac pétimus, ut hanc [2]Hic respiciat aquam sale mixtam[2] creatúram salis et aquæ dignánter accípias, benígnus illústres, pietátis tuæ [3]amóre[3] sanctífi✠ces; ut ubicúnque fúerit aspérsa per invocatiónem sancti tui nóminis omnis infestátio immúndi spíritus abjiciátur terrórque venenósi serpéntis procul pellátur, et præséntia Sancti Spíritus nobis misericórdiam tuam poscéntibus ubíque adésse dignétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.[4]

[5]Dum [6]aspergitur[6] aqua, cantetur hæc Antiphona.[5]

Aspérges me, Dómine, hysópo et mundábor; lavábis me et super nivem dealbábor.

Psalmus. Miserére mei Deus secúndum magnam misericórdiam tuam.

Aspérges me.

Versus. Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

Aspérges me.

[1] privitim ita dicens—Grad.
[2] non habent H. 94. 98. 4L. 8RM. 13.
[3] ita 98. 13. more.—H. 92. 94. 97. 8RM. 26. 34.
[4] Chorus Amen—Grad.
[5] Si duplex fuerit festum in Dominica, extra chorum fiat Benedictio salis et aquæ privatim ante aliquod altare; et Hora Sexta cantata aspergatur. In aliis vero Dominicis diebus, in choro benedicatur, et post [ante—Proc. 54] Tertiam aspergatur; nisi in Dominica in Ramis Palmarum; tunc vero sicut in festis duplicibus observetur, licet duplex festum non est.

Peracta Benedictione salis et aquæ, accedat ipse sacerdos ad principale altare, et ipsum stando circumquaque aspergat [in redeundo imprimis aspergat.—Proc. 54.] ministros ordinatim: incipiendo ab accolito qui crucem defert: deinde ad gradum chori rediens: ibidem [singulos accedentes—Proc. 54.] clericos aspergat, [incipiens a majoribus.—Proc. 54.] Tamen si episcopus fuerit præsens, ad eum pertinet aspersio clericorum. Et post aspersionem clericorum, laicos in presbyterio hinc inde stantes aspergat. Dum aspergitur aqua benedicta, cantetur hæc Antiphona, cantore incipiente.—Grad.
[6] ita H. 92. 94. 98. 4L. 8RM. 13. aspergatur.—97. 26.

Versus. Glória Patri. Sicut erat.

Repetatur. Lavábis me et super nivem dealbábor.

[1]Post aspersionem aquæ[1] sacerdos ad gradum chori dicat Versum.[2]

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

Sequitur Oratio, sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus.

Oratio.

EXÁUDI nos, Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, et míttere dignáre sanctum ángelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, et deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo per Christum Dóminum nostrum. Respondetur Amen.[3]

[4]Benedictio panis.

Benedícite.

Respondetur. Dóminus vobíscum,

Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

BÉNE✠DIC, Dómine, istam creatúram panis sicut benedixísti quinque panes in desérto, ut omnes gustántes ex eo recípiant tam córporis quam ánimæ sanitátem. In nómine Patris et Filii et Spíritus Sancti. Amen.

Aspergaturque aqua benedicta.

Alia Benedictio panis.

Versus. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, bene✠dícere dignéris hunc panem tua sancta spirituáli benedictióne; ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis, atque contra omnes morbos et univérsas inimicórum insídias tutámen. Per Dóminum nostrum

[1] Hæc Antiphona dicetur in aspersione aquæ benedictæ omnibus Dominicis per annum, præterquam a Pascha usque ad festum Trinitatis. Dicetur etiam in Dominica in Ramis Palmarum et in Dominica in Passione, cum Glória Patri et Sicut erat.

A Pascha usque ad festum Trinitatis dicatur hæc Antiphona in aspersione aquæ benedictæ, cantore incipiente Antiphonam. Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluya. Et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent alleluya, alleluya.

Psalmus. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Repetatur Antiphona, Vidi aquam. Gloria Patri. Sicut erat. Et omnes.

Peracta aspersione aquæ.—26.

Hæc Antiphona dicitur in aspersione aquæ benedictæ, supradicto modo, omnibus dominicis diebus per annum, de quocunque fit servitium, et in Dominica Passionis Domini et in Dominica Palmarum, cum Glória Patri, præterquam a festo Paschæ usque ad festum Sanctæ Trinitatis, post aspersionem aquæ benedictæ,—Grad.

[2] sine Dóminus vobíscum, hoc modo.—Grad.

[3] Si episcopos in aliqua simplici Dominica exequatur Officium, tunc ipse, indutus cappa serica cum mitra et baculo, ac omnibus supradictis Ministris, ad benedictionem salis et aquæ chorum solet intrare; qui dum fit benedictio salis et aquæ a sacerdote ut prædicitur ad hoc induto, sese in sedem recipit episcopalem; ibique post aspersionem altaris principalis a prædicto sacerdote factam, tam canonicos quam cæteros clericos ad sedem ipsam accedentes, modo et ordine prænotato, asperget, et tam Versum quam Orationem post Antiphonam, Asperges, dicit ibidem. Si vero episcopus exsecutor Officii non fuerit, tunc in habitu chori cum chirothecis tantum et baculo clericos ut supra aspergat, sacerdote prædicto Versum et Orationem post Antiphonam, Asperges me, more consueto semper dicente.—26.

[4] ex H. 94. 4L. 4PV. 13.

Jesum Christum Fílium tuum, panem qui de cœlo descéndit et dat vitam et salútem mundo, et tecum vivit et regnat Deus. Per ómnia sæcula sæculórum.

Respondetur, Amen.[4]

[1]De vita humana bene instituenda.

Mane, Deo vitam
commendet vir bonus omnem,
Prædicet et laudes
gratus ubique Deo;
Nocte memor culpæ
relegensque errata diurna
Pœniteat, veniam
postulet, inde cubat.[1]

[2]Benedictio panis in diebus Dominicis.

In primis sacerdos legat Evangelium sequens.

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. Et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lumine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Et postea dicat Versum.

Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Deinde dicat.

Dóminus vobíscum,
Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Béne✠dic, Dómine, creatúram istam panis, sicut benedixísti quinque panes in deserto, ut omnes ex eo gustántes tam córporis quam ánimæ accípiant sanitátem. In nómine ✠ Patris et ✠ Fílii et Spíritus ✠ Sancti. Amen.

Tunc aspergatur aqua benedicta super panem et distribuatur.[2]

[1] ex 13.
[2] ex 26.

Hunc sequuntur in Processionalibus, 25, 28, 44, 54.

¶ Deinde eat processio hoc ordine. In primis procedant ministri virgam manu gestantes locum facientes processioni. Deinde pueri in superpelliciis aquam benedictam gestantes; deinde accolitus crucem ferens; et post ipsum duo ceroferarii pariter incedentes; deinde thuribularius, et post eum subdiaconus; deinde diaconus, omnes albis cum amictibus induti absque tunicis vel casulis, et post diaconum eat sacerdos in simili habitu cum cappa serica, pueris et clericis de secunda forma sequentibus habitu non mutato, non bini et bini, sed ex duabus partibus juxta ordinem quo disponuntur in choro. Et clerici de superiori gradu eodem ordine quo disponuntur in capite (capitulo) habitu non mutato, sed excellentio-

res sequentur per ordinem, quod in omnibus Dominicis non duplicibus observetur per totum annum. Et exeat processio per ostium presbyterii septentrionale circumiens prestyterium, Episcopus si præsens fuerit mitram gerat et baculum in fine processionis. Sacerdos vero, sive præsens fuerit episcopus sive non, in anteriori parte post suos ministros procedat, et in eundo singula altaria aspergat.

¶ In duplicibus tamen festis quando in Dominica contingunt in procedendo altaria non aspergat sed eat post diaconum in habitu ante dicto. Deinde ab australi parte ecclesiæ per fontes venientes procedant ad crucem, sacerdote cum suis ministris medio suo ordine stante. Ita quod puer deferens aquam et accolitus stent juxta gradum ante crucem. Omnes autem clerici interesse possunt processionibus totius anni, licet nullæ horæ diei precedentis interfuerint.

¶ Omnibus Dominicis diebus per totum adventum ante processionem in eundo dicatur hæc sequens Antiphona cantore incipiente hoc modo. Antiphona.

Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Názareth, ad vírginem Maríam desponsátam Joseph et dixit ad eam, Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Dixit autem María; Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum, Allelúya.

¶ Quando vero pervenerit processio ante magnam crucem in ecclesia, nisi fieri debeat statio, non dicatur Antiphona de cruce usque ad inceptionem hystoriæ, Deus ómnium. (Dominica prima post festum SS. Trinitatis.) Sed statim post Antiphonam vertat se sacerdos ad populum et dicat in lingua materna sic.

ORÉMUS pro Ecclésia Romána et pro papa nostro N. et archiepíscopis epíscopis et speciáliter pro epíscopo nostro N. et pro decáno vel rectóre huius Ecclésiæ, scílicet in ecclésiis parrochiálibus, et pro terra sanc- ta, pro pace ecclésiæ et terræ, et regína et suis líberis. Et cetera more solito. Deinde vertat se sacerdos et dicat istum psalmum Deus misereátur ex utraque parte chori more solito sine nota. Ex parte chori prin-cipali incipiatur.

Finito Psalmo cum Glória Patri, et Sicut erat, sequatur,

Kýrie Eléison,
Christe Eléison,
Kýrie Eléison,
Pater noster.

Deinde dicat sacerdos in audientia sed sine nota, Et ne nos.

Sed líbera.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam,
Et salutáre tuum da nobis.
Sacerdótes tui índuant justítiam,
Et sancti tui exúltent.
Dómine salvum fac regem,
Et exáudi nos in die qua invocavérimus te.
Salvum fac servum tuum,
Deus meus, sperántem in te.
Salvum fac pópulum tuum,
Et rege eos et extólle illos usque in ætérnum.
Dómine, fiat pax in virtúte tua,
Et abundántia in túrribus tuis.
Dómine exáudi oratiónem meam,
Et clamor meus.
Dóminus vobíscum,
Et cum spíritu tuo.
Orémus.

DEUS qui charitátis dona per grátiam Sancti Spíritus tuórum córdibus fidélium infúndis, da fámulis et famulábus tuis pro quibus tuam deprecámur cleméntiam salútem mentis et córporis, ut te tota virtúte díligant et quæ tibi plácita sunt tota dilectióne perfíciant, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Christum Dóminum nostrum.

¶ Item conversus ad populum dicat sacerdos in lingua materna Orémus pro animábus N. et N. more solito; et postea vertat se sacerdos, et dicat Psalmum De profúndis supradicto modo (sine 28).

Glória Patri, cum Kýrie Eléison,
Christe Eléison,
Kýrie Eléison,
Pater noster. Et ne nos.
Sed líbera.
Réquiem ætérnam dona eis Dómine,
Et lux perpétua lúceat eis.
A porta ínferi,
Erue Dómine ánimas eórum.
Credo vidére bona Dómini,
In terra vivéntium.
Dóminus vobíscum,
Et cum Spíritu.
Orémus.

ABSÓLVE quæsumus, Dómine, ánimas famulórum tuórum, pontíficum et sacerdótum; et ánimas famulórum famularúmque tuórum paréntum parrochianórum amicórum benefactórum nostrórum et ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter sanctos eléctos tuos resuscitáti respírent. Per. Requiéscant in pace. Amen.

Hæ preces prædictæ dicuntur supradicto modo omnibus Dominicis per annum; sive de Dominica sive aliquo festo fit servitium nisi duplex fuerit; et nisi in sexta die a nativitate Domini; et in die Sancti Silvestri si in Dominica evenerit et nisi in Dominica Palmarum. Ita tamen quod in ecclesiis parrochialibus non ad processionem sed post evangelium et offertorium supradicto modo dicuntur ante aliquod altare in ecclesia vel in pulpito ad hoc constituto; tamen Psalmus De profúndis, cum versibus et Oratione Absólve quæsumus Dómine, semper in statione ante crucem in ecclesia supradicto modo; nisi in duplicibus festis et in sexta die a nativitate Domini; et in die Sancti Silvestri quando in Dominica evenerit et nisi in Dominica Palmarum ut supra diximus.

Finitis precibus intrent chorum cantore incipiente. Responsorium.

Læténtur cœli et exúltet terra jubiláte montes laudem quia Dóminus noster vé-

niet, et páuperum suórum miserébitur, cum versu vel sine versu, (per dispositionem cantoris 28) Oriétur in diébus ejus justítia et abundántia pacis sed sine Glória. Quod per totum annum observetur, quando dicitur responsorium in Introitu chori et quando dicatur versus cantetur a toto choro, deinde dicat sacerdos ad gradum chori hunc versum. Vox clamántis in desérto. Responsorium. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri; non dicitur Dóminus vobíscum post processionem, similiter per totum annum sed tantum cum

Orémus.

EXCITA quæsumus Dómine poténtiam tuam et veni, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum Amen. Deinde eat sacerdos cum suis ministris in cimiterium canonicorum, aspergendo et orando pro defunctis, dicat Psalmum, De profúndis, cum Oratione.

DEUS cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt animábus famulórum famularúmque tuórum hic et ubíque in Christo quiescéntium da propítius suórum véniam peccatórum; ut a cunctis reátibus absolútæ tecum sine fine læténtur. Per eundem Deum Christum Dóminum nostrum. Amen.

Requiéscant in pace. Amen.

¶ Iste modus et ordo processionis servetur generaliter omnibus Dominicis non duplicibus per annum, cum suis Antiphonis vel responsoriis cum Oratione et versu.

¶ In Dominicis tamen a Septuagesima usque ad Quadragesimam dicatur versus post Antiphonam, in ipsa statione ad gradum ante crucem a duobus clericis de secunda forma ad populum conversis, habitu non mutato.

¶ Similiter a Dominica ab octavis Paschæ usque ad proximam Dominicam ante ascensionem Domini, dicitur versus a duobus clericis de secunda forma ad populum conversis in superpelliciis coram cruce.

¶ In proxima Dominica ante ascensionem Domini dicatur versus a tribus de superiori gradu in pulpito ad populum conversis. Et si episcopus in hoc Dominica vel in quacunque alia officium exequatur ipse indutus cappa serica cum mitra et baculo ac omnibus supradictis ministris ad benedictionem aquæ solet chorum intrare, qui dum fit benedictio salis et aquæ a sacerdote et prædicitur ad hoc induto in sedem se recipiat episcopalem itaque post aspersionem principalis altaris a sacerdote factam tam canonicos quam ceteros clericos ad sedem episcopalem accedentes, more et ordine prædicto aspergat, et tam versiculum quam orationem post Antiphonam Aspérges me, et post reversionem processionis in chorum dicat ubi debet; ipse similiter in Dominicis, per æstatem si officium secutus sit missæ vel cum Oratio dicatur in statione ante crucem. Sacerdos cum prædictis ad processionem vestitus prece cum Orationibus sequentibus easdem dicet more solito; et post reversionem in chorum dum horæ tertiæ et sextæ cantatæ fuerint pontifex induet se pro missa. Si vero episcopus executor officii non fuerit, tunc in habitu clericali cum cirotecis tantum et baculo clericos ut supra aspergat; sed in processione cum cappa serica cum mitra et baculo semper in fine procedat; et prædictus sacerdos ebdomadarius super omnia exequatur quæ ad processionem pertinent loco et habitu consueto.

[1]MISSALE [2]SECUNDUM[2] USUM[3] ECCLESIÆ SARUM[4] INCIPIT FELICITER

DOMINICA prima adventus Domini.[5]

Ad Missam.

Officium.[6] Ps. 24

D te levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi qui te expéctant non confundéntur.

Psalmus. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: et sémitas tuas édoce me.

Repetatur Officium, scilicet Ad te levávi etc. et postea dicatur Glória Patri et Sicut erat. Quo dicto, iterum repetatur Officium ut prius. Et sic fiat per totum annum, tam in Dominicis quam in festis sanctorum[7] cum regimine chori: et in omnibus missis de sancta Maria: nisi in Dominica Passionis Domini: et abhinc usque ad Cœnam Domini, ad missam de temporali tantum. Tunc post Psalmum repetatur Officium sine Glória Patri.

Sequatur Kýrie eléison.

Non dicitur Glória in excélsis per totum Adventum, de quocunque dicitur missa: nec a Septuagesima usque ad vigiliam Paschæ.

His peractis, factoque signaculo crucis in facie sua, vertat se sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis, junctisque manibus, dicat hoc modo,

Dóminus vobíscum. Et Chorus respondeat,

Et cum spíritu tuo, sub eodem tono. Et

[1] In nomine sanctissimæ Trinitatis. 94

[2] ad 98. 26.

[3] chori. 94. 98.

[4] Anglicanæ. 94. 98.

[5] Per totum Adventum et a Septuagesima usque ad Cœnam Domini diaconus et subdiaconus ad missam casulis induantur; nisi in festis sanctorum et quando dicitur missa Salus pópuli et de Cruce; tunc enim dalmatica et tunica indui debent. In missis quoque vigiliarum et in jejuniis Quatuor temporum. Generaliter per totum annum, in albis esse debent: nisi in vigilia Paschæ et Pentecostes et in vigilia Nativitatis Domini, quando in dominica contigerit, et ex certis (exceptis) Quatuor temporibus quæ celebrantur in hebdomada Pentecostes: tunc enim dalmatica induantur, nisi in die Parasceves et in Rogationibus ad missam de jejunio in processionibus, et in missis dominicalibus, et in missis sanctorum quæ in Capitulo dicuntur. In missis vero pro defunctis in albis esse tenentur. In Commemoratione animarum et in missis pro corpore præsenti et in anniversario (anniversariis) episcoporum, dalmaticis et tunicis induantur. Per reliquum vero tempus anni, quotidie dalmaticis et tunicis induantur, et semper infra prædictum tempus, scilicet Adventus Domini et Quadragesimæ, missa cum Benedicámus Dómino finiatur. Per totum autem annum generaliter habeatur regula, quod semper, quando ad missam dicitur Glória in Excélsis, ipsa missa cum Ite missa est finiatur. Ad missam omnes clerici stare tenentur nisi dum Lectio vel Epistola leguntur, Gradale, Allelúya, Tractus, cum suis Versibus cantentur: et in inceptionibus cujuscunque Cantus ad missam stare tenentur: et ad altare se convertant. In duplicibus festis, omnes Rectores chori gestum imitentur Chori.—Grad.

[6] Officium 15. 26. 34. 54R. 55P. Introitus. 94. 98. 8RM. 13. 57.

[7] et in octavis et infra quando chorus regitur, et in omnibus missis de sancta Maria, et de festo loci per totum annum. A Dominica in Passione Domini usque ad Cœnam Domini non repetatur, nisi bis ad missam de temporali tantum, quia tunc non dicitur Glória Patri et Sicut erat. Per totum Adventum non dicitur Glória in Excélsis nec Ite missa est, de quocunque dicitur missa.—Grad.

iterum revertat se sacerdos ad altare, et dicat Orémus.

Et quotiescunque dicitur Dóminus vobíscum ad missam, semper sub eodem tono dicitur similiter et Orémus; nisi in Præfationibus, et nisi in missa Sponsalium cum fit benedictio super sponsum et sponsam ante Pax Dómini. Tunc enim dicitur sic, Dóminus vobíscum. Orémus. Per ómnia sæcula sæculórum. Respondetur, Amen, et in consimilibus ita determinando.

Deinde dicatur sequens Oratio.

EXCITA, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Iterum dicat sacerdos Orémus, ut supra. Memoria de sancta Maria. Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ semper vírginis útero etc. ut infra.

Et de quocunque dicitur missa, semper fiat memoria de sancta Maria cum prædicta Oratione usque ad vigiliam Nativitatis Domini. Cum vero fuerit missa de aliquo sancto, licet duplex festum fuerit, vel missa Salus pópuli, tunc fiat memoria de Adventu et de sancta Maria.

Notandum, quod in omnibus Dominicis et in festis cum regimine chori per totum annum, hoc generaliter observetur, ut ad missam tot dicantur Collectæ quot dicebantur ad matutinas, nisi in die Nativitatis Domini: ita tamen quod ad missam impar numerus ipsarum Collectarum semper custodiatur: nisi in hebdomada Nativitatis Domini tantum. Nam si duæ vel quatuor Orationes habentur, tunc erit tertia vel quinta Oratio de omnibus sanctis: scilicet, Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut intercéssio sanctæ Dei genitrícis, per totum annum, tam per Adventum[1] quam in Paschali tempore.[1] Tamen quando in die festo dicitur missa in capitulo: si fuerit de aliquo sancto[2] memoria[3] (si habeatur) et etiam memoriæ de ceteris sanctis ad eandem missam ad placitum dicuntur. Sed si fuerit missa dominicalis in capitulo, tunc ad eandem missam de Dominica, fiat memoria de Trinitate: reliquæ vero[2] memoriæ ad magnam missam dicuntur. In Dominicis vero et in festis cum regimine chori a Pascha usque ad Ascensionem Domini, diebus dominicis contingentibus, nulla fiat memoria[4] ad missam de dominica.[4]

Præterea in omnibus festis novem lectionum, quæ in jejuniis Quatuor temporum vel in vigiliis seu per totam Quadragesimam evenerint, nulla fiat memoria de jejunio ad missam de festo.[5] Nam post missam de festo missa solennis fiat de jejunio, utraque ad principale altare.

In ferialibus autem diebus et in festis sine regimine chori;[6] et a Dómine ne in ira usque ad primam Dominicam Quadragesimæ; et a Deus ómnium usque ad Adventum Domini; ad missam quinque

[1] et in Paschali tempore quam in aliis temporibus. 26. Grad.

[2] tunc memoriæ si habeantur de cæteris sanctis in eadem missa dicuntur. Si vero fuerit missa dominicalis tunc memoria de Trinitate fiat: et reliquæ.—Grad.

[3] de ipso 26.

[4] de dominica ad illam missam dominicalem quæ erit de Resurrectione, licet memoriæ fuerint prius dictæ; neque ulla memoria fiat de dominica ad missam sanctorum in dominicis dicto tempore contingentium.—Grad.

[5] neque ad missam de jejunio fiat memoria de festo. 26. Grad.

[6] infra Adventum.—Grad.

dici solent Orationes: videlicet prima de die; secunda de sancta Maria; tertia de omnibus sanctis, (scilicet Concéde, quæsumus, omnípotens Deus; et dicitur ista prædicta Oratio de omnibus sanctis tam per Adventum quam in Paschali tempore; et etiam generaliter per totum annum:) quarta Oratio pro universali Ecclesia, scilicet Ecclésiæ tuæ, Dómine, etc.; quinta pro pace, scilicet Deus, a quo sancta desidéria.

In octa. sancti Andreæ vel quando dicitur missa Salus pópuli tunc erit secunda Oratio de Adventu; tertia de sancta Maria; quarta de omnibus sanctis; quinta pro universali Ecclesia.

Item in feriis et in festis sine regimine chori et quando dicitur missa Salus pópuli ab octava Epiphaniæ usque ad Caput jejunii dicuntur quinque Orationes: quarum prima de die; secunda de sancta Maria, (scilicet, Deus qui salútis ætérnæ, usque ad Purificationem: post Purificationem vero dicitur Oratio Concéde nos fámulos tuos:) tertia de omnibus sanctis, ut supra; quarta pro universali Ecclesia; quinta pro pace.

Feria quarta in Capite jejunii et in tribus diebus sequentibus, ad missam de jejunio dicuntur istæ quinque Orationes: prima de die; secunda pro pœnitentibus, scilicet Exáudi, quæsumus, Dómine; tertia de sancta Maria, scilicet Concéde nos; quarta de omnibus sanctis, scilicet Concéde quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctæ; quinta pro universali Ecclesia, scilicet Ecclésiæ tuæ. Nulla dicitur Oratio de generalibus usque ad Quadragesimam.[1]

Feria secunda primæ hebdomadæ Quadragesima, et abhinc usque ad Cœnam Domini, ad missam de jejunio dicuntur septem Orationes: quarum prima de die; secunda pro pœnitentibus; tertia de sancta Maria; quarta de omnibus sanctis; quinta pro universali Ecclesia; sexta pro pace; septima una de generalibus seriatim; scilicet Oratio Pietáte tua, vel Oratio Sanctæ Dei genitrícis, vel Oratio Omnium Sanctórum, vel Oratio Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum.

Notandum est quod secundum usum Sarum nunquam dicuntur ultra septem Orationes ad missam, quia Deus in Oratione Dominicali tantum constituit septem petitiones. In Dominicis vero Quadragesimæ una sola Oratio dicitur; quod per totam Quadragesimam observetur.

In feriis et in festis sine regimine chori, et quando dicitur missa Salus pópuli, ab octava Paschæ usque ad Ascensionem Domini, tres dicuntur Orationes tantum; quarum prima de die; secunda de Resurrectione, scilicet Deus, qui per Unigénitum tuum; tertia de omnibus sanctis, ut supra. Tamen in Dominicis, quando de Dominica agitur, nulla fiat memoria, nisi aliquod festum alicujus sancti evenerit tantum. In æstate vero, quando fit memoria de aliquo sancto in aliquo festo trium lectionum (ut infra octavam, vel in festo sancti Sampsonis, ubi fit memoria de sancto Pantaleone, et in consimilibus,) tunc sit tertia Oratio de sancta Maria, quarta de omnibus sanctis, et quinta pro universali Ecclesia. Item a Deus ómnium usque ad Adventum Domini, in feriis et in festis trium lectionum sine regimine chori, et in octavis et infra octavas quando chorus non regitur, quinque dicuntur Orationes; quarum prima est de

[1] pro pace, Oratio Deus a quo. Non dicitur Oratio de generalibus per totum annum, nisi tantum in Quadragesima.—Grad.

die; secunda de sancta Maria; tertia de omnibus sanctis; quarta pro statu Ecclesiæ; et quinta pro pace. In festo Processi et Martiniani, fiat imprimis memoria de sancto Swithino; deinde de Apostolis, et postea de sancta Maria; et tunc de omnibus sanctis. Quando vero dicitur missa Salus pópuli[1] [2]tunc secunda oratio erit[2] de sancta Maria; tertia de omnibus sanctis; quarta pro universali ecclesia; quinta pro pace.[3]

Incepta vero ultima Oratione ante Epistolam, subdiaconus per medium Chori ad legendam Epistolam in Pulpitum accedat.[3] Et legatur Epistola in Pulpito omni die dominica et quandocunque chorus regitur per totum annum: et in die Cœnæ et in vigilia Paschæ et Pentecostes, et in Commemoratione animarum. In omnibus vero aliis festis et feriis, et in vigiliis et in Quatuor temporibus extra hebdomadam Pentecostes, ad Gradum chori legatur tam in Quadragesima quam extra Quadragesimam.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos. c. 13

FRATRES, sciéntes quia hora est jam nos de somno súrgere. Nunc [4]enim[4] própior est nostra salus quam cum credídimus. Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis: sicut in die honéste ambulémus; non in comessatiónibus et ebrietátibus, non in cubílibus et impudicítiis, non in contentióne et emulatióne. Sed induímini Dóminum Jesum Christum.

Quando Epistola legitur, duo pueri in superpelliciis, facta inclinatione ad Altare ante Gradum chori, in pulpitum[5] per medium Chori ad Gradale incipiendum se præparent et suum Versum decantandum. Gradale. Universi.

Chorus idem prosequatur per totum usque ad finem: quod per totum annum observetur ad missam de die, nisi quando a Cantore incipiatur, et in missis quæ in Capitulo dicuntur: et in Processione tantum ubi fit Statio.[6]

Grad. Ps. 24 Univérsi qui te expéctant non confundéntur, Dómine.

Versus. Vias tuas, Dómine, [7]notas fac[7] mihi: et sémitas tuas édoce me.

Post Versum chorus repetat Gradale.

Notandum est quod per totum annum repetatur Gradale post suum Versum, ad

[1] vel Nos autem 94. 26. 57.

[2] per æstatem tunc fiat secunda memoria.—Grad.

[3] Et hoc modo finiantur Orationes ante Epistolam, Per ómnia sæcula sæculórum. Chorus respondeat sic, Amen. Et si fuerint plures Collectæ dicendæ, iterum dicet sacerdos Orémus. Et tunc omnes Orationes quæ sequuntur sub uno Per Dóminum et sub uno Orémus dicuntur. Ita tamen quod septenarium numerum excedere non debet secundum usum Sarum: quia Christus cum docuerit Pater noster tantum comprehendit petitiones septem, quæ necessariæ sunt tam corpori quam animæ, et etiam de numero impari Deus gaudet, et ideo impares Orationes sunt in missis dicendæ. Et nota, quod numerus Secretarum et Postcommunionum semper concordet numero et ordini Collectarum. Et semper dum stat sacerdos ad officium missæ, post eum stet diaconus directe in ipso gradu et subdiaconus gradu simili modo: et quoties convertit se sacerdos ad populum diaconus se similiter convertat. Subdiaconus vero interim genuflectendo de casula sacerdotis aptanda subministret. Incepta vero ultima Oratione ante Epistolam, casula interim deposita retro magnum altare, subdiaconus per medium Chori ad legendam Epistolam in Pulpito accedat.—Grad.

[4] autem 98. 26. 57.

[5] pulpito 26. 57.

[6] et nisi ad vesperas in hebdomada Paschæ.—Grad.

[7] demonstra 6. Vulg.—notas fac. Psalt. Rom.

missam de die: nisi in festis duplicibus; et nisi in quinta et sexta feria hebdomadæ Paschæ; et in Quatuor temporibus, post Lectionem, ubi Gradale habetur post Lectionem, et quando Tractus dicitur. Repetatur etiam in die Nativitatis Domini ad secundam missam, et similiter in Commemorationibus, scilicet, de Trinitate, de Spiritu Sancto, et in missa de Cruce, et in missa Salus pópuli, et de Pace, et de cæteris Commemorationibus, videlicet inter Septuagesimam et Pascha tantum, et in missis de sancta Maria, ubi non potest haberi[1] Sequentia, nec Cantus loco Sequentiæ.[2] In missis vero quotidianis de sancta Maria sufficit quod habeatur Cantus loco Sequentiæ, scilicet in Capella ejusdem.[2]

Dum Versus Gradalis canitur, duo de superiori gradu ad Allelúya cantandum capas sericas se induant,[3] et ad Pulpitum per medium Chori accedant.[4] Dicto vero Versu Gradalis pueri iterum incipiant Gradale, et percantetur a choro, ut supra dictum est. Sequatur Allelúya. Chorus idem repetat et prosequatur cum pneumate.[5]

Clerici. ℣. Ps. 84

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

et finiatur a choro. Deinde clerici incipiant Allelúya sine pneumate: quod per totum annum observetur quandu dicitur Sequentia tantum.[6] Quando vero non habetur Sequentia, tunc dicitur pneuma a toto choro post repetitionem Allelúya. Finito Allelúya sequatur Sequentia.[6]

SALUS æterna,
indeficiens mundi vita,

[1] Alleluya 94. 26. 57.

[2] Gradale et suus Versus cantetur in pulpito a duobus pueris in superpelliciis omni die Dominica per annum, quando de dominica agitur et duplex festum non fuerit: et in festis simplicibus tam trium quam novem lectionum, in quibus chorus regitur; et etiam in Die Cœnæ. In Die vero animarum a tribus Clericis de secunda forma ibidem dicitur habitu non mutato. In festis autem duplicibus a tribus Clericis de secunda forma in capis sericis loco prædicto servato dicitur. In omnibus festis et feriis et in octavis et infra quando chorus non regitur, Gradale ab uno solo puero in superpellicio ad gradum chori incipiatur, et suus Versus dicatur. In festis vero in quibus Invitatorium a duobus cantatur, et in octavis et infra sine regimine chori, dicitur Gradale a duobus pueris in superpelliciis ad gradum chori. Allelúya vero a duobus Clericis de secunda forma, loco et habitu prædictis servatis.—Grad.

[3] In vestimentario.—Grad.

[4] Quandocunque enim dicitur Versus Gradalis in Pulpito a duobus pueris, tunc dicitur Allelúya ibidem a duobus de superiori gradu in capis sericis, (nisi infra octavas cum regitur chorus; tunc enim dicitur Allelúya a Rectoribus chori loco et habitu prædictis servatis:) duo clerici cantent hoc, videlicet Allelúya. Chorus idem repetat et prosequatur sic, Allelúya. Quod per totum annum observetur quando Allelúya habetur, nisi quando a Cantore incipitur, ut in missis quæ in capitulo dicuntur et in processionibus ubi fit statio. Interim vero pueri cantores versus gradum altaris inclinaturi redeant. In omnibus vero festis duplicibus stare debent omnes clerici dum a choro Allelúya cantatur: etiam in die Paschæ ad Versus cum tribus diebus sequentibus. Pueri vero semper sunt stantes choro canente: rectores vero clerici (chori,) cum duo tantum habentur, sequuntur per omnia regulam clericorum de secunda forma tam ad vesperas quam ad matutinas et missam, nisi quod semper dum chorus Allelúya canit, stare tenentur.—Grad.

[5] quod per totum annum observetur quando Allelúya dicitur, nisi quando a Cantore incipitur, ut in missis quæ in capitulo dicuntur et in processionibus ubi fit statio.—26. Grad.

[6] In festis tamen, quando dicitur Allelúya. ℣. Laudáte, púeri, semper dicitur Allelúya a duobus pueris in superpelliciis ad gradum chori. Similiter et secundum loco et habitu prædictis. Et etiam in sabbato hebdomadæ Paschæ. In cæteris festis et feriis per totum annum cantetur Allelúya ab uno solo puero in superpellicio ad gradum chori. Finito Allelúya clerici cantores ad gradum chori inclinaturi redeant: deinde ad vestibulum ad capas sericas exuendas exeant. Sequentia hoc modo.—Grad.

Lux sempiterna,
et redemptio vere nostra,
Condolens humana perire sæcla
per tentantis numina,
Non linquens excelsa, adiisti ima
propria clementia.
Mox tua spontanea
gratia assumens humana,
Quæ fuerant perdita,
omnia salvasti terrea,
Ferens mundo gaudia.
Tu animas et corpora
Nostra, Christe, expia,
Ut possideas lucida
Nosmet habitacula.
Adventu primo justifica,
In [1]secundo nosque[1] libera,
Ut cum, facta luce magna,
judicabis omnia,
Compti stola incorrupta,
nosmet tua subsequamur mox
vestigia quocunque visa.[2] [3]

Nulla die Dominica per annum dicitur Sequentia ad missam quando de dominica agitur; nisi per Adventum et in tempore Paschali et in sexta die a Nativitate Domini. In festis vero[4] sanctorum, quando chorus regitur, per totum annum extra Septuagesimam usque ad Pascha dicitur Sequentia: nisi in festis plurimorum confessorum, et nisi in festo sancti Michaelis in monte Tumba. A Septuagesima vero usque ad Cœnam Domini, in dominicis et in festis novem lectionum canitur Tractus a quatuor Clericis de superiori gradu, in capis sericis rubeis ad gradum chori, nisi in festo Purificationis et Annunciationis beatæ Mariæ. [5]Tamen in prima dominica Quadragesimæ et in dominica Palmarum in choro alternis vicibus hinc inde cantetur.[5]

In fine Allelúya vel Sequentiæ vel Tractus, diaconus antequam accedat ad Evangelium pronunciandum, thurificet medium altaris tantum; nunquam enim thurificetur lectrinum, neque ad missam neque ad matutinas, ante pronunciationem Evangelii. Deinde accipiat Textum, scilicet librum Evangeliorum, et humilians se ad sacerdotem stantem coram altari, versa facie ad meridiem, ita dicat sine nota, Jube, dómine, benedícere. Sacerdos respondeat, Dóminus sit in corde tuo et in ore tuo, ad pronunciándum sanctum Evangélium Dei. In nómine Patris etc. Si autem sacerdos per semetipsum celebret, dicat privatim Jube, dómine, benedícere, et postea dicat ipsemet, Dóminus sit in corde meo et in ore meo ad pronunciándum sanctum Evangélium Dei. In nómine Patris, etc.

Et sic procedat diaconus per medium Chori, ipsum Textum super sinistram manum solenniter gestando, ad Pulpitum

[1] secundoque nos 54R. 55P.
[2] Non dicatur Amen in fine sequentiæ per totum annum ad missam. 15. 26.
[3] Nunquam respondeant Amen in fine Sequentiæ cujuscunque fuerit: quod per totum annum observetur, nisi quando Sequentia dicitur pro Hymno: tunc semper finiatur cum Amen.—Grad.
[4] novem lectionum et in festis.—Grad.
[5] Ita tamen quod omnes illi quatuor clerici simul primum versum incipiant, quem versum duo ex parte chori principalis prosequantur, aliis duobus interim sedentibus in extrema parte primæ formæ, et ita singuli versus totius Tractus ab illis quatuor clericis dicuntur, choro interim sedente. Ita quod omnes illi quatuor simul ipsum Tractum terminent. In quarta autem feria in Capite jejunii, et in prima dominica Quadragesimæ, et quarta feria Quatuor temporum, et in dominica Palmarum, et quarta feria hebdomadæ Palmarum, et duo Tractus in die Parasceves, in choro alternis vicibus hinc et inde cantentur modo prædicto, loco nec habitu mutato.—Grad.

accedat, thuribulario et ceroferario præcedentibus. Et si duplex festum fuerit, crux præcedat: quæ quasi a dextris contraria—id est ex opposito—erit legentis Evangelium: facie Crucifixi ad legentem conversa. Quandocunque enim legitur Epistola in Pulpito, ibidem legatur et Evangelium. Et cum ad locum legendi pervenerint, textum ipsum subdiaconus accipiat, et a sinistris ipsius diaconi quasi oppositus ipsum textum dum evangelium legitur teneat, ceroferariis diacono assistentibus, uno a dextris et reliquo a sinistris et ad eum conversis: thuribularius vero stet post diaconum ad eum conversus: et semper legatur Evangelium versus aquilonem, id est, boream. Et si Episcopus exequatur officium, omnes ministri in choro ad Sequentiam cantandam veniant quando Sequentia dicitur: præter principalem diaconum et principalem subdiaconum: et ibi moram faciant diaconi et subdiaconi in medio chori cum rectoribus chori, donec principalis diaconus a pulpito post lectum Evangelium per chorum redeat.[1] Cum autem inceperit Evangelium post Dóminus vobíscum, faciat signum super librum: deinde in sua fronte: et postea in pectore cum pollice.[2]

Evangelium secundum Matthæum. c. 21

In illo témpore cum appropinquásset Jesus Hierosólymis, et venísset Béthphage, ad montem Olivéti: tunc misit duos discípulos, dicens eis: Ite in castéllum, quod contra vos est, et statim inveniétis ásinam alligátam, et pullum cum ea: sólvite, et addúcite mihi; et si quis vobis áliquid díxerit, dícite quia Dóminus his opus habet: et conféstim dimíttet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam, dicéntem: Dícite fíliæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuétus, sedens super ásinam, et pullum fílium subjugális. Eúntes autem discípuli fecérunt sicut præcépit illis Jesus. Et adduxérunt ásinam et pullum: et imposuérunt super eos vestiménta sua, et eum désuper sedére fecérunt. Plúrima autem turba stravérunt vestiménta sua in via: álii autem cædébant ramos de arbóribus, et sternébant in via: turbæ autem quæ præcedébant et quæ sequebántur, clamábant dicéntes: Hosánna Fílio David: benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Lecto Evangelio, osculetur librum: et accedens subdiaconus statim porrigat ei Textum,[3] quem ipse diaconus[3] ex directo pectore deferat.[4] Finito Evangelio incipiat

[1] In Fine Gradalis vel Allelúya vel Tractus vel Sequentia vel Prosæ, Chorus ad altare se inclinet antequam ad lectorem Evangelii se convertat.—Grad.

[2] Hoc modo legantur Evangelia per totum annum in festis tam novem lectionum quam trium lectionum; et etiam in feriis hoc modo:—Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo. Sequéntia sancti evangélii secúndum Matthæum: secúndum Marcum: secúndum Johánnem: secúndum Lucam. Glória tibi, Dómine. Sit autem Chorus ad ipsum lectorem conversus continue dum Evangelium legitur, ita quod ad Glória tibi, Dómine semper convertat se Chorus ad Altare, signo Crucis se signans, quod ter ad missam observetur publice: scilicet ad Glória in excélsis, cum dicitur In glória Dei Patris; et hic cum dicitur Glória tibi, Dómine; et post Sanctus, cum dicitur.—Grad.

[3] deosculandum a dexteris suis. In redeundo etiam diaconus textum ad altare—Grad.

[4] Si episcopus celebraverit, tunc post principalem diaconum comitentur cæteri diaconi et subdiaconi in ultimo ordine subdiaconorum processionaliter a choro ad altare. Ita quod unum præcedant subdiaconi: deinde principalis subdiaconus in ultimo ordine subdiaconorum, uno subdiacono incedente ei a dextris et altero a sinistris. Postea sequantur diaconi simili ordine dispositi: et hoc ipso modo et ordine quo ad introitum missæ dum episcopum præcedebant.—Grad.

sacerdos in medio altaris Credo in unum Deum.[1] Deinde cantetur a choro, non alternatim sed a toto choro. Require infra.[1]

Hæc sunt festa in quibus dicendum est Credo, secundum usum Sarum. Omnibus dominicis diebus per totum annum ad magnam missam: sive de dominica agitur sive non. In missis tamen vigiliarum et sanctorum trium lectionum[2] et in missis defunctorum quæ in capitulo in dominicis dicuntur, non dicitur. Sed si missa dominicalis[3] in capitulo dicitur, tunc dicitur Credo. Dicetur etiam per octo dies Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, et in omni duplici festo per annum et in omnibus festis Apostolorum et Evangelistarum et in utroque festo sanctæ Crucis et in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, et in utroque festo sancti Michaelis, et in missa sponsalium. Dicetur etiam ad missam de sancta Maria (quando ad missam de die dicendum est) per totum annum: et in festo alicujus sancti in cujus honore dedicatum est altare vel ecclesia, ad altare ejusdem sancti tantum.[4] Post Credo dicat sacerdos Dóminus vobíscum et[4] Orémus.

Offertorium. Ps. 24 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei, étenim univérsi qui te expéctant non confundéntur.[5]

℣. Dírige me in veritáte tua et doce me:

[1] Chorus respondeat Patrem omnipoténtem, non alternando sed simul cantando sine aliqua pausatione. Stet autem chorus ad altare conversus ab inceptione Credo in unum quousque chorus ipse cantet, et interim in una conversione ad altare ter se inclinet chorus; scilicet cum dicitur hæc clausula, et incarnátus est de Spíritu; secundo cum dicitur et homo factus est; tertio cum dicitur crucifíxus etiam pro nobis; et in fine cum dicitur et vitam ventúri quousque inchoetur offertorium: hunc gestum chorus imitatur in omni festo per annum. Dum a choro canitur Credo in unum, accedat diaconus post lectum Evangelium et offerat sacerdoti librum evangeliorum vel textum deosculandum in sinistris ejus.—Grad.

[2] sine regimine chori. 26. 57.

[3] in dominica. 26. 57.

[4] Deinde sacerdos conversus ad populum dicat Dóminus vobíscum; chorus respondeat Et cum spíritu tuo. Item sacerdos ad altare dicat.—Grad.

[5] Dicto Offertorio, sacerdos offerat oblationem, sic dicendo, Súscipe Sancta Trínitas; qua dicta, reponat calicem et cooperiat cum corporalibus, ponatque panem super corporalia decenter ante calicem continentem vinum et aquam; et osculetur patenam et ponet eam a dextris super altare sub corporalibus parum cooperiendo. Hoc itaque peracto, accipiat sacerdos thuribulum a diacono, et thurificet sacrificium, videlicet in circuitu calicis et ex utraque parte calicis et sacrificii; deinde locum inter se et altare; et dum thurificaverit, dicat Dirigátur, Dómine, ad te orátio mea. Et postea thurificetur ipse sacerdos ab ipso diacono; et subdiaconus deferat ei textum ad deosculandum; deinde acolytus thurificet Chorum, incipiens a Rectoribus chori,[6] deinde superiore gradu ex parte cantoris, eodem ordine; exinde secundis foris (formis) et primis eodem ordine. Ita quod ipse puer singulos clericos incensando illis inclinet, subsequente eum diacono cum textu ab omnibus deosculando. Si Episcopus celebraverit et duplex festum fuerit, duo pueri veniant cum thuribulis et duo subdiaconi cum duobus textibus vel reliquiis. Si Episcopus non celebraverit et duplex festum fuerit, textum deferat acolytus ex parte cantoris. Primo autem thurificandus est Cantor qui stat in medio chori cum cæteris Rectoribus chori, scilicet in festis majoribus tantum. Deinde principales rectores chori ex utraque parte sui; exinde rectores secundarii; postea chorus more solito. Eodem quoque ordine sequatur textus post Credo. Dicta oratione, Súscipe, Sancta Trínitas, et oblatione facta ut prædiximus, sacerdos thurificet sacrificium modo supradicto; chorus non thurificetur; nunquam enim thurificetur chorus ad missam post Evangelium, nisi quando dicitur Credo, sed tunc semper.—Grad.

[6] *Sic habetur in Ordinario:* deinde superiorem gradum ex parte decani, incipiens ab ipso decano vel a proximiori stallo eo absente, postea superiorem gradum ex parte cantoris. Eodem ordine secundas, exinde primas formas. 34. 57.

quia tu es, Deus, salutáris meus, et te sustínui tota die.

℣. Réspice in me et miserére mei: Dómine, custódi ánimam meam et éripe me: non confúndar quóniam invocávi te.

Isti duo Versus dicuntur per hebdomadam alternis vicibus quando de feria agitur, et non in die dominica; quod per totum annum observetur quando Versus Offertorii habentur. Nunquam[1] dicuntur duo Versus cum offertorio in una feria: nec dicuntur post offertorium, nisi in feriis per Adventum, et a Septuagesima usque ad Cœnam Domini tantum.

Secreta.

HÆC sacra nos, Dómine, poténti virtúte mundátos, ad suum fáciant purióres veníre princípium. Per Dóminum.

Alia secreta de beata Maria.

In méntibus.

Per totum Adventum non dicitur præfatio, nisi quotidiana, quando de temporali agitur.

Communio. Ps. 84 Dóminus dabit benignitátem: et terra nostra dabit fructum suum.

Postcommunio.

SUSCIPIÁMUS, Dómine, misericórdiam tuam in médio templi tui: et reparatiónis nostræ ventúra[2] solémnia cóngruis honóribus præcedámus. Per Dóminum.

Alia postcommunio de beata Maria, Grátiam tuam, et finiatur missa cum Benedicámus Dómino.[3]

[1] enim dicentur Versus Offertorii in dominicis diebus, sed in feriis per hebdomadam quando de feria cantatur. Ita tamen quod si duo Versus Offertorii fuerint, unus versus dicitur cum offertorio in una feria et alius vero (versus) in alia feria; et si plures dicuntur missæ feriales, repetantur si placuerit. Nunquam enim—Grad.

[2] venturæ—98. 13.

[3] Sciendum est, quod in missa de commemoratione sancti loci ubi ecclesia dedicata est de alio sancto quam de sancta Maria, si festum hujusmodi sancti missam habeat propriam, dicitur tunc in commemoratione ejusdem sancti eadem missa cum sequentia, sed sine Credo: verbis tamen Nativitatis, Solemnitatis vel consimilibus, in Commemorationem mutatis. In tempore Paschali erit secundum Allelúya sicut in festis cum regimine chori ibidem subnotatis.—26.

Feria secunda quando de feria agitur.

Ad Missam. Officium.

Ad te levávi.

Psalmus. Vias tuas. Glória Patri.

Repetatur Officium Ad te levavi. Hoc modo semper dicitur Officium ad missam quando chorus non[1] regitur: nisi infra Passionem Domini.[2] Hæc missa dicitur per totam hebdomadam: nisi festum novem lectionum vel octava sancti Andreæ intercurrant: et nisi quando dicitur missa Salus pópuli[3] vel aliqua commemoratio sancti loci, vel de sancta Maria, facienda fuerit[4] [3]Et semper cum suo Allelúya dicitur missa dominicalis; quod per totum annum observetur quando Allelúya dicitur.[5] Dicetur etiam Allelúya ad omnem missam de die per annum, præterquam a Septuagesima usque ad vigiliam Paschæ et exceptis[7] vigiliis extra dominicam et tempus Paschæ contingentibus: exceptis etiam quatuor temporibus quæ extra hebdomadam[7] Pentecostes contigerint.[8]

Feria quarta.

Lectio epistolæ beati Jacobi apostoli. c. 5

Caríssimi, Patiéntes estóte, usque ad advéntum Dómini. Ecce [9]enim[9] agrícola expéctat pretiósum fructum terræ, patiénter ferens donec accípiat temporáneum et serótinum. Patiéntes ígitur estóte et vos, et confirmáte corda vestra: quóniam advéntus Dómini appropinquábit. Nolíte ingemíscere, fratres, in altérutrum, ut non judicémini. Ecce [10]enim[10] Judex ante jánuam [11]assístit.[11] Exémplum accípite, fratres, éxitus mali[12] et longanimitátis et[12] labóris et patiéntiæ, Prophétas, qui locúti sunt in nómine Dómini nostri Jesu Christi.

[1] non *om.* 13. Grad.

[2] Et in missis pro defunctis.—Grad.

[3] Et quando dicitur plenum servitium de sancta Maria et de festo loci.—Grad.

[4] Et nisi in quatuor temporibus.—97.26.

[5] Caveas[6] hic—Commemoratio quoque beatæ Mariæ, si propria Epistola et Evangelium præter illam non fuerint prætermissa; tunc illa si qua dies vacaverit, est cantanda. Si vero propriæ Epistola: et Evangelia præter illam non fuerint prætermissa, tunc illa si qua dies vacaverit cantanda. Si vero propriæ Epistolæ et Evangelia quæ in feriis inocculantus frequenter nequeant dici, in proxima sequenti si vacaverint perlegantur nec præter missam Salus pópuli vel Nos autem alicubi per totum annum aliqualiter omittenda.—Grad.

[6] *Locus mendosus, fortasse sic legendus*—Commemoratio quoque V.M., si propria Epistola et Evangelium propter illam non fuerint prætermissa; tunc illa si qua dies vacaverit est cantanda. Si vero propriæ Epistolæ et Evangelia quæ in feriis inoculatis frequenter nequeant dici, in proxima sequenti si vacaverit perlegantur, nec propter . . . omittenda.

[7] Quatuor temporibus quæ in hebdomada.—Grad.

[8] Et sciendum est, quod per totum Adventum, et a Dómine ne in ira usque ad Caput Jejunii, et ab octava Paschæ usque ad Ascensionem Domini,* singulis hebdomadis semel solet dici Salus pópuli pro magna missa: ita videlicet si vacaverit a festo sanctorum extra octavam cum regimine chori: et si missa dominicalis in hebdomada cantata fuerit completa: et commemoratio beatæ Mariæ et sancti loci, et propriæ Epistolæ et propria Evangelia propter illam non fuerint prætermissa: tunc illa siqua dies vacaverit est cantanda.* Quando missa dominicalis in die dominica vel in secunda feria cantata fuerit, et tertia feria vacaverit, semper dicitur missa Salus pópuli in ipsa tertia feria. Si vero non vacaverit: tunc in aliqua feria ipsius hebdomadæ quæ ad hoc vacaverit cantetur, ut supra dictum est.—26. Grad.

*et a Deus ómnium usque ad Adventum Domini.—Grad.

[9] deest in Vulg. 98.

[10] deest in Vulg. 98.

[11] assistit—Vulg. 26. exspectat—98. 13.

[12] deest in Vulg. 98.

Initium sancti Evangelii secundum Marcum.

PRINCÍPIUM Evangélii Jesu Christi Filii Dei. Sicut scriptum est in Esaía prophéta: Ecce ego mitto ángelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Vox clamántis in deserto: Paráte viam Dómini, rectas fácite [1]sémitas[1] ejus. Fuit Johánnes in deserto baptízans, et prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebátur ad eum omnis Judææ régio, et Hierosólymitæ univérsi, et baptizabántur ab illo in Jordánis flúmine, confiténtes peccáta sua. Et erat Johánnes vestítus pilis camelórum, et zona pellicea circa lumbos ejus: et locústas et mel silvéstre edébat. Et prædicábat dicens; [2]Véniet[2] fórtior me post me: cujus non sum dignus procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum ejus. Ego [3]baptizávi[3] vos aqua, ille vero baptizábit vos Spíritu Sancto.

Si aliquod festum unde fieri debeat servitium in hac quarta feria contigerit: epistola prænotata et evangelium legantur in quinta feria, si vacaverit: sin autem, omnino prætermittantur eo anno.[4]

Feria sexta.

Lectio Esaiæ prophetæ. c. 51

HÆC dicit Dóminus Deus: Audíte me, qui sequímini quod justum est et quæritis Dóminum: atténdite ad petram unde excisi estis, et ad cavérnam laci, de qua præcisi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ péperit vos: quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruinas ejus: et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio et vox laudis. Atténdite [5]ad me, pópulus[5] meus, et tribus mea, me audíte: quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem[6] populórum requiéscet. Prope est justus meus, egréssus est salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt: me insúlæ expectábunt, et brachium meum sustinébunt. Leváte óculos vestros in cœlum, et vidéte sub terra deórsum: quia cœli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut hæc interíbunt: salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis justum; pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorábit eos tínea: salus autem mea[7] in sempitérnum erit, et justítia mea[7] in generatiónes generatiónum.

Sequentia Sancti Evangelii. Secundum Matthæum. c. 3

IN illo témpore, Venit Johánnes Baptísta prædicans in deserto Judææ, et dicens: Pœniténtiam ágite: appropinquábit enim regnum cœlórum. Hic est enim, de quo dictum est per Esaíam prophétam dicéntem: Vox clamántis in deserto: Paráte

[1] vias—98.
[2] venit—Vulg. 98.
[3] baptizo—26.
[4] quia in sexta feria legantur Epistola Audite me, Evangelium Venit Johannis si vacaverit.—Grad.
[5] popule—98. 15.
[6] lucem.—Vulg. 98. 13. 15. luce—26.
[7] Vulg. 13. 15. 57. om. 98. 26.

viam Dómini: rectas fácite sémitas ejus. Ipse [1]autem[1] Johánnes habébat vestiméntum de pilis camelórum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locústa et mel silvéstre. Tunc exíbat ad eum Hierosólyma, et omnis Judæa, et omnis régio circa Jordánem; et baptizabántur ab eo in Jordáne, confiténtes peccáta sua.*

Si vero sexta feria non vacaverit: prædicta Epistola et Evangelium omnino prætermittantur: et hoc per totum Adventum, et a Dómine, ne in ira usque ad[2] Quinquagesimam,[2] et ab octava Paschæ usque ad primam dominicam ante Ascensionem Domini, observetur. A Deus ómnium [3]vero[3] usque ad Adventum Domini, si quarta vel quinta feria non vacaverint, tunc in sexta feria legantur Epistola et Evangelium de quarta feria, si vacaverit: sin autem, omnino prætermittantur. Nunquam enim legantur Epistola et Evangelium de quarta feria in secunda feria vel in tertia feria, neque Epistola et Evangelium de sexta feria in quinta feria. Non enim debet servitium anticipari secundum usum Sarum.

Dominica secunda Adventus.

Ad Missam. Officium. Esai. 30

PÓPULUS Sion, ecce Dóminus véniet ad salvándas gentes: et audítam fáciet Dóminus glóriam vocis suæ in lætítia cordis vestri.

Ps. 79 Qui regis Israel, inténde: qui dedúcis velat ovem Joseph.

Repetatur Officium, scilicet, Pópulus Sion. Glória Patri. Pópulus.

Oratio.

EXCITA, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias: ut per ejus advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus per ómnia sæcula sæculórum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos. c. 15

FRATRES, Quæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt: ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. Deus autem patiéntiæ et solátii det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Jesum Christum: ut unánimes, uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Jesu Christi. Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei. Dico enim, Christum Jesum minístrum fuísse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promissiónes patrum: gentes autem super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est: Proptérea confitébor tibi in Géntibus, Dómine, et nómini tuo cantábo. Et íterum dicit; Lætámini, Gentes, cum plebe ejus. Et íterum: Laudáte, omnes Gentes, Dóminum, et magnificáte eum, omnes pópuli: et rursum Esaías ait: Erit radix Jesse, et qui exsúrget régere Gentes; in eum Gentes sperábunt. Deus autem spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo: ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti.

[1] enim—98.
[2] Quadragesimam—Grad.
[3] om. 13.

Gradale. Ps. 49 Ex Sion spécies decóris ejus: Deus [1]noster[1] manifeste véniet.
℣. Congregáte illi sanctos ejus: qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia. Allelúya.
℣. Luc. 21 Virtútes cœli movebúntur: et tunc vidébunt Fílium Hóminis veniéntem in núbibus cœli cum potestáte et majestáte magna.

Sequentia.

REGNANTEM sempiterna per sæcla susceptura concio devota concrepa:
Divino sono Factori reddendo debita:
Cui jubilant agmina cœlica,
ejus vultu exhilarata:
Quem expectant omnia terrea
ejus nutu examinanda:
Districtum ad judicia,
Clementem in potentia:
Tua nos salva, Christe, clementia
propter quos passus es dira.
Ad poli astra subleva nitida
qui sorde tergis sæcula.
Influat salus vera
effugans pericula.
Omnia ut sint munda
tribue pacifica.
Ut hic tua salvi misericordia,
Læti regna post adeamus supera,
Quo regnas sæcula per infinita.

Evangelium. Secundum Lucam. c. 21

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis, Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressúra Géntium, præ confusióne sónitus maris et flúctuum; arescéntibus homínibus præ timóre et expectatióne, quæ supervénient univérso orbi: nam virtútes cœlórum movebúntur. Et tunc vidébunt Fílium Hóminis veniéntem in nube cum potestáte magna et majestáte. His autem fíeri incipiéntibus, respícite, et leváte cápita vestra: quóniam appropínquat redémptio vestra. Et dixit illis similitúdinem: Vidéte ficúlneam et omnes árbores: cum prodúcunt jam ex se fructum, scitis quóniam prope est æstas. Ita et vos cum vidéritis hæc fíeri, scitóte quóniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cœlum et terra transíbunt: verba autem mea non transíbunt.

Offertorium. Ps. 84 Deus, tu [2]convérsus[2] vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.
℣. Benedixísti, Dómine, terram tuam, avertísti captivitátem Jacob: remisísti iniquitátem plebis tuæ.
℣. Misericórdia et véritas obviavérunt sibi, véritas de terra orta est, et justítia de cœlo prospéxit.

Secreta.

PLACÁRE, quæsumus, Dómine, humilitátis nostræ précibus et hóstiis; et ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum, tuis nobis succúrre præsídiis. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Bar. 4 et 5 Hierúsalem, surge et sta in excélso, et vide jocunditátem quæ véniet tibi a Deo tuo.

Postcommunio.

REFÉCTI cibo potuque spirituális alimóniæ, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut hujus participatióne mystérii dóceas nos terréna despícere et amáre cœléstia. Per Dóminum.

[1] deest in Vulg. 98. 13.
[2] conversus—8. 13. 15. 57. convertens—94. 98. 26.

Feria quarta hebdomadæ secundæ Adventus.

Epistola. Lectio Zachariæ Prophetæ. c. 8

Hæc dicit Dóminus exercítuum: Revérsus sum ad Sion, et habitábo in médio Hierúsalem: et vocábitur Hierúsalem Cívitas veritátis, et Mons Dómini exercítuum, mons sanctificátus. Hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Adhuc habitábunt senes et anus in pláteis Hierúsalem: et viri báculus in manu ejus præ multitúdine diérum. Et pláteæ civitátis complebúntur infántibus et puéllis ludéntibus in pláteis ejus. Hæc dicit Dóminus exercítuum: Si difficile vidébitur in óculis reliquiárum pópuli hujus in diébus illis,[1] numquid in óculis meis difficile erit, dicit Dóminus exercítuum.[2] Hæc dicit Dóminus exercítuum:[2] Ecce ego salvábo pópulum meum de terra oriéntis, et de terra occásus solis; et addúcam eos, et habitábunt in médio Hierúsalem: et erunt mihi in pópulum, et ego ero eis in Deum in veritáte et in justítia, dicit Dóminus omnípotens.

Evangelium. Secundum Matthæum. c. 11

In illo témpore, Dixit Jesus turbis [3]Judæórum[3] et discípulis suis, Amen dico vobis, inter natos mulíerum non surréxit major Johánne Baptísta: qui autem minor est in regno cœlórum, major est illo. A diébus autem Johánnis Baptístæ usque nunc, regnum cœlórum vim pátitur, et violénti rápiunt illud. Omnes enim prophétæ et lex usque ad Johánnem prophetavérunt: et si vultis recípere, ipse est Helías, qui ventúrus est. Qui habet aures audiéndi, áudiat.

Feria Sexta.

Epistola. Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 62

Hæc dicit Dóminus Deus; Super muros Hierúsalem constítui custódes: tota die et [4]tota[4] nocte in perpétuum non tacébunt. Qui reminiscímini Dómini, ne taceátis, et ne detis siléntium ei, donec stabíliat, et donec ponat Hierúsalem laudem in terra. Jurávit Dóminus in déxtera sua, et in bráchio fortitúdinis suæ: Si dédero tríticum tuum ultra cibum inimícis tuis: et si bíberint fílii alienígenæ vinum tuum, in quo laborásti. Quia qui congregábunt illud cómedent, et laudábunt Dóminum: et qui compórtant illud bibent in átriis sanctis meis. [5]Transíte,[5] transíte per portas, præparáte viam pópulo, planum fácite iter, et elígite lápides, et eleváte signum ad pópulos. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ, Dícite fíliæ Sion: Ecce salvátor tuus venit: et ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram illo. Et vocábunt eos, Pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis, Quæsíta cívitas, et Non-derelícta.

Evangelium. Secundum Johannem. c. 1

In illo témpore, Johánnes testimónium perhibébat de Dómino, et clamábat dicens; Hic [6]est[6], quem dixi; Qui post me ventúrus est, ante me factus est: quia prior me erat. Et de plenitúdine ejus nos omnes accépimus[7] grátiam pro grátia. Quia

[1] dicit Dominus exercituum.—26.
[2] deest in 26.
[3] ita 13. 15. 57—om. 98. 26.
[4] om. 98
[5] deest in 15. 26.
[6] erat—Vulg. 98. 13.
[7] et—Vulg. 26.

lex per Moysen data est, grátia et véritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: Unigénitus Fílius qui est in sinu Patris, ipse [1]enarrábit.[1]

Dominica tertia Adventus Domini.

Ad Missam. Officium. Phil. 4

GAUDÉTE in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis: sed in omni oratióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

Psalmus. Et pax Dei quæ exsúperat omnem sensum: custódiat corda vestra et intelligéntias vestras.

Oratio.

AUREM tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda: et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra. Qui vivis.

Ad Corinthios. 1 c. 4

FRATRES, Sic nos exístimet homo ut minístros Christi et dispensatóres ministeriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut a vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum: sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus: qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium: et tunc laus erit unicuíque a Deo.

Gradale. Ps. 79 Qui sedes, Dómine, super Chérubin, éxcita poténtiam tuam et veni.

℣. Qui regis Israel, inténde; qui dedúcis velut ovem Joseph. Allelúya.

℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni ut salvos fácias nos.

Sequentia.

QUI regis sceptra forti
dextra solus cuncta,
Tu plebi tuam ostende
magnam excitando potentiam.
Præsta illi dona salutaria,
Quem prædixerunt prophetica vaticinia.
A clara poli regia,
In nostra, Jesu, veni, Domine, arva.

Secundum Matthæum. c. 11

IN illo témpore, Cum audísset Johánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi; Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? Et respóndens Jesus ait illis: Eúntes renunciáte Johánni quæ audístis et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dícere ad turbas de Johánne: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam prophétam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

Offertorium. Ps. 84 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob: remisísti iniquitátem plebis tuæ.

[1] enarravit—Vulg. 26. 57.

℣. Operuísti ómnia peccáta eórum: mitigásti omnem iram tuam
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.

Secreta.

DEVOTIÓNIS nostræ tibi, Dómine, quæsumus, hóstia júgiter immolétur, quæ et sacri péragat institúta mystérii, et salutáre tuum nobis mirabíliter operétur. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Esai. 35 Dícite, pusillánimes confortámini et nolíte timére: ecce Deus noster véniet et salvábit nos.

Postcommunio.

IMPLORÁMUS, Dómine, cleméntiam tuam: ut hæc divína subsídia a vítiis expiátos, ad festa ventúra nos præparent. Per Dóminum.

Feria quarta
Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Esai. 45

ORÁTE, cœli, désuper; et nubes pluant justum; aperiátur terra et gérminet Salvatórem.

Psalmus. Et justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

Sequatur oratio sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut redemptiónis nostræ ventúra solémnitas et præséntis nobis vitæ subsídia cónferat, et ætérnæ beatitúdinis prǽmia largiátur. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c.2

IN diébus illis, Dixit Esaías prophéta; Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Hierúsalem. Et judicábit gentes, et árguet pópulos multos: et conflábunt gládios suos in vómeres, et lánceas suas in falces: non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prœlium. Domus Jacob veníte, et ambulémus in lúmine Dómini Dei nostri.

Gradale. Ps. 23 Tóllite portas, príncipes, vestras; et elevámini portæ æternáles, et introíbit rex glóriæ.
Versus. Quis ascéndet in montem Dómini: aut quis stabit in loco sancto ejus: innocens mánibus et mundo corde.

Hic non repetatur Gradale, sed statim sequatur Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

FESTÍNA, quæsumus, Dómine, ne tardáveris: et auxílium nobis supérnæ virtútis impénde: ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur, qui in tua pietáte confídunt. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Hic dicuntur memoriæ consuetæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 7

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens; Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz; Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit; Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus,

quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Gradale. Ps. 144 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: ómnibus qui ínvocant [1]eum[1] in veritáte.
Versus. Laudem Dómini loquétur os meum: et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus.
Repetatur Gradale.

Sequentia sancti Evangelii. Secundum Lucam. c. 1

In illo témpore, Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit; Ave grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei; Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum; Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei; Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi; ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis est sextus illi, quæ vocátur sterilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María; Ecce ancílla Domini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Offertorium. Luc. 1 Ave María, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.
Versus. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei.
Et dicitur cum suo versu.

Secreta.

Salutári jejúnio competéntes, Dómine, hóstias immolámus: præsta ut ad nativitátem Panis ætérni his offíciis præparémur. Per eúndem.
Præfatio Quotidiana.

Communio. Esai. 7 Ecce virgo concípiet et páriet Fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio.

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices deprecámur: ut cujus lætámur gustu, renovémur efféctu. Per Dóminum.

Feria sexta Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Ps. 118

Rope esto, Dómine, et omnes viæ tuæ véritas: inítio cognóvi de testimóniis tuis, quia in ætérnum tu es.
Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

Excita, [2]quǽsumus,[2] Dómine, poténtiam tuam et veni; ut hi qui in tua

[1] nomen ejus.—13.
[2] deest in 26.

pietáte confidunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte.

Léctio Esaíæ Prophétæ. c. 11

HÆC dicit Dóminus Deus; Egrediétur virga de radíce Jesse; et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini: Spíritus sapiéntiæ et intelléctus, Spíritus consílii et fortitúdinis, Spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum Spíritus timóris Dómini: non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus: et fides cinctórium renum ejus.

Gradale. Ps. 84 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Versus. Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.

Repetatur Gradale.

Secundum Lucam. c. 1

IN illo témpore, Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda; et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elízabeth: et exclamávit voce magna et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María. Magnificat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Offertorium. Ps. 84 Deus, tu [1]convérsus[1] vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam; et salutáre tuum da nobis.

℣. Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob: remisísti iniquitátem plebis tuæ.

℣. [2]Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: véritas de terra orta est, et justítia de cœlo prospéxit.[2]

Secreta.

SACRIFÍCIIS, quæsumus, Dómine, salutáribus his diébus aptémur propénsius, quibus illud est mystérium celebrándum, cui servit omnis execútio mandatórum. Per Dóminum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Zach. 14 Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna.

Postcommunio.

PÉRFICE, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam pópulo supplicánti: quem tuórum reféctum largitáte donórum, et instántius grátiam postuláre majórem, et fiduciálius speráre concédas. Per Dóminum.

Sabbato Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Ps. 79

ENI et osténde nobis fáciem tuam, Dómine: qui sedes super chérubin, et salvi érimus.

Psalmus. Qui regis Israel, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.

[1] convertens—94. 98. Grad.
[2] deest in 98.

Omnes orationes sine Dóminus vobíscum dicuntur, præter ultimam quæ est ante Epistolam, sed tantum cum Orémus. Et omnes lectiones cum suis titulis legantur.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nostra pravitáte afflígimur: concéde propítius, ut ex tua visitatióne consolémur. Qui vivas et regnas cum Deo Patre in unitáte ejúsdem.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 19

IN diébus illis, Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur[1] ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 18 A summo cœlo egréssio ejus: et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

℣. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Non repetatur Gradale: sed dicatur statim Orémus.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sub peccáti jugo ex vetústa servitúte deprímimur, expectáta Unigéniti Fílii tui nova nativitáte liberémur. Qui tecum vivit et regnat.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 35

HÆC dicit Dóminus; Lætábitur desérta et ínvia; et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit lætabúnda et laudans. Glória Líbani data est ei: decor Carméli et Saron. Ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite, Pusillánimes confortámini, et nolíte timére: ecce Deus noster ultiónem addúcet retributiónis, Deus ipse véniet, et salvábit nos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum, quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida in stagnum, et sítiens in fontes aquárum, ait Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 18 In sole pósuit tabernáculum suum: et ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

℣. A summo cœlo egréssio ejus: et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Oratio.

INDÍGNOS nos, quæsumus, Dómine, fámulos tuos, quos actiónis própriæ culpa contrístat, unigéniti Fílii tui advéntu lætífica, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 40

HÆC dicit Dóminus Super montem excélsum ascénde, tu, qui evangelízas Sion. Exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Hierúsalem. Exálta, noli timére. Dic civitátibus Judæ. Ecce Deus vester. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et bráchium ejus dominábitur. Ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in bráchio suo congregábit agnos, et in sinu suo levábit eos, Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 79 Dómine Deus virtútum,

[1] Ægyptii—13. 15.

convérte nos: et osténde fáciem tuam et salvi érimus.
℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam et veni: ut salvos fácias nos.
Sequatur Orémus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut Fílii tui ventúra solémnitas et præséntis nobis vitæ remédia cónferat et prǽmia ætérna concédat. Per eúndem Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 45

HÆC dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram, ut subjíciam ante fáciem ejus Gentes, et dorsa regum vertam, et apériam coram eo jánuas, et portæ non claudéntur. Ego ante te ibo, et gloriósos terræ humiliábo, portas æreas cónteram, et vectes férreos confríngam. Et dabo tibi thesáuros abscónditos, et arcána secretórum [1]revelabo,[1] ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israel propter servum meum Jacob, et Israel eléctum meum. Et vocávi te nómine tuo. Assimilávi te, et non cognovísti me. Ego Dóminus, et non est ámplius: extra me non est Deus. Accínxi te, et non cognovísti me. Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidénte, quóniam absque me non est Deus. Ego Dóminus, et non est alter, formans lucem, et creans ténebras, fáciens pacem, et creans malum. Ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet salvatórem, et justítia oriátur simul, ego Dóminus creávi eum.

Gradale. Ps. 79 Excita, Dómine, poténtiam tuam et veni: ut salvos fácias nos.
℣. Qui regis Israel inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph. Qui sedes super Chérubin: appáre coram Ephraim, Bénjamin, et Manásse.
Sequitur Orémus.

Oratio.

PRECES pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pietátis tuæ visitatióne consolémur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 3[2]

ANGELUS Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffúsa est super fornácem cúbitis quadragínta novem, et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldǽis minístros regis qui eam incendébant. Illos autem omníno non tétigit ignis, neque contristávit, nec quicquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant et glorificábant et benedicébant Deum in fornáce dicéntes.

Duo clerici de secunda forma in superpelliciis ad gradum chori [3]cantent[3] Tractum.

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum.
℣. Et laudábilis et gloriósus in sǽcula.
Chorus idem repetat. Clerici Versum.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ quod est sanctum.

[1] non habent Vulg. 13. 15.
[2] Quæ legatur hic in Adventu usque ad hanc clausulam, Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum. In Sabbato vero Quatuor temporum primæ hebdomadæ Quadragesimæ legatur usque ad Benedictus es, Domine, in firmamento. In Sabbato vero Pentecostes et in Sabbato Quatuor temporum mensis Septembris tota integra legatur—Grad.
[3] simul dicant—Grad.

Chorus dicat.
Et laudábile et gloriósum in sæcula.
Clerici Versum.
Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ.
Chorus.
Et laudábilis et gloriósus in sæcula.
Clerici Versum.
Benedíctus es super thronum sanctum regni tui.
Chorus.
Et laudábilis et gloriósus in sæcula.
Clerici Versum.
Benedíctus es super sceptrum regni divinitátis tuæ.
Chorus.
Et laudábilis et gloriósus in sæcula.
Clerici Versum.
Benedíctus es qui sedes super Chérubin íntuens abýssos.
Chorus.
Et laudábilis et gloriósus in sæcula.
Clerici Versum.
Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum.
Chorus.
Et laudábilis et gloriósus in sæcula.
Clerici Versum.
Benédicant te omnes angeli et sancti tui.
Chorus.
Et laudent te et glorífícent in sæcula.
Clerici Versum.
Benedícant te cœli, terra, mare, et ómnia quæ in eis sunt.
Chorus.
Et laudent te et glorífícent in sæcula.
Clerici Versum.
Glória Patri et Fílio: et Spirítui Sancto.
Chorus.
Et laus, et honor, potéstas, et impérium.
Clerici Versum.
Sicut erat in princípio et nunc et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.
Chorus.
Et laus, et honor, potéstas et impérium.

Deinde clerici reincipiant primum versum Tractus, et percantetur a choro. Et postea dicat sacerdos Dóminus vobíscum et Orémus. Oratio.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium; concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Hic dicuntur memoriæ consuetæ.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: ad Thessalonicenses. 2 c. 2

FRATRES, Rogámus vos, per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum, ut non cito moveámini a vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo, quóniam nisi vénerit discéssio primum, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adversátur et extóllitur supra omne, quod dícitur Deus aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat, osténdens se tanquam sit Deus. Non retinétis quóniam, cum adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid detíneat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis, tantum, ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne advéntus sui.

Duo clerici de secunda forma in capis nigris, hoc est in habitu quotidiano,[1] ad gradum chori simul dicant totum et integrum istum Tractum. (Ps. 79)

[1] ita 94. 97. 26—non habent 92.98. oL. oP. 4L. 8RM. 13. 15. Grad.

Qui regis Israel, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.
℣. Qui sedes super Chérubin, appáre coram Ephraim, Bénjamin, et Manásse.
℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam et veni: ut salvos fácias nos.

Secundum Lucam. c. 3

ANNO quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, tetrárcha autem Galilææ Heróde, Philíppo autem fratre ejus tetrárcha Iturææ et Trachonítidis regiónis, et Lysánia Abilínæ tetrárcha, sub princípibus sacerdótum Anna et Caípha, factum est verbum Dómini super Johánnem Zacharíæ fílium in desérto. Et venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. Sicut scriptum est in libro sermónum Esaíæ prophétæ. Vox clamántis in desérto. Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas, et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Offertorium. Zach. 9 Exúlta satis, fília Sion, prædica, fília Hierúsalem: ecce rex tuus [1]venit,[1] sanctus et salvátor.
℣. Loquétur pacem géntibus, et potéstas ejus a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terræ.

Secreta.

SUPER has hóstias fidélium, Dómine, quæsumus, propítio vultu réspice, et quia nostris méritis non valémus, his pótius munéribus tuo occúrsui commendémur, Qui vivis et regnas.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 18 Exultávit ut gigas ad curréndam viam: a summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster, ut sacrosáncta mystéria quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti, et præsens nobis remédium esse fácias et futúrum. Per Dóminum.

In quacunque feria dies Nativitatis Domini contigerit, semper jejunia Quatuor temporum in tertia hebdomada Adventus Domini celebrentur.

Dominica quarta Adventus Domini.

Ad Missam. Officium. Ps. 105

MEMÉNTO nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: vísita nos in salutári tuo: ad [2]vidéndum[2] in bonitáte electórum tuórum, in lætítia gentis tuæ: ut laudéris cum hæreditáte tua.

Psalmus. Peccávimus cum pátribus nostris: injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Kýrie eléison.

Oratio.

EXCITA, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, et magna nobis virtúte succúrre, ut[3] auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret, Qui vivis.

[1] veniet tibi—98. 8RM. 13. 15. Vulg. venit tibi—94. Grad. venit—26. 57.
[2] ita 94. 98. 8RM. 13. 15. 26. Vulg. vivendum—34. 54. 55P. 57.
[3] ita 94. 98. per, addunt 8RM. 13. 15. 26. 57.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses. c. 4

FRATRES, Gaudéte in Dómino semper, íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus. Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne et obsecratióne, cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 144 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: ómnibus qui ínvocant eum in veritáte.

℣. Laudem Dómini loquétur os meum: et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus. Allelúya.

℣. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ.

Sequentia.

JUBILEMUS omnes una
Deo nostro, qui creavit omnia,
Per quem cuncta condita sunt sæcula.
[1]Cœloque plurima luce corusca[1]
et diversa sunt sidera
Sol mundi schema, noctium decus luna,
cæteraque splendentia,
Mare, solum, et alta, plana,
ac profunda flumina.
Aeris ampla spatia, quæ
discurrunt aves, venti
atque pluvia.
Hæc simul cuncta tibi Deo
soli Patri militant.
Nunc, et in ævum sine fine
per sæcula laus eorum
tua gloria.
Qui pro salute nostra prolem unicam
Pati in terram misisti sine culpa, sed ob
nostra delicta.
Te, Trinitas, precamur, ut corpora nostra
et corda,
Regas, et protegas, et dones peccatorum
veniam.

Secundum Johannem. c. 1

IN illo témpore, Misérunt Judæi ab Hierosólymis sacerdótes et levítas ad Johánnem, ut interrogárent eum. Tu quis es? Et conféssus est, et non negávit, et conféssus est. Quia non sum ego Christus. Et interrogáverunt eum. Quid ergo? Helías es tu? Et dixit. Non sum. Prophéta es tu? Et respóndit. Non. Dixérunt ergo ei. Quis es, ut respónsum demus his, qui misérunt nos? quid dicis de teipso? Ait. Ego vox clamántis in deserto. Dirígite viam Dómini, sicut dicit Esaías prophéta. Et qui missi fúerant, erant ex Pharisæis. Et interrogáverunt eum et dixérunt ei. Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Helías, neque Prophéta? Respóndit eis Johannes, dicens. Ego baptízo in aqua, médius autem vestrum stetit, quem vos nescítis. Ipse est, qui post me ventúrus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceaménti. Hæc in Bethánia facta sunt trans Jordánem, ubi erat Johánnes baptízans.

Offertorium. Esai. 35 Confortámini et [2]jam[2] nolíte timére: ecce enim Deus noster retríbuet judícium: ipse véniet et salvos nos fáciet.

℣. Tunc aperientur oculi cæcorum: et aures surdorum audient: tunc ascendet claudus quasi cervus, et clara erit lingua mutorum.

Secreta.

SACRIFÍCIIS præséntibus, quæsumus, Dómine, placátus inténde, quibus ad

[1] ita 98. 8RM. 13. 15. 26. 34. 54. cœlum quod plurima luce coruscat—94. 55P. 57.
[2] deest in 26. 57. Vulg.

Fílii tui nativitátem suscipiéndam purificémur. Per eúndem.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Esai. 7 Ecce virgo concípiet et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio.

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, donórum tuórum largitáte prosequere: ut a malis ómnibus sacramentórum tuórum virtúte protéctus: ad ineffábile mystérium celebrándum et mente præparétur et córpore. Per Dóminum.

Feria quarta.

Lectio Johelis Prophetæ. c. 2 et 3

Hæc dicit Dóminus Deus. Exultáte, fíliæ Sion, et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis doctórem justítiæ, et descéndere fáciet ad vos imbrem matutínum et serótinum, sicut in princípio. Et implebúntur áreæ fruménto, et redundábunt torculária vino et óleo. Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester hábitans in Sion in monte sancto meo, et erit Hierúsalem sancta, et aliéni non transíbunt per eam ámplius. Et erit in die illa, stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Dómini egrediétur, et irrigábit torréntem spinárum. Ægýptus in desolatiónem erit et Idumæa in desértum perditiónis, pro eo quod iníque egérunt in fílios Judæ et effudérunt sánguinem innocéntem in terra sua. Et Judæa in ætérnum habitábitur, et Hierúsalem in generatióne et generatiónem. Et mundábo sánguinem eórum, quem non mundáveram, et Dóminus commorábitur in Sion, a sæculo et usque in sæculum.

Secundum Lucam. c. 7

In illo témpore, Exiit sermo in univérsam Judæam de Jesu et omnem circa regiónem. Et nunciavérunt Johánni discípuli ejus de ómnibus his. Et convocávit duos de discípulis suis Johánnes, et misit ad Jesum, dicens. Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? Cum autem veníssent ad eum viri, dixérunt. Johánnes Baptísta misit nos ad te dicens. Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? (In ipsa autem hora curávit multos a languóribus suis, et plagis, et spirítibus malis, et cæcis multis donávit visum.) Et respóndens dixit illis. Eúntes renunciáte Johánni quæ vidístis et audístis, quia cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur, et beátus est qui non fúerit scandalizátus in me. Et cum discessíssent núncii Johánnis, cœpit dícere de Johánne ad turbas. Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestiméntis indútum? Ecce qui in veste pretiósa sunt et in delíciis, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? prophétam? Utique dico vobis, et plusquam prophétam. Hic est, de quo scriptum est. Ecce[1] mitto ángelum meum ante fáciem tuam qui præparábit viam tuam ante te. Dico enim vobis. Major inter natos muliérum prophéta Johánne Baptísta nemo est, qui autem minor est in regno cœlórum, major est illo.

Feria sexta.

Lectio Zachariæ Prophetæ. c. 2

Hæc dicit Dóminus. Lauda et lætáre, fília Sion, quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tui, ait Dóminus. Et ap-

[1] ego—26.

plicabúntur Gentes multæ ad Dóminum in die illa, et erunt mihi in pópulum, et habitábo in médio tui, et scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te. Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificáta, et éliget adhuc Hierúsalem. Síleat omnis caro a fácie Dómini, quia consurréxit de habitáculo sancto suo, dicit Dóminus omnípotens.

Secundum Marcum. c. 8

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis. Vidéte et cavéte a ferménto Pharisæórum, et ferménto Heródis. Et cogitábant ad altérutrum, dicéntes. Quia panes non habémus. Quo ágnito, ait illíus Jesus. Quid cogitátis, quia panes non habétis? nondum cognóscitis nec intellígitis? adhuc cæcátum habétis cor vestrum? Oculos habéntes non vidétis? et aures habéntes non audítis? Nec recordámini, quando quinque panes fregi in quinque míllia, et quot cóphinos fragmentórum plenos sustulístis. Dicunt ei, Duódecim. Quando et septem panes in quátuor míllia hóminum; quot sportas fragmentórum tulístis? Et dicunt ei. Septem. Et dicébat eis. Quómodo nondum intellígitis? Et véniunt Bethsáidam, et addúcunt ei cæcum, et rogábant eum ut illum tángeret. Et apprehénsa manu cæci, edúxit eum extra vicum, et éxspuens in óculos ejus, impósitis mánibus suis, interrogávit eum si quid vidéret. Et aspíciens, ait. Vídeo hómines velut arbóres ambulántes. Deínde íterum impósuit manus super óculos ejus, et cœpit vidére, et restitútus est ita ut clare vidéret ómnia. Et misit illum in domum suam, dicens. Vade in domum tuam, et si in vicum introíeris, némini díxeris.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Ad Missam. Officium. Exod. 16

Hódie sciétis quia véniet Dóminus et salvábit vos, et mane vidébitis glóriam ejus.

Ps. 23 Dómini est terra et plenitúdo ejus: orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Si hæc vigilia in Dominica evenerit, dicitur cantus super Kýrie, Sanctus et Agnus, sicut in festo simplici novem lectionum, sin autem, dicitur cantus feriæ.

Oratio.

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua expectatióne lætíficas, præsta, ut Unigénitum tuum quem redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum; Qui tecum.

Nulla fiat memoria.

Unus puer acolytus legat lectionem, alba indutus, ad gradum chori; tamen si Dominica fuerit, legatur in pulpito, et semper cum suo titulo.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 42

Hæc dicit Dóminus Deus. Propter Sion non tacébo, et propter Hierúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt Gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum, et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra Derelícta,

et terra tua non vocábitur ámplius Desoláta: sed vocáberis Volúntas mea in ea, et terra tua inhabitábitur quia complácuit Dómino in te.

Deinde absque intervallo legatur Epistola.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos. c. 1

Fratres, Paulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis, de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem, qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndum Spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum, Jesu Christi Dómini nostri. Per quem accépimus grátiam et Apostolátum ad obediéndum fídei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi Dómini nostri.

Gradale. Exod. 16 Hódie sciétis quia véniet Dóminus et salvábit nos: et mane vidébitis glóriam ejus.

℣. Ps. 79 Qui regis Israel, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph. Qui sedes super chérubin, appáre coram Ephraim, Bénjamin et Manásse.

Si hæc Vigilia in Dominica evenerit, missa de Dominica in capitulo dicitur; et tunc fiat memoria de sancta Maria et de omnibus sanctis tantum. Missa vero de Vigilia ad authenticum altare sine aliqua memoria, cum hoc Allelúya.

℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ: et regnábit super nos Salvátor mundi.

Sequentia Jubilemus.

Si vero Dominica non fuerit, tunc Allelúya et Sequentia prætermittantur.

Secundum Matthæum. c. 1

In illo tempore Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus et nollet eam tradúcere: vóluit occúlte dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei, dicens: Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium: et vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Offertorium. Ps. 23 Tóllite portas, príncipes, vestras: et elevámini portæ æternáles,[1] et introíbit rex glóriæ.[1]

℣. Dómini est terra et plenitúdo ejus: orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Iste versus, si Dominica fuerit, eo anno prætermittatur.

Secreta.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut sicut[2] adoránda Fílii tui natalítia prævenímus, sic ejus múnera capiámus sempitérna gaudéntes. Per eúndem.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Esai. 40 Revelábitur glória Dómini: et vidébit omnis caro salutáre Dei nostri.

Postcommunio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, Unigéniti Fílii tui recensíta nativitáte respiráre, cujus cœlésti mystério páscimur et potámur. Per eundem.

[1] non habet 26.
[2] ad—26.

In nocte nativitatis Domini.

Post nonam lectionem cantetur hoc Evangelium in pulpito a Diacono.

Initium sancti Evangelii; secundum Matthæum.[1]

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esrom. Esrom autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem genuit Naáson. Naáson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Raab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem genuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abía autem génuit Asam. Asa autem genuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóathan. Jóathan autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechias autem génuit Manássem. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam et fratres ejus, in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem genuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíachim. Elíachim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoch. Sadoch autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Finito Evangelio, sacerdos[2] incipiat Psalmum Te Deum: quo dicto rectores chori incipiant missam.

Ad Missam in gallicantu.

Officium. Ps. 2

DÓMINUS dixit ad me, Fílius meus es tu: ego hódie génui te.

Ps. Quare fremuérunt gentes: et pópuli meditáti sunt inánia.

Kýrie cum suis versibus. Sequatur Glória in excélsis more duplicis festi.

Sciendum quod semper ad missam dicitur Glória in excélsis, quoties ad matutinas dicitur Te Deum: nisi missa Salus pópuli vel missa de Cruce vel missa dominicalis in aliquo festo trium lectionum vel infra octavas sine regimine chori cantanda fuerit. Quando vero aliqua missa de vigilia vel de festo trium lectionum[3] in capitu-

[1] Dum nonum Responsorium canitur procedat Diaconus cum Subdiacono et cum thuribulario et ceroferario et acolyto crucem deferente omnibus in solemni apparatu indutis ad thurificandum altare, accepta benedictione ab executore officii, per medium chori ad cantandum evangelium in pulpito accedat. Dominus vobíscum. Et cum spiritu tuo. Initium sancti Evangelii secundum Matthæum. Gloria tibi, Domine.—Grad.

[2] in capa serica.—Grad.

[3] dicitur in capitulo die dominica; tunc dicatur cantus super Kýrie et Glória in excélsis; quando Glória in excélsis dicitur, dicitur et Allelúya et Sanctus et Agnus.—Grad.

lo die Dominica dicitur: tunc etiam dicitur cantus super Kýrie, Glória in excélsis, quando dicitur Sanctus et Agnus Dei[3] et Ite missa est sicut in festo trium lectionum. Similiter fiat quando dicitur missa dominicalis in capitulo die Dominica; tunc etiam dicetur Credo.

Oratio.

DEUS, qui hanc sacratíssimam noctem veri lúminis fecísti illustratióne claréscere: da quæsumus, ut cujus lucis mystéria in terra cognóvimus, ejus quoque gáudiis in cœlo perfruámur. Qui tecum.

Duo clerici de secunda forma in capis sericis in pulpito simul cantent lectionem.

Laudes Deo dicam per sæcula, qui me plasmávit in manu déxtera, atque redémit cruce purpúrea sánguine Nati.

Hic cantetur alternatim

Léctio Esaíæ Prophétæ.

IN qua Christi lúcida vaticinátur natívitas.

Hæc dicit Dóminus.

Pater, Fílius, Sanctus Spíritus, in quo sunt ómnia cóndita supérna atque ima.

Pópulus géntium qui ambulábat in ténebris
Quem creásti: quem fraude súbdola hostis expúlit paradíso: et captivátum secum traxit ad tártara;

Vidit lucem magnam;
Fulsérunt et immánia nocte média pastóribus lúmina.

Habitántibus in regióne umbræ mortis: Lux
Sempitérna et redémptio vere nostra,[1]

Orta est eis.

O stupénda natívitas,

Párvulus enim natus est nobis,
Magnus hic erit Jesus Fílius Dei.

Et Fílius
Patris summi,

Datus est nobis.
Ab arce summa prædíctum sic erat.

Et factus est principátus super húmerum ejus,
Ut cœlos regat atque arva.

Et vocábitur nomen ejus, Messías, Sother, Emmánuel, Sábaoth, Adonai.

Admirábilis,
Radix David,

Consiliárius
Dei Patris,

Deus
Qui creávit ómnia,

Fortis,
Bárathri claustra perimens teterrima

Pater futúri sæculi,
Rex omnípotens et cuncta regens,

Princeps pacis,
Hic et in ævum.

Multiplicábitur ejus impérium.
In Hierúsalem, Judæa, sive Samaría,

Et pacis non erit finis,
Per sæcula sempitérna,

Super sólium David, et super regnum ejus sedébit,
Et regni meta sui non erit áliqua.

[2]Et[2] confírmet illud,
In fídei pígnore.

Et corróboret in judício et justítia,
Judex cum vénerit judicáre sæculum.

A modo
Illi debétur glória, laus et jubilátio.

Et usque in sempitérnum.

Hic cantent simul usque ad finem.

Ab ortu solis usque[3] occíduos, ad fines

[1] nova.—Grad. 94. 26.
[2] Ut—26.
[3] ad—94. 26. 57.

mundi orbis per climáta laus Creatóri resónet cóngrua. Amen dicant ómnia.

Ubi non habetur cantus, legatur Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 9

HÆC dicit Dóminus Deus, Pópulus géntium, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus Admirábilis, consiliárius, Deus fortis, pater futúri sæculi, princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium, et pacis non erit finis. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit: ut confírmet illud, et corróboret in judício et justítia, amodo et usque in sempitérnum.

Sine intervallo legatur Epistola. Ad Titum. c. 2

CHARÍSSIME, Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem et sæculária desidéria, sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sæculo. Expectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi: qui dedit semetípsum pro nobis, ut nos redímeret ab [1]omni[1] iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, et exhortáre, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 109 Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: ex útero ante lucíferum génui te.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum.

Allelúya. ℣. Ps. 2 Dóminus dixit ad me, Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Sequentia.

DATO canunt omnia
Domino pie agmina,
Syllabatim pneumata
perstringendo organica,
Hæc dies sacrata,
in qua nova sunt gaudia
mundo plene edita.[2]
Hac nocte præcelsa
intonuit et gloria
in voce angelica.
Fulserunt et immania
nocte media
pastoribus lumina.
Dum fovent sua pecora
subito diva
percipiunt monita.
Natus alma Virgine
qui extat ante sæcula;
Est immensa in cœlo
gloria, pax et in terra.
Sic ergo cœli caterva
altissime jubilat,
Et tanto canore tremat
alta poli machina.
Sonet et per omnia
hac in die gloria
voce clara reddita.
Humana concrepent cuncta
Deum natum in terra.
Confracta sunt imperia
hostis crudelissima;
Pax in terra reddita,
nunc lætentur omnia
Nati per exordia,
Solus qui tuetur omnia,
Solus qui condidit omnia,
Ipse sua pietate solvat
omnia peccata nostra.

[1] non habet 26.
[2] dedita—95. 26. 57. reddita 55P.

Evangelium more duplicis festi: Secundum Lucam. c. 2

In illo témpore, Exiit edíctum a Cæsare Augústo ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est a præside Sýriæ Cyríno. Et ibant omnes ut profiteréntur sínguli in suam civitátem. Ascéndit autem et Joseph a Galiléa de civitáte Názareth in Judæam civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: eo quod esset de domo et família David, ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte. Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret. Et péperit fílium suum primogénitum, et pannis eum invólvit, et reclinávit eum in præsépio: quia non erat ei locus in diversório. Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes, et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. Et ecce ángelus Dómini stetit juxta illos, et cláritas Dei circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. Et dixit illis ángelus, Nolíte timére: ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. Et hoc vobis signum: Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio. Et súbito facta est cum ángelo multitúdo milítiæ cœléstis laudántium Deum, et dicéntium, Glória in altíssimis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.[1]

Credo.

Offertorium. Ps. 95 Læténtur cœli et exúltet terra ante fáciem Dómini: quóniam venit.

Secreta.

Accépta sit tibi, Dómine, quæsumus, hodiérnæ festivitátis oblátio, ut, tua grátia largiénte, per hæc sacrosáncta commércia in illíus inveniámur forma, in quo tecum est nostra substántia, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Præfatio.

Quia per incarnáti.

[2]Hæc præfatio dicitur in die Nativitatis Domini ad omnes missas, et quotidie per hebdomadam, et in die Circumcisionis Domini, et in omnibus missis de sancta Maria ab hac die usque ad Purificationem. Communicántes vero dicitur tantum usque ad Circumcisionem et in die Circumcisionis.[2]

Communio. Ps. 109 In splendóribus sanctórum ex útero ante lucíferum génui te.

Postcommunio.

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, ut qui Nativitátem Dómini nostri Jesu Christi nos frequentáre gaudémus: dignis conversatiónibus ad ejus mereámur pertingere consórtium. Qui tecum.

Ad Missam in aurora.

Officium. Esai. 9

Lux fulgébit hódie super nos; quia natus est nobis Dóminus: et vocábitur Admirábilis, Deus, princeps pacis, pater futúri sæculi: cujus regni non erit finis.

Ps. 92 Dóminus regnávit, decórem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem et præcínxit se.

[1] Et legatur in pulpito more duplicis festi—94. 26.
[2] non habet Grad.

Ad hanc missam Kýrie, absque versibus, Glória in excélsis, Sanctus et Agnus, sicut in festo simplici novem lectionum dicuntur.

Oratio.

DA, quǽsumus, omnípotens Deus, ut qui nova incarnáti Verbi tui luce perfúndimur: hoc in nostro respléndeat ópere quod per fidem fulget in mente. Per eúndem.

Memoria de sancta Anastasia cum hac Oratione.

DA, quǽsumus, omnípotens Deus, ut qui beátæ Anastásiæ martyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Ad hanc missam non dicuntur plures Orationes vel pauciores. Sequens Lectio legatur in pulpito ab uno clerico de secunda forma.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 61

HÆC dicit Dóminus, Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit me: ad annunciándum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam, et clausis apertiónem: ut prædicárem annum placábilem Dómino, et diem ultiónis Deo nostro: ut consolárer omnes lugéntes: et pónerem [1]consolatiónem[1] lugéntibus Sion: et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris: et vocabúntur in ea fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ. Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: et ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram illo. Et vocábunt eos Pópulus sanctus, redémpti a Dómino.[2]

Sine intervallo. Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: ad Titum. c. 3

CARÍSSIME, Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti: quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 117 Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus et illúxit nobis.

℣. A Dómino factum est istud: et est mirábile in óculis nostris.

Allelúya. ℣. Ps. 92 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem et præcínxit se virtúte.

Sequentia.

SONENT Regi nato nova cantica,
Cujus Pater fecit omnia,
mater est virgo sacratissima.
Generans hic nescit fœminam,
illa est sine viro gravida.
Verbum corde Patris
genitum ante sæcula,
Alvus matris gessit
corporatum per tempora.
O mira genitura,
O stupenda nativitas!
O proles gloriosa,
humanata Divinitas!
Sic te nasciturum, Fili Dei,
vates, docti tuo Spiritu, dixerant;
Sic te oriente laudes tibi cantant,
pacem terris angeli nunciant.
Elementa vultus exhilarant;
Omnes sancti gaudentes jubilant;

[1] fortitudinem.—98. 4L. deest V.
[2] Et legatur in pulpito ab uno solo clerico de secunda forma in superpellicio. Sequatur Epistola.—Grad.

Salve clamando, nosque salva,
Deitas, in personis trina
Simplex usia.

Evangelium in pulpito more dominicali legatur. Secundum Lucam.
c. 2

IN illo témpore, Pastóres loquebántur ad ínvicem. Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dóminus et osténdit nobis. Et venérunt festinántes: et invenérunt Maríam, et Joseph, et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt: et de his, quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum in ómnibus, quæ audíerant et víderant, sicut dictum est ad illos.

Credo.

Offertorium. Ps. 92 Deus enim firmávit orbem terræ qui non commovébitur: paráta sedes tua, Deus, ex tunc; a sæculo tu es.

Secreta.

MÚNERA nostra, quæsumus, Dómine, nativitátis hodiérnæ mystériis apta provéniant: ut sicut Homo génitus idem refúlsit Deus: sic nobis hæc terréna substántia cónferat quod divínum est. Per eúndem.

Alia Secreta.

HÆCCIPE, quæsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beátæ Anastásiæ suffragántibus méritis ad nostræ salútis auxílium proveníre[1] concéde. Per.

Præfatio et Communicántes ut supra.

Communio. Zach. 9 Exúlta,[2] fília Sion, lauda[2] fília Hierúsalem: ecce rex tuus venit sanctus et salvátor mundi.

Postcommunio.

HUJUS nos, Dómine, quæsumus, sacraménti semper [3]natális[3] novítas instáuret: cujus natívitas singuláris humánam répulit vetustátem. Per eúndem.

Alia Postcommunio.

SATIÁSTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris; ejus quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

In die Nativitatis Domini ad tertiam Missam.

Officium. Esai. 9

PUER natus est nobis et Fílius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus, et vocábitur nomen ejus magni consílii ángelus.

Ps. 97 Cantáte Dómino canticum novum: quia mirabília fecit.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos Unigéniti tui nova per carnem natívitas líberet: quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem. Qui tecum.

[1] provenire—13. 15. 26. 57. pervenire—94. 98. 4L. 8RM.
[2] sic 94. 98. 4L. 13. 15. 57. non habent 8RM. 26.
[3] deest in 34. 54. 55P. habent 26. etc.

Sequens lectio legatur in pulpito ab aliquo de superiori gradu in superpellicio: Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 52

HÆC dicit Dóminus; Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annunciántis et prædicántis pacem: annunciántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion, Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum: levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt cum convérterit Dóminus Sion. Gaudéte et laudáte simul, deserta Hierúsalem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Hierúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium Géntium: et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.[1]

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: ad Hebræos. c. 1

FRATRES, Multifárie[2] multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis, novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constituit herédem universórum, per quem fecit et sæcula: qui cum sit splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis: tanto mélior angelis efféctus, quanto differéntius præ illis nomen hæreditávit. Cui enim dixit aliquándo ángelórum. Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum, Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in fílium? Et[3] cum íterum[3] introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit, Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spíritus, et minístros suos flammam ignis. Ad Fílium autem, Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ particípibus tuis. Et, Tu in princípio, Dómine, terram fundásti, et ópera mánuum tuárum sunt cœli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, et omnes ut vestiméntum veteráscent: et velut amíctum mutábis eos, et mutabúntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Gradale. Ps. 97 Vidérunt omnes fines terræ: salutáre Dei nostri: jubiláte Deo omnis terra.

℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Allelúya. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte, gentes, et adoráte Dóminum, quia hódie descéndit lux magna super terram.

Sequentia.

CŒLESTE organum hodie sonuit
in terra.
Ad partum virginis superum
cecinit caterva.
Quid facis, humana turba,
cur non gaudes cum supera?
Vigilat pastorum cura,
vox auditur angelica,
[4]Cantabant[4] inclyta carmina,
plena pace et gloria.
[5]Ad Christum[5] referunt propria,
nobis canunt ex gratia.

[1] Qua lecta, absque intervallo incipiatur Epistola.—Grad.
[2] multifariam—98. Vulg.
[3] ita 26. etc. iterum cum—34. 54. 55P.
[4] cantant—55P. cantent—34. 54. cantabant—26 etc.
[5] ita 26. etc. Christo—34. 54. 55P.

Nec cunctorum sunt hæc dona;
sed mens quorum erit bona.
Nec sunt absolute data,
sed decenter sunt prolata.
Affectus deserant vitia,
et sic nobis pax est illa,
quia bonis est promissa.
Junguntur superis terrea,
ob hoc quidem laus est juncta,
sed decenter fit divisa.
Gaude homo cum perpendis
talia,
Gaude caro facta Verbi socia.
[1]Iste versus ter dicatur.[1]
Nunciant ejus ortum sidera
lucis per indicia.
Ineunt duces gregum lumina
Bethlehem usque prævia.
Invenitur Rex cœlorum
inter animalia.
Arcto jacet in præsepe
Rex qui cingit omnia.
Stella maris, quem tu paris,
colit hunc Ecclesia.
Ipsi nostra per te pia
placeant servitia.
Resonent cuncta redempta.

Initium sancti Evangelii: secundum Johannem.

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. Et lux in tenébris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine: ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Offertorium. Ps. 88 Tui sunt cœli et tua est terra: orbem terrárum et plenitúdinem ejus tu fundásti; justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Secreta.

Oblata, Dómine, múnera nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica; nosque a peccatórum nostrórum máculis [2]cleménter[2] emúnda. Per eúndem.

Communio. Ps. 97 Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor, ita et immortalitátis sit ipse largítor. Qui tecum.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habet 98.

In die sancti Stephani Protomartyris.

Ad Missam. Officium. Ps. 118

TENIM sedérunt príncipes et adversum me loquebántur, et iníqui persecúti sunt me. Adjuva me, Dómine Deus meus, quia servus tuus exercebátur in tuis justificatiónibus.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere: quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Memoria de Nativitate tantum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 6 et 7

IN diébus illis, Stéphanus plenus grátia et fortitúdine faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellabatur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant a Cilícia et Asia, disputántes cum Stéphano: et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui qui loquebátur. Audiéntes autem hæc dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei, et ait; Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris virtútis Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem, lapidábant: et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem, Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens, Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

Gradale. Ps. 118 Sedérunt príncipes et adversum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me.

℣. Ps. 108 Adjuva me, Dómine Deus meus: salvum me fac propter misericórdiam tuam. Allelúya.

℣. Act. 7 Vídeo cœlos apértos: et Jesum stantem a dextris virtútis Dei.

Sequentia.

QUAGNUS Deus in universa terra.
Magna sunt ejus ubique omnia in cœlo, atque in terra opera.
Qui est Rex regum Dominus omnium, a Patre genitus ante sæcula.
Cujus charitas vera cœlo sublevat Stephanum de terra;
Atque perenni vita ornat candida digniter corona.
Plenus etenim Stephanus Deitate atque gratia,
Magna dabat prodigia docens verissima dogmata.
Cum autem prædicaret jam præsentia
Nostræ redemptionis nova gaudia;
Intento in superna, cœli patet janua,
Dixitque circumstanti plebi voce publica,
Sacra plenus gratia.
Ecce [1]Dei[1] video admirabilem gloriam
Claritate fulgida, Atque Jesum stantem in virtutis Dei dextera.
Cum hoc audisset impia gens Judaica,
Dans fremitum concita,

[1] Dei—94. 98. 4PV. 13. non habent 4L. 8RM. 26. 57.

Quassat lapidibus Stephani membra;
Sed stat fortiter patiens martyr et orat,
Ne his, Christe, noxam statuas,
Sed jam accipe animam meam.
Et cum [1]hoc[1] dixisset, in Domino obdormivit pace æterna.
Tu et nobis martyr, O Stephane sempiterna impetra gaudia.

Iste ultimus versus dicitur trina vice in hoc festo, et in Inventione ejusdem.

Secundum Matthæum. c. 23

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæorum et princípibus sacerdótum. Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas; et ex illis occidétis, et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem: ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ fílii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Hierúsalem, Hierúsalem, quæ occídis prophétas, et lápidas eos, qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluísti? Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis; non me vidébitis ámodo, donec dicátis, Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Credo.

Offertorium. Act. 6 et 7 Elegérunt Apóstoli Stéphanum Levítam, plenum fide et Spíritu Sancto: quem lapidavérunt Judæi orántem et dicéntem, Dómine Jesu, áccipe spíritum meum. Allelúya.

Secreta.

Súscipe, Dómine, quæsumus, múnera pro sancti commemoratióne mártyris tui Stephani, ut sicut illum pássio fecit gloriósum, ita nos devótio reddat innócuos. Per Dóminum.

Communio. Act. 7 Vídeo cœlos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei. Dómine Jesu, áccipe spíritum meum: et ne státuas illis hoc peccátum, quia nesciunt quid faciunt.

Postcommunio.

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria, et intercedénte beato Stéphano protomártyre tuo, sempitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

In die sancti Johannis Evangelistæ.

Ad Missam. Officium. Eccli. 15

In médio ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stola glóriæ índuit eum.

In tempore Paschali additur Allelúya. Allelúya.

Psalmus. Jocunditátem et exultatiónem: thesaurizávit super eum.

Oratio.

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, benígnus illústra, ut beáti Johánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Memoria de Nativitate et de sancto Stephano tantum.

[1] sic 94. 98. 4L. 13. 15. 57. Grad. Et cum—8RM. 26. Hæc cum—34. 54. 55P.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 15

QUI timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est justítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta. Cibábit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum. Et firmábitur in illo, et non flectétur; et continébit illum, et non confundétur, et exaltábit illum apud próximos suos. In médio ecclésiæ apériet os ejus; et implébit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stola glóriæ induet eum. Jocunditátem et exultatiónem thesaurizábit super eum; et in nómine ætérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

Gradale. Johan. 21 Exiit sermo inter fratres, quod discípulus ille non móritur.
℣. Sed sic eum volo manére donec véniam: tu me séquere.
Allelúya. ℣. Hic est discípulus ille qui testimónium pérhibet de his, et scimus quia verum est testimónium ejus.

Sequentia.

JOHANNES, Jesu Christo multum dilecte virgo,
Tu, ejus amore, carnalem
In nave parentem liquisti.
Tu lene conjugis pectus respuisti, Messiam secutus.
Ut ejus pectoris sacra meruisses fluenta potare.
Tuque in terra positus, gloriam conspexisti Filii Dei,
Quæ solum sanctis in vita creditur contuenda esse perenni.
Te Christus in cruce triumphans matri suæ dedit custodem,
Ut virgo virginem servares atque curam suppeditares.
Tute carcere flagrisque fractus testimonio pro Christi es gavisus.
Idem mortuos suscitas, inque Jesu nomine venenum forte vincis.
Tibi summus tacitum cæteris Verbum suum Pater revelat.
Tu nos omnes precibus sedulis apud Deum semper commenda,
Johannes Jesu chare.

Iste ultimus versus ter dicatur in hoc festo tantum.

Evangelium: secundum Johannem. c. 21

IN illo témpore, Dixit Jesus Petro, Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem diligébat Jesus, sequéntem, qui et recúbuit in cœna super pectus ejus, et dixit: Dómine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidísset Petrus, dixit Jesu: Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesus, Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? tu me séquere. [1]Exiit[1] ergo sermo iste inter fratres, quia discípulus ille non móritur. Et non dixit ei Jesus, quia non móritur: sed, Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc: et scimus, quia verum est testimónium ejus.
Credo.

Offertorium. Ps. 91 Justus ut palma florébit; sicut cedrus quæ in Líbano est, multiplicábitur.
In tempore paschali, Allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE múnera, quæsumus, Dómine, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio. Johan. 21 Exiit sermo inter fratres quod discípulus ille non móritur. Et non dixit Jesus, non móritur, sed Sic eum volo manére donec véniam.
In tempore paschali, Allelúya.

[1] exivit—98. Vulg.

Postcommunio.

Refécti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus; ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

In die Sanctorum Innocentium Martyrum.

Ad Missam. Officium. Ps. 8

x ore infántium, Deus, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

Deus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes mártyres non loquéndo sed moriéndo conféssi sunt; ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat per.

Memoria de Nativitate, de sancto Stephano, et de sancto Johanne tantum.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis Apostoli. c. 14

In diébus illis, Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cœlo, tanquam vocem aquárum multárum, et tanquam vocem tonítrui magni: et vocem, quam audívi, sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis. Et cantábant quasi cánticum novum ante sedem Dei, et ante quátuor animália et senióres: et nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadragínta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti; vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit. Hi empti sunt ex [1]omnibus[1] primítiæ Deo et Agno. Et in ore ipsórum non est invéntum mendácium: sine mácula [2]enim[2] sunt ante thronum Dei.

Gradale. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium.

℣. Láqueus contrítus est; et nos liberáti sumus. Adjutórium nostrum in nómine Dómini qui fecit cœlum et terram.

Allelúya. ℣. Te martýrum candidátus laudat exércitus, Dómine.

Sequentia.

Celsa pueri concrepent melodia,
[3]Eia[3] innocentum canentes tripudia,
Quos infans Christus hodie vexit ad astra.
Hos trucidavit frendens insania
Herodianæ fraudis ob nulla crimina,
In Bethleem[4] ipsius cuncta et per[4] confinia,
A bimatu et infra juxta nascendi tempora.
Herodes rex Christi nati verens infelix imperia,
Infremit totus, et erigit arma superba dextera,
Quærit lucis et cœli Regem cum mente turbida,

[1] homínibus—MR
[2] non habent 26. 57.
[3] pia—94. 98. 4L. 13.
[4] sic 26. etc. et per ipsius cuncta—34. 54. 55P.

Ut extinguat qui vitam præstat per sua jacula.
Dum non valent intueri lucem splendidam nebulosa quærentis pectora,
Ira fervet, fraudes auget Herodes sævus, ut perdat piorum agmina.
Castra militum dux iniquus aggregat; ferrum figit in membra tenera;
Inter ubera lac effundit, antequam sanguinis fierent coagula.
Hostis naturæ natos eviscerat atque jugulat.
Ante prosternit quam ætas parvula sumat robora.
Quam beata sunt Innocentium ab Herode cæsa corpuscula.
Quam Felices existunt matres, quæ fuderunt talia pignora.
O dulces Innocentium acies! O pia lactentium pro Christo certamina!
[1]Parvulorum[1] trucidantur millia, membris ex teneris manant lactis flumina.
Cives angelici veniunt in obviam,
Mira victoria vitæ captat præmia turba candidissima.
Te, Christe, petimus mente devotissima,
Nostra qui venisti reformare sæcula, Innocentium gloria
Perfrui nos concedas per æterna.

Secundum Matthæum. c. 2

In illo témpore Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum et matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit Púerum et matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: ex Ægýpto vocávi fílium meum. Tunc Heródes videns quóniam illúsus esset a Magis, irátus est valde, et mittens occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem et in omnibus fínibus ejus, a bimátu et infra, secúndum tempus, quod exquisíerat a Magis. Tunc adimplétum est quod dictum est per Hieremíam prophétam dicéntem: Vox in Rama audíta est, plorátus et ululátus multus: Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt.

Credo.

Offertorium. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

Secreta.

Adésto, Dómine, munéribus Innocéntium festivitáte sacrándis, et præsta; ut eórum sinceritátem póssimus imitári, quorum tibi dicátam venerámur infántiam. Per Dóminum.

Communio. Matth. 2 Vox in Rama audíta est plorátus et ululátus, Rachel plorans fílios suos et nóluit consolári quia non sunt.

Postcommunio.

Votíva, Dómine, dona percépimus, quæ sanctórum [2]Innocentium[2] nobis précibus et præsentis vitæ, quæsumus, páriter et ætérnæ tríbue conférre subsídium. Per.

[1] sic 55P. 57. parvorum—26. 34. 54. etc.
[2] non habent 94. 26.

In die sancti Thomæ Martyris.

Ad Missam. Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Thomæ mártyris: de cujus passióne gaudent angeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 63 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timore inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, pro cujus Ecclésia gloriósus póntifex Thomas[1] gládiis impiórum occúbuit; præsta quæsumus ut omnes qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per.

Memoria de Nativitate, de sancto Stephano, de sancto Johanne et de Innocentibus tantum.

Epistola Omnis Pontifex, in Communi unius Episcopi et Martyris. Gradale. Posuísti, Dómine. Allelúya. ℣. Glória et honore coronásti.

Sequentia.

SOLEMNE canticum hodie
resonet in terra.
Ad palmam martyris exultet
superum caterva.
Quid facis, turba jocunda?
Gratulare cum supera.
Jubilet mens lætabunda,
psallat Christo vox libera.
[2]Colat et[2] festa dominica
devota Cantuaria.
Intonat jussa tyrannica
turbulenta militia.
Diræ leges et mandata
insolerter sunt prolata.
Loca Christo consecrata
profanavit vis armata.
Sed Christi sic in vestigio
stabant Thomæ pedes recti,
ut nequirent inde flecti.
In sui Regis obsequio
arbitratus lucrum mori,
caput offert percussori.

Iste sequens versus ter dicatur.

Gaude, Thoma, de cujus victoria
Ortus Christi cumulantur gaudia.
Martyris declaratur gloria
crebra per indicia;
Curantur per ejus suffragia
languidorum millia.
Trucidatur flos pastorum
inter sanctuaria.
Nec diei nec locorum
obstat reverentia.
Stella maris, quæ lætaris
te lactasse Filium,
Hunc precamur assequamur
ut Thomæ consortium
Ejus prece gloriosa.

Evangelium Homo quidam nóbilis in Communi unius Episcopi et Martyris. Credo. Offertorium. Posuísti, Dómine.

Secreta.

SALUTÁRIS hóstiæ munus sacrándum, quæsumus, Dómine, beátus Thomas Póntifex et Martyr nobis ad salútem fore depóscat: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis ejus percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Communio. Magna est.

[1] hodierna die—98.
[2] colebat—98. 4L.

Postcommunio.

ADJUVET nos omnípotens et miséricors Deus per hæc sancta quæ súmpsimus beáti Mártyris tui atque Pontíficis Thomæ intercéssio veneránda, qui pro tui nóminis honóre glorióso méruit coronári [1]martýrio.[1] Per Dóminum.

Sexta die a nativitatis Domini, sive Dominica fuerit sive non.

Ad Missam. Officium. Sap. 18

UM médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter háberet, omnípotens sermo tuus, Dómine,[2] de cœlis[2] a regálibus sédibus venit.

Ps. 92 Dóminus regnávit, decórem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem et præcínxit se.

Repetatur Officium. Deinde dicatur Glória Patri et Sicut erat. Tertio repetatur Officium.

Kýrie eléison, Glória in excélsis, Sanctus, et Agnus, sicut in festo simplici novem lectionum, dicuntur hac die, sive dominica fuerit sive non.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo, ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre. Qui tecum.

Memoria [3]de Nativitate,[3] de sancto Stephano, de sancto Johanne, de Innocentibus, et de sancto Thoma tantum.

Ad Galatas. c. 4

FRATRES, Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre: ita et nos cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi hujus erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis fílii Dei, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamántem, Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius. Quod si fílius: et hæres per Deum.

Gradale. Ps. 44 Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est gratia in lábiis tuis. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi: lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.

Allelúya. ℣. Ps. 92 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem et præcínxit se virtúte.

Hac die semper, sive dominica fuerit sive non, dicatur ista Sequentia.

CHRISTI hodierna celebremus natalitia,
Cœlica resonent clare camenas agmina.
Nunc regis celebrando gratulanter nuptias.
[4]Lux[4] nova jam terras illustrat, veteres pellens tenebras,
Reserat superna gratia diu clausa palatia.
Felix mater, et sola intacta virgo et puerpera.

[1] non habet 26.
[2] non habent 26. 57.
[3] non habent 94. 26.
[4] lex—98. 8. 26. 57.

Jam nato stas gravida, cum viri sis cubilis nescia.
Omnis caterva nostra te rogat, Domina,
Solvas quo nostra cuncta peccaminum vincula, virgo [1]sempiterne[1] beata.
Digna fuisti sola tollentem crimina
Intra[2] uteri claustra portare, qui gubernat omnia supera infera.
Hunc sua laudant facta gaudentes bona qua vivunt super essentia.
Nos humillima turba damus debita poscentes ejus clementiam.
Ut nostra præstans tempora nunc quieta, det [3]placita[3] frui vita, utilia [4]donando[4] famulis munera;
Ac inter nos discrimina sæva solvens, post funera derelicta, sedem ducat mortis ac malorum ignaram,
Ubi ad dexteram Patris almam sedet, conregnans coæternus per omnia,
Potenter cuncta disponendo cum eo sæcla præsentia et futura,
Beata justis donans omnibus præmia
Præclara qua lux vere micat; quæ est salus æterna et nostra gloria.

Secundum Lucam. c. 2

In illo témpore, Erant Joseph et María mater Jesu mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israel: et in signum, cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser: hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua erat usque ad annos octogínta quátuor: quæ non discedébat de templo, jejúniis, et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora supervéniens confitebátur Dómino: et loquebátur de illo ómnibus, qui expectábant redemptiónem Israel. Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galiláeam in civitátem suam Názareth. Puer autem crescébat, et confortabátur, plenus sapiéntia: et grátia Dei erat in illo.

Credo.

Offertorium. Ps. 92 Deus enim firmávit orbem terræ qui non commovébitur: paráta sedes tua, Deus, ex tunc: a sæculo tu es.

Secreta.

Accépta, Dómine, quæsumus, sacrifícium plebis tuæ: quam Jesu Christi Fílii tui [5]Dómini[5] nostri júbeas esse consórtem, qui [6]humanitátis[6] nostræ dignátus est fíeri párticeps. Qui tecum.

Communio. Matth. 2 Tolle Púerum et matrem ejus, et vade in terram Juda; defúncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri.

Postcommunio.

Sumpto sacrifício, quæsumus, Dómine, tua generáliter exúltet Ecclésia: quo infirmitátes ejus sunt assúmptæ, ut divínæ párticeps fíeret ipsa substántiæ. Per.

[1] sic 26. etc. sempiterna—55P. 57.
[2] tui 98. 4L.
[3] placida.—Grad.
[4] sic 26. etc. dando—55P. 57.
[5] Dei—94. 98.
[6] humilitatis—8RM. 13.

In die sancti Silvestri.

Officium. Sacerdótes tui induántur.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Silvéstri confessóris tui atque pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

Memoria de Nativitate, de sancto Stephano, de sancto Johanne, de Innotibus, et de sancto Thoma.

Epistola, Ecce sacérdos, in Communi unius Confessoris. Gradale, Ecce sacérdos. Allelúya. ℣. Invéni. Sequentia de Communi. Evangelium, Homo quidam péregre, in Communi unius confessoris, Credo. Offertorium, Invéni David.

Secreta.

ADÉSTO, Dómine, [1]quæsumus, oblatiónibus[1] nostris, nec ullis mentis et córporis patiáris subjacére perículis quos beáti Silvéstri [2]confessóris tui[2] atque pontíficis munit gloriósa conféssio. Per Dóminum.

Communio. Beatus servus.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut hodiérnæ munus sollemnitátis accéptum, intercedénte beáto Silvéstro confessóre tuo atque pontífice, et corpóribus nostris salútem præstet et méntibus. Per Dóminum.

In die Circumcisionis Domini.

Ad Missam.

Officium. Puer natus.

Oratio.

DEUS, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum; fac nos, quæsumus, ejus perpétua Divinitáte muníri, cuius sumus carnáli commércio reparáti. Qui tecum.

Nulla fiat memoria ad hanc missam.

Epistola, Appáruit grátia Dei Salvatóris ut in prima missa in die Nativitatis. Gradale, Vidérunt, ut in tertia missa in die Nativitatis Domini.

Allelúya. ℣. Heb. c. 1 [3]Multifáriam[3] olim Deus loquens pátribus in prophétis, novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio suo.

Sequentia.

QUIA recolamus,
laudibus piis digna
Hujus diei gaudia,
in qua nobis lux
oritur gratissima,
Noctis interit nebula,
pereunt nostri
criminis umbracula.
Hodie sæculo
maris stella est enixa
novæ salutis gaudia,
Quem tremunt baratra,
mors cruenta pavet ipsa,
a quo peribit mortua,
Gemit capta pestis antiqua,
coluber lividus perdit spolia,
Homo lapsus, ovis abducta,
revocatur ad æterna gaudia.

[1] supplicationibus—94. 98. 26.
[2] non habent 94. 98. 26.
[3] multifarie—94. 26. 57.

Gaudent in hac die agmina
angelorum cœlestia,
Quia erat drachma decima
perdita, et est inventa.
O proles nimium beata,
qua redempta est natura.
Deus, qui creavit omnia,
nascitur ex fœmina.
Mirabilis natura
mirifice induta,
assumens quod non erat,
manens quod erat.
Induitur natura
Divinitas humana,
quis audivit talia,
dic rogo facta?
Quærere venerat pastor
pius quod perierat.
Induit galeam, certat
ut miles armatura.
Prostratus in sua propria
ruit hostis spicula;
auferuntur tela,
In quibus fidebat; divisa
sunt illius spolia,
capta præda sua.
Christi [1]pugna[1] fortissima
salus nostra est vera,
Qui nos [2]summam[2] ad patriam
[3]duxit[3] post victoriam,
In qua tibi laus est æterna.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Lucam. c. 2

In illo témpore, Postquam consummáti sunt dies octo ut circumciderétur puer: vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab ángelo priúsquam in útero conciperétur.

Credo.

Offertorium. Tui sunt. ut supra, fol. 34.

Secreta.

Præsta, quæsumus,[4] omnípotens Deus,[4] ut per hæc múnera quæ Dómini nostri Jesu Christi arcánæ nativitátis mystério gérimus, purificátæ mentis [5]intelligéntia[5] consequámur. Per eúndem.

Communio. Vidérunt omnes.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, Dómine, ut quod nati Salvatóris iteráta solemnitáte percépimus, perpétuæ nobis[6] salvatiónis cónferat medicínam.[6] Per eúndem.

In octavis sancti Stephani, sancti Johannis, et sanctorum Innocentium, sive dominica fuerit sive non, ad missam omnia fiant sicut in prima die, præter Sequentiam et Credo et Præfationem.[7] Et dicitur cantus super Kýrie, Glória in excélsis, Sanctus, et Agnus, sicut in festo simplici novem lectionum. Tamen si dominica fuerit, dicitur Credo, sed nulla Sequentia. Et etiam fiant memoriæ de sanctis per ordinem. Memoria autem fiat de sancta Maria in octava sancti Stephani et abhinc usque ad Purificationem, tam in festis quam in feriis et in dominicis nisi in Vigilia Epiphaniæ et in die ejusdem cum Oratione Deus, qui salútis.

In vigilia Epiphaniæ.

Ad Missam. Officium Lux fulgébit ut supra in Aurora, fol. 30. Hac die, si dominica

[1] præda—98.
[2] suam—13.
[3] sic 26. etc. ducat—55P. 57.
[4] Domine—94. 98.
[5] intelligentiam—98.
[6] redemptionis [conferat medicinam?]—94. 26. 57.
[7] quæ erit quotidiana; ita tamen quod in octava sancti Johannis dicitur Præfatio de Apostolis, Et te, Domine, sup.—26.

fuerit, dicitur cantus super Kýrie, Glória in excélsis, Sanctus, et Agnus, sicut in festo simplici novem lectionum; si vero dominica non fuerit, dicitur cantus sicut in festo trium lectionum sine regimine chori et non dicitur Glória in excélsis nec Credo nec Ite missa est, quia quasi vigilia habetur; tamen diaconus et subdiaconus dalmatica et tunica utantur.

Oratio.

CORDA nostra quæsumus, Dómine, ventúræ festivitátis splendor illústret, quo mundi hujus ténebris carére valeámus, et perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ. Per Dóminum.

Memoria de sancto Thoma, Oratio Deus pro cujus.

Memoria de sancto Edwardo rege et confessore. Oratio.

DEUS, qui unigénitum Fílium tuum Dóminum nostrum Jesum Christum gloriosíssimo regi Edwárdo in forma visíbili demonstrásti; tríbue, quæsumus, ut ejus méritis et précibus ad ætérnam ipsíus Dómini nostri Jesu Christi visiónem pertíngere [1]mereámur.[1] Qui tecum.

Non dicuntur plures vel pauciores Orationes ad hanc missam, sive dominica fuerit sive non.

Epistola. Appáruit benígnitas. Gradale. Benedíctus qui venit. ℣. A Dómino. Quære hæc omnia in die Nativitatis Domini ad missam in Aurora.

Sive dominica fuerit sive non, semper hac die dicitur Allelúya. ℣. Dóminus regnávit, sed nulla dicitur Sequentia.

Secundum Matthæum. c. 2

IN illo témpore Defúncto Heróde, ecce ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe Púerum et matrem ejus, et vade in terram Israel: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam Púeri. Qui consúrgens, accépit Púerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire: et admónitus in somnis, secéssit in partes Galilææ: et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per prophétas, Quóniam Nazaræus vocábitur.

Offertorium. Deus enim firmávit, ut in die Nativitatis in Aurora.

Secreta.

TRÍBUE, quæsumus, Dómine, ut eum præséntibus immolémus sacrifíciis et sumámus, quem ventúræ solemnitátis pia múnera præloquúntur, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

De Sancto Thoma Secreta. Salutáris hóstiæ.

Alia Secreta de sancto Edwardo.

SACRIS altáribus assisténtes nos, Dómine, quæsumus, Spíritus Sancti luce perfúnde; ut quod tibi in honóre beáti regis Edwárdi devóte offérimus, nobis ipso interveniénte fiat remédium salutáre. Per. In unitáte ejúsdem.

Præfatio quotidiana. Communio. Tolle púerum. Require in sexta die a Nativitate Domini.

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, digne celebráre mystérium quod in nostri Salvatóris infántia miráculis coruscántibus declarátur, et corporálibus increméntis manifésta designátur humánitas. Per eúndem.

De sancto Thoma Postcommunio Adjuvet.

[1] valeamus—94.

Alia Postcommunio de sancto Edwardo.

VITÁLIS alimóniæ convívio saginátí, quæsumus, Dómine Deus noster, ut beáti regis Edwárdi confessóris tui suffragántibus méritis, cœléstis convívii mereámur esse partícipes. Per.

In nocte [1]Epiphaniæ.

Post nonum Responsorium cantetur[1] hoc Evangelium; Dóminus vobíscum. Et cum spíritu.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Lucam. c. 3

Gloria tibi, Domine.

FACTUM est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto et oránte, apértum est cœlum; et descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cœlo facta est; Tu es fílius meus diléctus, in te compláculit mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph, Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, Qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, Qui fuit Mathathíæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, Qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mathat, Qui fuit Mathathíæ, qui fuit Sémei, qui fuit Joseph, Qui fuit Juda, qui fuit Johánna, qui fuit Resa, Qui fuit Zoróbabel, qui fuit Saláthiel, qui fuit Neri, Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thosan, Qui fuit Hélmadam, qui fuit Her, qui fuit Jesu, Qui fuit Heliézer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, Qui fuit Levi, qui fuit Sýmeon, qui fuit Juda, Qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Elíachim, Qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Máthatha, Qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, Qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, Qui fuit Naáson, qui fuit Amínadab, qui fuit Aram, Qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, Qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, Qui fuit Rágau, qui fuit Phalech, qui fuit Heber, Qui fuit Sale, qui fuit Caínan, qui fuit Arpháxat, Qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, Qui fuit Mathúsale, qui fuit Enoch, qui fuit Jareth, Qui fuit Maláleel, qui fuit Caínan, qui fuit Enos, Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Jesus autem plenus Spíritu Sancto regréssus est a Jordáne.

Finito Evangelio[2] incipiat sacerdos [3]in cappa serica[3] [2] Te Deum laudámus.

[1] vero Epiphaniæ dum nonum ℟. canitur cum suo versu et Glória Patri, procedat diaconus ad thurificandum altare cum subdiacono et thuribulare et ceroferario et acolyto crucem ferente, omnibus solemni apparatu indutis, accepta prius benedictione ab executore officii, per medium Chori in pulpitum accedat ad cantandum.—Grad.

[2] statim sacerdos in stallo suo, capa serica indutus, alta voce incipiat.—Grad.

[3] sic 26. etc.—non habet 55P.

In die Epiphaniæ.

Ad Missam. Officium. Mal. 3

ECCE advénit dominátor Dóminus: et regnum in manu ejus et potéstas et impérium.

Ps. 71 Deus judícium tuum regi da: et justítiam tuam fílio regis.

Ecce. Glória. Ecce. Kýrie Fons.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius, ut qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 60

SURGE, illumináre, Hierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, et mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi: inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annunciántes.

Gradale. ib. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annunciántes.

℣. Surge et illumináre, Hierúsalem, quia glória Dómini super te orta est.

Allelúya. ℣. Matth. 2 Vídimus stellam ejus in oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Sequentia.

EPIPHANIAM Domino
canamus gloriosam,
Qua prolem Dei
vere magi adorant,
Immensam Chaldei
cujus per sæcla
venerantur potentiam.
Quem cuncti prophetæ
præcinere venturum
gentes ad salvandas,
Cujus majestas
ita est inclinata
ut assumeret servi formam.
Ante sæcula
qui Deus et tempora
Homo factus est ex Maria

Sequens versus dicitur ter.[1]

Balaam de quo vaticinans
exibit ex Jacob
rutilans inquit stella,
Et confringet ducum agmina
regionis Moab
maxima potentia.
Huic magi munera
deferunt præclara,
aurum simul thus et myrrham.
[2]Thure Deum prædicant,
auro regem magnum.
hominem mortalem myrrha.[2]
In somnis hos monet
angelus, ne redeant
ad regem commotum propter regna;

[1] Et cantus hujus versus Balaam dicatur super Benedicamus cum Alleluya ad utrasque vesperas et ad matutinas secundum usum Sarum Ecclesiæ.—Grad.

[2] non habet Grad.

Pavebat etenim
nimium regem natum,
verens amittere regni jura,
Magi sibi stella micante prævia,
Pergunt alacres itinera patriam
Quæ eos ducebant ad propriam;
linquentes Herodis mandata.
Qui percussus corde nimium præ ira,
Extemplo mandat infantulos, per cuncta
Inquiri Bethleem confinia,
et mox privari eos vita.
Omnis nunc caterva tinnulum jungat laudibus, organi, pneuma,
Mystice offerens Regi regum Christo munera preciosa,
Poscens ut per orbem regna omnia protegat in sæcula sempiterna.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Matthæum. c. 2

Cum natus esset Jesus in Béthleem Judæ in diébus Heródis regis, ecce magi ab oriénte venérunt Hierosólymam dicéntes; Ubi est qui natus est rex Judæórum? vídimus enim stellam ejus in Oriénte, et vénimus adoráre eum. Audiens autem Heródes rex, turbátus est, et omnis Hierosólyma cum illo. Et cóngregans omnes príncipes sacerdótum et scribas pópuli, sciscitabátur ab eis, ubi Christus nascerétur. At illi dixérunt ei; In Béthleem Judæ; sic enim scriptum est per prophétam; Et tu Béthleem, terra Juda, nequáquam mínima es in princípibus Juda: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israel. Tunc Heródes clam vocátis magis, diligénter dídicit ab eis tempus stellæ, quæ appáruit eis: et mittens illos in Béthleem, dixit; Ite, et interrogáte diligénter de púero: et cum invenéritis, renunciáte mihi, ut et ego véniens adórem eum. Qui cum audíssent regem, abiérunt. Et ecce Stella, quam víderant in Oriénte, antecedébat eos usque dum véniens staret supra ubi erat puer. Vidéntes autem stellam gavísi sunt gáudio magno valde. Et intrántes domum, invenérunt púerum cum María matre ejus, et procidéntes adoravérunt eum; et apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus, et myrrham. Et respónso accépto in somnis ne redírent ad Heródem, per áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

Offertorium. Ps. 71 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent: et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei.

Secreta.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, dona propítius intuére: quibus non jam aurum thus et myrrham profértur, sed quod eísdem munéribus declarátur, immolátur, et súmitur, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum vivit.

Præfatio. Quia cum Unigenitus.

Hæc Præfatio dicitur per totas Octavas, et in Octavis, et Communicantes similiter.

Communio. Matth. 2 Vídimus stellam ejus in oriénte: et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut quæ solémni celebrámus offício, purificátæ mentis intelligéntia consequámur. Per Dóminum.

Quotidie infra Octavas dicitur eadem missa, sed sine Sequentia et Credo. Tamen in Dominica dicitur Credo, sed nulla Sequentia.

Dominica infra Octavas.

Ad Missam dicitur cantus super Kýrie, Glória in Excélsis, Sanctus, et Agnus per ordinem, sicut infra octavas cum regimine chori habetur: cætera sicut in die, præter Sequentiam, cum hoc Evangelio.

Secundum Johannem. c. 1

In illo témpore Vidit Johánnes Jesum veniéntem ad se, et ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Hic est, de quo dixi; Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciébam eum, sed ut manifestétur in Israel, proptérea veni ego in aqua baptízans. Et testimónium perhíbuit Johánnes dicens; Quia vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciébam eum: sed qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit; Super quem víderis Spíritum descendéntem et manéntem super eum, hic est, qui baptízat in Spíritu Sancto. Et ego vidi, et testimónium perhíbui quia hic est Fílius Dei.

Quod si dominica infra octavas non evenerit, tunc in quarta feria infra octavas legatur hoc prædictum Evangelium.

Tertia die infra Octavas,

Fiat memoria de martyribus Luciano sociisque ejus cum oratione de Communi plurimorum martyrum.

In Octavis Epiphaniæ.

Ad Missam. Officium, Ecce advénit.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur. Qui tecum.

Memoria de sancto Hilario confessore.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; et intercessióne beáti Hilárii confessóris tui atque pontíficis, cujus depositiónem celebrámus, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Memoria de sancta Maria.

Deus, qui salútis ætérnæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ.

Dómine Deus meus honorificábo te; laudem tríbuam nómini tuo, qui facis mirábiles res. Consílium tuum antíquum verum fiat. Dómine, excélsum est bráchium tuum, Deus Sábaoth; coróna spei quæ ornáta est glória. Exúltet desértum et exúltent solitúdines Jordánis: et pópulus meus vidébit altitúdinem Dómini et majestátem Dei, et erit congregátus et redémptus per Deum. Et véniet in Sion cum [1]gáudio[1] et lætítia sempitérna: super caput ejus laus et exultátio. [2]Et apériam in móntibus flúmina: in médiis campis fontes dirúmpam, et terram sitiéntem sine aqua infúndam. [3]Ecce puer meus exaltábitur et elevábitur et sublímis erit

[1] gloria—4L. 13. 15.
[2] cap. 41:18
[3] cap. 52:13

valde. [1]Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris: et dicétis in illa die, Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus; notas fácite in pópulis virtútes ejus: cantáte Dómino quia mirabília fecit; annuntiáte hæc in univérsa terra, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Omnes de Saba.

Allelúya. ℣. Vídimus stellam.

Non dicitur Sequentia, licet Dominica fuerit.

Secundum Matthæum. c. 3

In illo témpore Venit Jesus a Galiláea in Jordánem ad Johánnem, ut baptizarétur ab eo. Johánnes autem prohibébat eum, dicens: Ego a te débeo baptizáre, et tu venis ad me? Respóndens autem Jesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implére omnem justítiam. Tunc dimísit eum. Baptizátus autem Jesus, conféstim ascéndit de aqua: et ecce apérti sunt ei cœli, et vidit Spíritum Dei descendéntem sicut colúmbam, et veniéntem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui.

Offertorium. Reges Tharsis et ínsulæ.

Secreta.

Hóstias tibi, Dómine, pro nati Fílii tui apparitióne deférimus, supplíciter exorántes; ut sicut idem nostrórum auctor est múnerum, ita ipse sit miséricors et suscéptor, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Alia Secreta.

Sancti Hilárii précibus tibi, Dómine, quæsumus, grata reddátur oblátio, pro cujus est depositióne immolánda. Per. [2]Præfatio. Quia cum Unigénitus et Communicántes ut in die.[2]

Communio. Vídimus stellam.

Postcommunio.

Cœlésti nos, quæsumus, Dómine, lúmine semper et ubíque præveni: ut mystérium, cujus nos partícipes esse voluísti, et puro cernámus intúitu, et digno percipiámus efféctu. Per Dóminum.

Alia Postcommunio.

Sumptum,[3] Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ, sit nobis, quæsumus, interveniénte beáto Hilário confessóre tuo atque pontífice, vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ. Per Dóminum.

Dominica prima post Octavas Epiphaniæ.

Ad Missam. Officium.

In excélso throno vidi sedére virum quem adórat multitúdo angelórum psalléntes in unum: ecce cujus [4]impérii[4] [5]nomen[5] est in ætérnum.

Ps. 99 Jubiláte Deo, omnis terra; servíte Dómino in lætítia.

Oratio.

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cœlésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt vídeant, et ad implénda quæ víderunt convaléscant. Per Dóminum.

[1] cap. 12:3–5
[2] non habent 94. 98.
[3] sumpsimus—98. 4L. 8. 13. 15.
[4] imperium—98. 57. Grad.
[5] numen—4L. 8. 15. Grad.

Epistola: ad Romanos. c. 12

FRATRES, Obsecro vos per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri: ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, et benéplacens, et perfécta. Dico enim vobis per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem: et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum hábeant: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra, In Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 71 Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui facis mirabília magna solus a sæculo.
℣. Suscípiant montes pacem pópulo tuo et colles justítiam.
Allelúya. ℣. Ps. 99 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia.

Nulla die Dominica per annum dicitur Sequentia ad Missam quando de Dominica agitur, nisi in Adventu et in tempore Paschali, et nisi in Dominica infra hebdomadam Nativitatis Domini.

Secundum Lucam. c. 2

QUM factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Hierosólymam secúndum consuetúdinem diei festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Hierúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Hierúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad illos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc conferens in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, ætáte, et grátia apud Deum et hómines.

Offertorium. Ps. 99 Jubiláte Deo, omnis terra; jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia: intráte in conspéctu ejus in exultatióne: quia Dóminus ipse est Deus.

Secreta.

OBLÁTUM tibi, Dómine, sacrifícium vivíficet nos, quæsumus, semper et múniat. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Luc. 2 Fili, quid fecísti nobis sic? ego et pater tuus doléntes quærebámus te: et quid est quod me quærebátis: nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse?

Postcommunio.

TUA Dómine, sancta libántes, et perfectæ capiámus purgatiónis effectum, et contínuum divínæ defensiónis auxílium. Per Dóminum.

Si tempus adeo breve fuerit ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, quod tres missæ Dominicales, scilicet In excélso throno, Omnis terra, et Adorá-

te, non possint singulæ in singulis cantari hebdomadis, tunc duæ vel tres missæ, si temporis brevitas expetierit, in una eademque hebdomada cantentur. Et si aliquod festum trium lectionum ibidem contigerit, totum fiat servitium de festo usque ad missam, et[1] ad illam missam quæ erit de [2]temporali[2] fiat secunda oratio de ipso festo, tertia de sancta Maria, quarta de omnibus sanctis, quinta pro universali Ecclesia. Cæteræ vero missæ quæ sequuntur eo anno omnino prætermittantur. Hoc etiam bene observetur, quod nunquam ante primam Dominicam post Octavas Epiphaniæ cantetur missa, In excélso throno, nisi quando nulla Dominica inter Octavas Epiphaniæ et Septuagesimam contigerit; tunc enim in feriis primo loco post Octavas Epiphaniæ cantetur, et duæ missæ, scilicet Omnis terra et Adoráte, in feriis sequentibus ejusdem hebdomadæ cantentur: et tunc nihil fiat de festis trium lectionum quæ ibidem contingere possunt. Cum autem prolixum fuerit tempus, Officium Adoráte per tres Dominicas cantetur. Si vero tres fuerint Dominicæ inter Octavas Epiphaniæ et Septuagesimam, ita quod tria Officia [3]prædicta[3] cantentur; tunc in feriis post tertiam Dominicam, si vacaverint, dicantur Epistolæ et Evangelia de quarta et quinta Dominica in missis de die.

Feria quarta.

Epistola: ad Romanos. c. 10

Fratres, Volúntas quidem cordis mei et obsecrátio ad Deum fit pro [4]illis[4] in salútem. Testimónium enim perhíbeo illis, quod æmulatiónem Dei habent, sed non secúndum sciéntiam. Ignoránte enim Dei justítiam, et suam quæréntes statúere, justítiæ Dei non sunt subjécti. Finis enim legis, Christus, ad justítiam omni credénti.

Evangelium: Secundum Matthæum. c. 4

In illo témpore Cum audísset Jesus, quod Johánnes tráditus esset, secéssit in Galilæam: et relícta civitáte Názareth, venit et habitávit in Caphárnaum marítima, in fínibus Zábulon et Néptalim: ut adimplerétur quod dictum est per Esaíam Prophétam: Terra Zábulon et terra Néptalim, via maris trans Jordánem, Galilæa géntium; Pópulus, qui [5]ambulábat[5] in ténebris vidit lucem magnam: et sedéntibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Et exínde cœpit Jesus prædicáre et dícere; Pœniténtiam ágite, appropinquábit enim regnum cœlórum.

Feria sexta.

Ad Romanos. c. 13

Fratres, Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit: Non est enim potéstas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordináta sunt. Itaque qui resístit potestáti, Dei ordinatióni resístit. Qui autem [6]resístunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt:[6] nam[7] qui principántur non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis enim non timére potestátem? Bonum fac, et habébis laudem ex illa: Dei enim miníster est tibi in bonum. Si autem male égeris, time: non enim sine causa gládium portat.

[1] tunc—26
[2] dominica—94. 26. 57.
[3] non habent 94. 98.
[4] incredulis—26. 57.
[5] sedebat—98. Vulg.
[6] resistit ipse sibi damnationem acquirit—26. 57.
[7] principes—26. 57.

Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideóque necessitáte súbditi estóte, non solum propter iram sed étiam propter consciéntiam. Ideo[1] et tribúta præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum serviéntes.

Secundum Lucam. c. 4

In illo témpore Egréssus est Jesus in virtúte Spíritus in Galilǽam, et fama éxiit per univérsam regiónem de illo. Et ipse docébat in synagógis eórum, et magnificabátur ab ómnibus. Et venit Názareth, ubi erat nutrítus, et intrávit secúndum consuetúdinem suam die sábbati in synagógam, et surréxit légere. Et tráditus est illi liber Esaíæ prophétæ. Et ut revólvit librum, invénit locum ubi scriptum erat: Spíritus Dómini super me: propter quod unxit me, evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde, prædicáre captívis remissiónem et cæcis visum, dimíttere confráctos in remissiónem, prædicáre annum Dómini accéptum, et diem retributiónis. Et cum plicuísset librum, réddidit minístro, et sedit. Et ómnium in Synagóga óculi erant intendéntes in eum. Cœpit autem dícere ad illos: Quia hódie impléta est hæc scriptúra in áuribus vestris. Et omnes testimónium illi dabant: et mirabántur in verbis grátiæ, quæ procedébant de ore ipsíus.

[2]Per totam hebdomadam dicitur missa dominicalis, nisi festum intercurrat unde fiat servitium, et nisi quando Missa Salus Populi, vel quando dicitur de festo loci vel de sancta Maria.[2]

Dominica secunda post Octavas Epiphaniæ.

Officium. Ps. 65

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi; psalmum dicat nómini tuo, altíssime.

Psalmus. Jubiláte Deo, omnis terra: psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui cœléstia simul et terréna moderáris; supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dominum.

Ad Romanos. c. 12

Fratres Habéntes donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium ministrándo, sive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in solicitúdine, qui miserétur in hilaritáte. Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum; adhæréntes bono: charitátem fraternitátis invicem diligéntes: Honóre ínvicem præveniéntes: solicitúdine non pigri: Spíritu fervéntes: Dómino serviéntes: spe gaudéntes: in tribulatióne patiéntes: orationi instántes: necessitátibus sanctórum communicántes: hospitalitátem sectántes. Benedícite persequéntibus vos; benedícite et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus: Idípsum ínvicem sentiéntes: Non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes.

[1] enim—26. Vulg.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. 1. 4PV. 26. Grad.

Gradale. Ps. 106 Misit Dóminus Verbum suum et sanávit eos: et erípuit eos de intéritu eórum.
℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus et mirabília ejus fíliis hominum.
Allelúya. ℣. Ps. 148 Laudáte Deum, omnes angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Secundum Johannem. c. 2

In illo témpore Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ: et erat mater Jesu ibi. Vocátus est autem Jesus et discípuli ejus ad núptias. Et deficiénte vino, dixit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus minístris: Quodcúnque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dixit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dixit eis Jesus: Hauríte nunc, et ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factum, et non sciébat unde esset, (minístri autem sciébant, qui háuserant aquam:) vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius est: tu autem servásti vinum bonum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilǽæ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus.

Offertorium. Ps. 65 Jubiláte Deo, univérsa terra: jubiláte Deo, univérsa terra; psalmum dícite nómini ejus: veníte et audíte et narrábo vobis, omnes qui timétis Deum, quanta fecit [1]Dóminus[1] ánimæ meæ. Allelúya.

[1] Deus—8RM. 15.

Secreta.

Ut tibi grata sint, Dómine, múnera pópuli tui supplicántis, ab omni, quǽsumus, eum contagióne perversitátis emúnda. Per Dóminum.

Communio. Johan. 2 Dicit Dóminus; Impléte hýdrias aqua et ferte architriclíno; et dum gustásset architriclínus aquam vinum factum, dicit sponso; Servásti vinum bonum usque adhuc. Hoc signum fecit Jesus primum coram discípulis suis.

Postcommunio.

Augeátur in nobis, Dómine, quǽsumus, tuæ virtútis operátio: ut divínis vegetáti sacraméntis, ad eórum promíssa capiénda tuo semper múnere præparémur. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 1 c. 1

Charíssime, Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum: sed ídeo misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi in vitam ætérnam. Regi autem sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo, honor et glória in sǽcula sæculórum. Amen.

Secundum Marcum. c. 6

In illo témpore, Egréssus Jesus ábiit in pátriam suam: et sequebántur illum discípuli sui: et facto sábbato cœpit in synagóga docére: et multi audiéntes admirabántur in doctrína ejus, dicéntes: Unde huic hæc ómnia? et quæ est sapiéntia, quæ

data est illi: et virtútes tales, quæ per manus ejus efficiúntur? Nonne iste est [1]faber fílius Maríæ,[1] frater Jacóbi et Joseph et Judæ et Simónis? nonne et soróres ejus hic nobíscum sunt? Et scandalizabántur in illo. Et dicébat eis Jesus: Quia non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua, et in cognatióne sua, et in domo sua. Et non póterat ibi virtútem ullam fácere, nisi paucos infírmos impósitis mánibus curávit: et mirabátur propter incredulitátem eórum.

Feria sexta.

Ad Romanos. c. 14

FRATRES, Scio, et confído in Dómino Jesu, quia nihil commúne per ipsum, nisi ei qui exístimat quid commúne esse, illi commúne est. Si enim propter cibum frater tuus scandalizátur aut contristátur: jam non secúndum charitátem ámbulas. Noli cibo tuo illum pérdere, pro quo Christus mórtuus est. Non blasphemétur ergo bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca et potus; sed justítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus. Itaque quæ pacis sunt, sectémur: et quæ ædificatiónis sunt, ínvicem custodiámus. Noli propter escam destrúere opus Dei. Omnia quidem munda sunt: sed malum est hómini, qui per offendículum mandúcat. Bonum est non manducáre carnem, et non bíbere vinum, neque in quo frater tuus offénditur, aut scandalizátur, aut infirmátur. Tu fidem quam habes penes temetípsum; habe coram Deo. Beátus, qui non júdicat semetípsum in eo, quod probat. Qui autem discérnit, si manducáverit, damnátus est; quia non est ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccátum est.

Secundum Lucam. c. 4

IN illo témpore Descéndit Jesus in Caphárnaum civitátem Galiláæ, ibíque docébat illos sábbatis. Et stupébant in doctrína ejus, quia in potestáte erat sermo ipsíus. Et in synagóga erat homo habens dæmónium immúndum et exclamávit voce magna dicens: Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazaréne? venísti pérdere nos? scio te quia sis Sanctus Dei. Et increpávit illum Jesus, dicens: Obmutésce, et exi ab illo. Et cum projecísset illud dæmónium in médium, éxiit ab illo nihílque illum nócuit. Et factus est pavor in ómnibus, et colloquebántur ad ínvicem dicéntes: Quid est hoc verbum, quia in potestáte et virtúte ímperat spirítibus immúndis, et éxeunt? Et divulgabátur fama de illo in omnem locum regiónis.

Dominica tertia post octavas Epiphaniæ.

Ad Missam Officium. Ps. 96

ADORÁTE Deum, omnes angeli ejus. Audívit et lætáta est Sion, et exultavérunt fíliæ Judæ.

Psalmus. Dóminus regnávit, exúltet terra: læténtur ínsulæ multæ.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, infirmitátem nostrum propítius réspice; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis [2]exténde.[2] Per Dóminum.

[1] fabri filius et Mariæ—26. 57.
[2] ostende—98.

Ad Romanos. c. 12

FRATRES, Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos: nulli malum pro malo reddéntes: providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes: non vosmetípsos defendéntes, charíssimi, sed date locum iræ: scriptum est enim: Mihi vindíctam, et ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Gradale. Ps. 101 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine: et omnes reges terræ glóriam tuam.
℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion: et vidébitur in majestáte sua.
Allelúya. ℣. Ps. 96 Dóminus regnávit, exúltet terra: læténtur ínsulæ multæ.

Secundum Matthæum. c. 8

IN illo témpore Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, némini díxeris: sed vade, osténde te sacerdóti, et offer munus tuum, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Cum autem introísset Caphárnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus; Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens Centúrio, ait; Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic; Vade, et vadit: et alio; Veni, et venit: et servo meo; Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit; Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlórum: fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exteriores; ibi erit fletus et stridor déntium. Et dixit Jesus Centurióni; Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Offertorium. Ps. 117 Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me: non móriar sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

VITÆ perpétuæ mystéria veneránda recólimus, te, Dómine, deprecántes; ut et devótis eádem sacrifíciis et dignis opéribus assequámur. Per Dóminum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Luc. 4 Mirabántur omnes de his quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio.

QUOS tantis, Dómine, largíris uti mystériis; præsta, quæsumus, ut effféctibus eórum nos veráciter aptári dignéris. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 15

FRATRES, Obsecro vos, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per ca-

ritatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum: ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta sit in Hierosolyma sanctis ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

Secundum Marcum. c. 3

In illo tempore, Intravit Jesus in synagogam: et erat ibi homo habens manum aridam. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam; Surge in medium. Et dicit eis; Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini; Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.

Feria sexta.

Ad Corinthios. 1 c. 3

Fratres, Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Nemo se seducat; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim; Comprehendam sapientes in astutia sua; Et iterum; Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura; omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.

Secundum Matthæum. c. 4

In illo témpore, Circuíbat Jesus totam Galilæam, docens in synagógis eórum, et prædicans evangélium regni et sanans omnem languórem et omnem infirmitátem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos; et secutæ sunt eum turbæ multæ.

Dominica quarta post Octavas Epiphaniæ.

Officium Adoráte, ut supra Dominica præcedenti.

Oratio.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere; da nobis salútem mentis et córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Ad Romános. c. 13

Fratres, Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis; qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam, Non adulterábis, Non occídes, Non furáberis, Non falsum testimónium dices, Non concupísces, et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur; Díliges próximum tuum sicut teípsum. Di-

léctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

Gradale. Timébunt, gentes. Allelúya. ℣. Dóminus regnávit. Ut supra Dominica præcedenti.

Secundum Matthæum. c. 8

In illo témpore, Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus; erat autem illis ventus contrárius; ipse vero dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, et suscitavérunt eum, dicéntes; Dómine, salva nos, perímus. Et dicit eis; Quid tímidi estis, módicæ fídei. Tunc surgens imperávit ventis et mari, et facta est tranquíllitas magna. Porro hómines miráti sunt, dicéntes; Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei?

Offertorium Déxtera. ut supra Dominica præcedenti.

Secreta.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut hujus sacrifícii munus oblátum fragilitátem nostram ab omni malo purget et múniat. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Mirabántur. ut supra Dominica præcedenti.

Postcommunio.

Múnera tua nos, Deus, et a delectatiónibus terrénis expédiant, et cœléstibus semper ínstruant aliméntis. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 1 c. 7

Fratres, Bonum est homini mulierem non tangere: Propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque mulier virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.

Secundum Lucam. c. 9

In illo tempore, Factum est, ambulantibus discipulis in via, dixit quidam ad Jesum; Sequar te quocumque ieris. Et ait illi Jesus; Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem Hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ait autem ad alterum; Sequere me. Ille autem dicit: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus; Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuncia regnum Dei. Et ait alter; Sequar te, Domine, sed primum permitte mihi renunciare his, quæ domi sunt. Et ait ad illum Jesus; Nemo mittens manum suam ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei.

Feria sexta.

Epistola. Ad Corinthios. 1 c. 7

Fratres, Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed et si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Unusquisque in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum.

Secundum Marcum. c. 10

In illo tempore, Offerebant Jesu parvulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis; Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum [1]cœlorum.[1] Amen dico vobis; Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

Dominica quinta post Octavas Epiphaniæ.

Ad Missam. Officium. Adoráte ut supra Dominica tertia.

Oratio.

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi, ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

Ad Colossénses. c. 3

Fratres, Indúite vos sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, mansuetúdinem, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super hæc ómnia autem, charitátem habéntes, quod est vínculum perfectiónis; et pax Christi exúltet in córdibus vestris, in qua et vos vocáti estis in uno córpore: et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter in omni sapiéntia, docéntes et commonéntes vosmetípsos in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes[2] in córdibus vestris Deo. Omne autem quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini nostri Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo et Patri per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Gradale. Timébunt gentes. Allelúya.

℣. Dóminus regnávit. ut supra Dominica tertia.

Secundum Matthæum. c. 13

In illo témpore Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile factum est regnum cœlórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Cum autem dormírent hómines, venit inimícus ejus, et superseminávit zizánia in médio trítici, et ábiit. Cum autem crevísset herba, et fructum fecísset, tunc apparuérunt et zizánia. Accedéntes autem servi patrisfamílias, dixérunt ei: Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis; Inimícus homo hoc fecit. Servi autem dixérunt ei; Vis, imus, et collígimus ea? Et ait; Non: ne forte colligéntes zizánia, eradicétis simul cum eis et tríticum. Sínite útraque créscere usque ad messem, et in témpore messis dicam messóribus; Collígite primum zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburéndum, tríticum autem congregáte in hórreum meum.

Offertorium Déxtera ut supra Dominica tertia.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, tuorum oblationes precesque servorum: ut

[1] Dei—4L. 15. V.
[2] et psallentes—26. 57.

sub tuæ protectionis auxilio, et collata non [1]perdant,[1] et quæ expetunt apprehendant. Per Dominum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Mirabántur ut supra Dominica tertia.

Postcommunio.

DEUS, qui nos sacramenti tui participatione contingis, virtutis ejus effectus in nostris cordibus operare: ut muneri divino quod sumpsimus, per ipsum munus aptemur. Per.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 1 c. 2

CHARISSIME, Obsecro primum ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro régibus, et ómnibus qui in sublimitáte sunt constitúti, ut quiétam et tranquíllam vitam agámus, in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est et accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Jesus: qui dedit semetípsum in redemptiónem pro ómnibus, cujus testimónium tempóribus suis confirmátum est; in quo pósitus sum ego prædicátor et Apóstolus (veritátem dico, non méntior) doctor géntium in fide et veritáte.

Secundum Matthæum. c. 21

IN illo tempore, Dixit Jesus turbis Judæorum; Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operari in vineam meam. Ille autem respondens, ait; Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterutrum, dixit similiter. At ille respondens, ait; Eo, domine. Et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei; Primus. Dixit illis Jesus; Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei. Venit enim ad vos Johannes in via justitiæ, et non credidistis ei: publicani[2] et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. Qui habet aures audiendi, audiat.

Dominica in Septuagesima.

Ad Missam. Officium. Ps. 17

IRCUMDEDÉRUNT me gémitus mortis; dolóres inférni circumdedérunt me: et in tribulatióne mea invocávi Dóminum, et exaudívit de templo sancto suo vocem meam.

Psalmus. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum et liberátor meus.

Ab hac die usque ad Vigiliam Paschæ non dicitur Gloria in Excelsis[3], de quocunque dicitur missa; nisi Episcopus in Cœna Domini celebraverit.

[1] pereant—94. 26. 57.
[2] autem—26. V.
[3] neque Ite missa est.—26.

Oratio.

PRECES pópuli tui, quæsumus Dómine, cleménter exáudi: ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Epistola. Ad Corinthios. 1 c. 9 et 10

FRATRES, Nescítis quod hi, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis enim, qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant: nos autem incorrúptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áerem vérberans: sed castígo corpus meum et in servitútem rédigo: ne forte cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar. Nolo [1]autem[1] vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in Móyse baptizáti sunt in nube et in mari: et omnes eándem escam spirituálem manducavérunt, et omnes eúndem potum spirituálem bibérunt: bibébant autem de spirituáli, consequénte eos, petra: petra autem erat Christus.

Gradale. Ps. 9 Adjútor in opportunitátibus in tribulatióne: sperent in te qui [2]novérunt[2] te, quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine.

℣. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: patiéntia páuperum non períbit in [3]ætérnum:[3] exúrge, Dómine, non prævá-leat homo.

Non repetatur Gradale quando dicatur Tractus, ut supra.[4]

Tractus. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

℣. Fiant aures tuæ intendéntes: in oratiónem servi tui.

℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

℣. Quia apud te propitiátio est: et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Secundum Matthæum. c. 20

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Conventióne autem facta cum operáriis ex denário diúrno, misit eos in víneam suam. Et egréssus circa horam tértiam, vidit álios stantes in foro otiósos, et dixit illis; Ite et vos in víneam meam, et quod justum fúerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem éxiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. Circa undécimam vero éxiit et invénit álios stantes, et dixit illis; Quid hic statis tota die otiósi? Dicunt ei; Quia nemo nos condúxit. Dixit illis; Ite et vos in víneam meam. Cum sero autem factum esset, dixit dóminus víneæ procuratóri suo; Voca operários, et redde illis mercédem, incípiens a novíssimis usque ad primos. Cum veníssent ergo qui circa undécimam horam vénerant, accepérunt síngulos denários. Veniéntes autem et primi, arbitráti sunt quod plus essent acceptúri: accepérunt autem et ipsi síngulos denários. Et accipiéntes murmurábant advérsus patremfamílias, dicéntes; Hi novíssimi una

[1] enim—26. V.
[2] noverint—94. 26. 57.
[3] finem—8RM. 15.
[4] Non repetatur Gradale. Numquam enim repetatur Gradale quando Tractus habetur a Septuagesima usque ad Cœnam Domini. In Dominicis et in festis novem lectionum canitur Tractus a quatuor clericis de superiori gradu, ut patet in prima Dominica Adventus Domini.—Grad.

hora fecérunt, et pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi et æstus. At ille respóndens, uni eórum dixit: Amíce, non fácio tibi injúriam: nonne ex denário convenísti mecum? Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novíssimo dare sicut et tibi. [1]An[1] non licet mihi quod volo fácere? an óculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novíssimi primi, et primi novíssimi: multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Offertorium. Ps. 91 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.

℣. [2]Quóniam[2] magnificáta sunt ópera tua, Dómine: nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

℣. Ecce inimíci tui, Dómine, períbunt: et dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

[3]Secreta.

QUNÉRIBUS nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis et cleménter exáudi. Per.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Ps. 30 Illúmina fáciem tuam super servum tuum: salvum me fac in tua misericórdia, Dómine, non confúndar: quóniam invocávi te.

Postcommunio.

FIDÉLES tui, Deus, per tua dona firméntur: ut éadem et percipiéndo requírant, et quæréndo sine fine percípiant. Per Dóminum.

[1] ita 15. etc. aut—4L. 13. V.
[2] ita 26. etc. quam—54R. 55P. Grad. V.
[3] Præfatio Quotidiana.—98. 26.
[4] dominica forte—26.
[5] quartam—26.
[6] non habet 98.
[7] sanctorum—26. 57.
[8] ipse—15. 26.

Sciendum est, quod servitium hujus diei non differatur propter aliquod festum, nisi cum Purificatio Beatæ Mariæ vel dedicatio Ecclesiæ in hac die[4] contigerit; tunc enim differatur usque ad tertiam[5] feriam, et Tractus De profundis prætermittatur; quoniam in ferialibus diebus non dicitur Tractus ante quartam feriam in Capite jejunii, nisi tantum in missis pro defunctis,[6] nec etiam in festis[7] sine regimine chori.[6] Quodcunque vero aliud festum in hac dominica vel in aliqua dominica usque ad Passionem Domini contigerit, semper differatur, licet duplex festum fuerit; et fiat servitium de ipsa dominica, nulla facta de festo memoria, nisi sit festum trium lectionum, quod non differatur; sed tunc de eo fiat memoria usque ad Quadragesimam tantum. A quarta autem feria in Capite jejunii usque in crastinum octavarum Paschæ, nihil fiat ad missam de festis trium lectionum nec etiam memoria.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 2 c. 4

FRATRES, Si opertum est evangelium nostrum; in his qui pereunt est opertum. In quibus deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere,[8] illuxit in cor-

dibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Jesu Christi. Habemus autem thesaurum istum absconditum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex vobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: Persecutionem patimur, sed non derelinquimur: [1]humiliamur, sed non confundimur:[1] dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu [2]Christi[2] in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in [3]corporibus[3] nostris manifestetur. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.

Secundum Marcum. c. 9

In illo tempore, Egressus Jesus ibat per Galilæam: nec volebat quemquam scire. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis; Quoniam Filius Hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, et timebant eum interrogare. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos; Quid in via tractabatis? At illi tacebant: siquidem inter se in via disputaverant, quis [4]esset illorum[4] major. Et residens vocavit duodecim, et ait illis; Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis; Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui me misit. Qui habet aures audiendi, audiat.

Feria sexta.

Ad Corinthios. 2 c. 4

Fratres, Habentes spiritum fidei sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: et nos credimus, propter quod et loquimur: scientes quoniam qui suscitavit Jesum,[5] et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos: ut gratia abundans per [6]multas gratiarum actiones[6] abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

Secundum Matthæum. c. 12

In illo tempore, Dixit Jesus Pharisæis; Qui non est mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spargit. Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro. Aut facite arborem bonam, et fruc-

[1] non habent 98. V.
[2] non habent 26. 98. V.
[3] cordibus 98. 4L. 15. 57.
[4] ita 26. etc. V. eorum esset—34. 54R. 55P.
[5] a mortuis—26.
[6] multos in gratiarum actione—26.

tum ejus bonum: aut facite arborem malam, et fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

Dominica in Sexagesima.

Ad Missam. Officium. Ps. 43

EXÚRGE, quare obdórmis, Dómine, exúrge et ne repéllas in finem: quare fáciem tuam avértis, oblivísceris tribulatiónem nostram; adhǽsit in terra venter noster; exúrge, Dómine, ádjuva nos et líbera nos.

Psalmus. Deus áuribus nostris audívimus: patres nostri annunciavérunt nobis.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus; concéde propítius, ut contra omnia advérsa doctóris géntium protectióne muniámur. Per.

Hæc sequens Epistola tota legatur hac die tantum; quando vero dicitur per hebdomadam, semper incipiatur ad istam clausulam Damasci præpositus, et legatur usque ad finem.[1]

Ad Corinthios. 2 c. 11 et 12

FRATRES, Libénter suffértis insipiéntes: cum sitis ipsi sapiéntes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. Secúndum ignobilitátem dico, quasi nos infírmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in insipiéntia dico) áudeo et ego: Hebræi sunt, et ego: Israelítæ sunt, et ego: Semen Abrahæ sunt, et ego: Minístri Christi sunt, et ego: ut minus sápiens dico, plus ego: in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. A Judæis quínquies quadragénas, una minus, accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte ac die in profúndum maris fui, in itinéribus sæpe, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex Géntibus, perículis in civitáte, perículis in solitúdine, perículis in mari, perículis in falsis frátribus: in labóre et ærúmna, in vigíliis multis, in fame et siti, in jejúniis multis, in frígore et nuditáte; præter illa, quæ extrínsecus sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum, Quis infirmátur, et ego non infírmor? quis scandalizátur, et ego non uror? Si gloriári opórtet: quæ infirmitátis meæ sunt, gloriábor. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit, qui est benedíctus in sæcula, quod non méntior. Divisio. Damásci præpósitus gentis Aréthæ regis custodiébat civitátem Damascenórum, ut me comprehénderet; et per fenéstram in sporta demíssus sum per murum, et sic effúgi manus ejus. Si gloriári opórtet (non éxpedit quidem:) véniam autem ad visiónes

[1] Rubrica similis postposita est Epistolæ in 94. 97. 26. deest in 98.

et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore sive extra corpus, néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore sive extra corpus, néscio, Deus scit: quóniam raptus est in Paradísum: et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor: pro me autem nihil nisi in infirmitátibus meis. Nam, et si volúero gloriári, non ero insípiens: veritátem enim dicam: parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut audit áliquid ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus Sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet a me: et dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea, nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

Gradale. Ps. 82 Sciant gentes quóniam nomen tibi [1]Deus:[1] tu solus altíssimus super omnem terram.
℣. Deus meus, pone illos ut rotam: et sicut stípulam ante fáciem venti.

Tractus. Ps. 59 Commovísti, Dómine, terram et conturbásti eam.
℣. Sana contritiónes ejus quia mota est.
℣. Ut fúgiant a fácie arcus, ut liberéntur dilécti tui.

Secundum Lucam. c. 8

In illo témpore, Cum turba plúrima conveníret, et de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem: Exiit qui séminat, semináre semen suum: et dum séminat, áliud cécidit secus viam, et conculcátum est, et vólucres cæli comedérunt illud. Et áliud cécidit supra petram: et natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, et simul exórtæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam, et ortum fecit fructum céntuplum. Hæc dicens clamábat; Qui habet aures audiéndi, áudiat. Interrogábant autem eum discípuli ejus, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit; Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, cæteris autem in parábolis: ut viděntes non vídeant, et audiéntes non intélligant. Est autem hæc parábola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui áudiunt: deínde venit diábolus, et tollit verbum de corde eórum, ne credéntes salvi fiant. Nam qui supra petram; qui cum audíerint, cum gáudio suscípiunt verbum; et hi radíces non habent, quia ad tempus credunt, et in témpore tentatiónis recédunt. Quod autem in spinis cécidit: hi sunt, qui audiérunt, et a sollicitudínibus et divítiis et voluptátibus vitæ eúntes, suffocántur, et non réferunt fructum. Quod autem [2]in bonam terram;[2] hi sunt, qui in corde bono et óptimo audiéntes verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia.

Offertorium. Ps. 16 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam et exáudi verba mea; mirífica misericórdias tuas qui salvos facis sperántes in te, Dómine.
℣. Exáudi, Dómine, justítiam meam, inténde deprecatiónem meam, áuribus pércipe oratiónem meam.
℣. Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me, éripe me, Dómine, ab ímpio.

[1] Dominus—26.
[2] accidit—57. cecidit in terram bonam—26.

Secreta.

INTENDE, quæsumus, Domine, hostiam familiæ tuæ; ut quam [1]sacris muneribus[1] facis esse participem; tribuas ad ejus plenitudinem pervenire. Per Dominum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Ps. 42 Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Postcommunio.

SÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, ut quos tuis réficis sacraméntis, tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 2 c. 1 et 2

FRATRES, Ego testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri: nam fide statis. Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Si enim contristor vos: et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium vestrum est. Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas: [2]non ut[2] contristemini: sed ut sciatis quam caritatem habeam abundantius in vobis. Si quis autem contristavit me, non me contristavit: sed ex parte, ut non onerem omnes vos. Sufficit illi, qui [3]hujusmodi[3] est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui hujusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis illum in caritate. Ideo enim[4] scripsi vobis, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Si cui autem aliquid donastis, et ego: nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter [5]vos in persona[5] Christi, ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.

Secundum Marcum. c. 4

IN illo tempore, Cœpit Jesus docere ad mare; et congregata est ad eum turba multa, ita ut [6]in[6] navem ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat: et docebat illos in parabolis multa et dicebat illis in doctrina sua; Audite; ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres [7]cœli,[7] et comederunt illud. Aliud vero cecidit supra petrosa, ubi non habuit terram multam: et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ: et quando exortus est sol, exæstuavit: eo quod non haberet radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinis; et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam; et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, et unum sexaginta, et unum cen-

[1] sic 26 etc. sacri muneris—34. 55P. 57.
[2] non—13. ut non—26. 57.
[3] ejusmodi—98. Vulg.
[4] et—13. 15.
[5] sermonem—26. 57.
[6] non habent 98. 26. 57.
[7] non habent 98. 4L. 15. V.

tum. Et dicebat; Qui habet aures audiendi, audiat.

Feria sexta.

Ad Corinthios. 2 c. 5

FRATRES, Scientes timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non enim iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Secundum Lucam. c. 17

IN illo tempore, Interrogatus Jesus a Pharisæis; Quando venit regnum Dei? respondit eis et dixit; Non veniet regnum Dei cum observatione; Neque dicent; Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos; Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii Hominis, et non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. Nam, sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt fulget; ita erit Filius Hominis in die sua. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noe ita erit et in diebus Filii Hominis. Edebant, et bibebant: uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam: et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: Edebant et bibebant: emebant et vendebant: plantabant et ædificabant: Qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit: secundum hæc erit qua die Filius Hominis revelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, [1]non descendat tollere illa: et qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Loth. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur: dua erunt molentes in unum: una assumetur, et altera relinquetur: duo in agro: unus assumetur, et alter relinquetur. Respondentes dicunt illi; Ubi, Domine? Qui dixit illis; Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.

Dominica in Quinquagesima.

Ad Missam. Officium. Ps. 30

STO mihi in Deum protectórem et in locum refúgii ut salvum me fácias; quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum, dux mihi eris: et enútries me.

Psalmus. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me et éripe me.

[1] ne—4L. 15. V.

Oratio.

PRECES nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; atque a peccatórum[1] vínculis absolútos, ab omni[2] adversitáte custódi. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 1 c. 13

FRATRES, Si linguis hóminum loquar et angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria omnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti: Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas nunquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim [3]cognóscimus,[3] et ex parte prophetámus: cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte: tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas: tria hæc; major autem horum est cáritas.

Gradale. Ps. 76 Tu es Deus qui facis mirabília solus; notam fecísti in géntibus virtútem tuam.

℣. Liberásti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Israel: [4]Jacob[4] et Joseph.

Tractus. Ps. 99 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia.

℣. [5]Introíte[5] in conspéctu ejus: in exultatióne.

℣. Scitóte quoniam Dóminus: ipse est Deus.

℣. Ipse fecit nos et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus et oves páscuæ ejus.

Secundum Lucam. c. 18

IN illo témpore, Assúmpsit Jesus duódecim discípulos suos, et ait illis; Ecce ascéndimus Hierosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per prophétas de Fílio Hóminis. Tradétur enim Géntibus, et illudétur, et flagellábitur et conspuétur; et postquam flagelláverint, occídent eum, et die tértia resúrget. Et ipsi nihil horum intellexérunt, erat autem verbum istud abscónditum ab eis, et non intelligébant quæ dicebántur. Factum est autem, cum appropinquáret Hiérico, cæcus quidam sedébat secus viam, mendícans. Et cum audíret turbam prætereúntem, interrogábat quid hoc esset. Dixérunt autem ei, quod Jesus Nazarénus transíret. Et clamávit, dicens; Jesu, Fili David, miserére mei. Et qui præíbant increpábant eum ut tacéret. Ipse vero multo magis clamábat; Fili David, miserére mei. Stans autem Jesus jussit illum addúci ad se. Et cum appropinquásset, interrogávit

[1] nostrorum—94.
[2] nos—94. 98. 26.
[3] cognovimus—98.
[4] ita 26. etc. non habent 94. 98. 55P. Grad.
[5] sic 4L. 15. etc. intrate—8RM. 26. Grad.

illum dicens; Quid tibi vis fáciam? At ille dixit; Dómine, ut vídeam. Et Jesus dixit illi; Réspice, fides tua te salvum fecit. Et conféstim vidit, et sequebátur eum, magníficans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Offertorium. Ps. 118 Benedíctus es, Dómine; doce me justificatiónes tuas. Benedíctus es, Dómine; doce me justificatiónes tuas: in lábiis meis pronunciávi ómnia judícia oris tui.

℣. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini, beáti qui scrutántur testimonia ejus: in toto corde exquirant eum.

[1]℣. Aufer a plebe tua oppróbrium et contémptum: quia mandáta tua non sumus oblíti, Dómine.[1]

Secreta.

HÆC hóstia, quæsumus, Dómine, emúndet nostra delícta; et ad sacrifícium celebrándum subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Ps. 77 Manducavérunt et saturáti sunt nimis: et desidérium eórum áttulit eis Dóminus: non sunt fraudáti a desidério suo.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Feria quarta in Capite jejunii.

Post sextam, imprimis fiat sermo ad populum, si placuerit: deinde prosternant se clerici in choro; et dicant septem Psalmos pœnitentiales cum Glória Patri et Sicut erat et antiphona, Ne reminiscáris. [2]Excellentior vero[2] sacerdos, indutus vestibus sacerdotalibus in cappa serica rubea, cum diacono a dexteris et subdiacono a sinistris cum cæteris ministris altaris; qui omnes sint albis cum amictibus induti, ante altare dicant per se septem Psalmos pœnitentiales in prostratione, cum antiphona Ne reminiscáris.

Psalmus 6.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me; neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo: lavábo per síngulas noctes lectum meum: lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes qui operámini iniquitátem: quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur vehemènter

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] Episcopus vel ejus Decanus vel excellentior.—Grad.

omnes inimíci mei: convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri.

Sicut erat.

Psalmus 31.

Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes: et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum: nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea: dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi, confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino: et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus: in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum: ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me: exultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac: qua gradiéris: firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus: quibus non est intelléctus.

In camo et fræno maxíllas eórum constrínge: qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris: sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exultáte justi: et gloriámini omnes recti corde.

Glória.

Psalmus 37.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me: neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ: a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum et humiliátus sum nimis: rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei advérsum me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt: et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam: et sicut mutus non apériens os suum:

Et factus sum sicut homo non áudiens: et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi; Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annunciábo: et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me: et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus: ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum: Dómine Deus salútis meæ.

Glória.

Psalmus 50.

Miserére mei, Deus: secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum: dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: et Spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: et os meum annunciábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: ut ædificéntur muri Hierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta: tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória.

Psalmus 101.

Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te: velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum: quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei: adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pelecáno solitúdinis: factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, et factus sum: sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tanquam panem manducábam, et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ[1] indignatiónis tuæ: quia élevans allisísti me.

Dies mei, sicut umbra, declinavérunt: et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes: et memoriále tuum in generatióne et generatiónem.

Tu exsúrgens miseréberis Sion: quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus: et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum, Dómine: et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion: et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum.

Quia prospéxit de excélso sancto suo: Dóminus de cœlo in terram aspéxit.

Ut audíret gémitus compeditórum: ut sólveret fílios interemptórum.

Ut annúncient in Sion nomen Dómini: et laudem ejus in Hierúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum: et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: paucitátem diérum meórum núncia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: in generatióne et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti: et ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes: et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt: et semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória.

Psalmus 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine; Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes: in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel: ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória.

Psalmus 142.

Dómine, exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua: exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo: quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

[1] et—98.

Velóciter exáudi me, Dómine: defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me: et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: et in misericórdia tua dispérdes omnes[1] inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri.

Antiphona.

Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kýrie eléyson.

Christe eléyson.

Kýrie eléyson.

Pater noster.

Et hæc omnia sine nota dicuntur tam a sacerdote quam a toto choro, puero interim tenente vexillum cilicinum prope sinistrum cornu altaris. Deinde erigat se sacerdos cum diacono et subdiacono, et solus dicat super populum conversus ad orientem[2] coram dextro cornu altaris, hoc modo.

Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Chorus respondeat.

Sed líbera nos a malo.

Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas: Deus meus, sperántes in te.

Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto: et de Sion tuére eos.

Convértere, Dómine, úsquequo: et deprecábilis esto super servos tuos.

Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Dómine, exáudi oratiónem meam.

Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

Et cum spíritu tuo.

Orémus.

EXÁUDI, quæsumus, Dómine, preces nostras, et confiténtium tibi parce peccátis, ut, quos consciéntiæ reátus accúsat, indulgéntia tuæ miseratiónis absólvat. Per Christum. ℟. Amen.

Et omnes orationes dicuntur cum Orémus, et finiantur more lectionis. Non dicitur Dóminus vobíscum nisi ante primam Orationem tantum.

Alia Oratio cum Orémus.

Oratio.

ADSIT, quæsumus, Dómine, fámulis tuis inspirátio grátiæ salutáris; quæ corda eórum flétuum ubertáte resólvat: sicque macerándo confíciat, ut iracúndiæ tuæ motus idónea satisfactióne compéscat. Per Christum.

Orémus. Oratio.

DA, quæsumus, Dómine Deus noster, his fámulis tuis contínuam purgatiónis suæ observántiam pœniténdo gérere: et ut hoc efficácius[3] implére váleant, grátia eos tuæ visitatiónis prævéniat et subsequátur. Per Christum.

[1] non habent 13. 57.
[2] australem.—Grad.
[3] efficaciter—26.

Orémus. Oratio.

PRÆVÉNIAT hos fámulos tuos, quæsumus, Dómine, misericórdia tua, ut omnes iniquitátes eórum celeri indulgéntia deleántur. Per Christum.

Orémus. Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris: nec sit ab his fámulis tuis cleméntiæ tuæ longínqua miserátio; sana vúlnera, eorúmque remítte peccáta; ut nullis a te iniquitátibus separáti, tibi Dómino semper váleant adhærére. Per Christum.

Orémus. Oratio.

DÓMINE Deus noster, qui offensióne nostra non vínceris, sed satisfactióne placáris; réspice, quæsumus, super fámulos tuos qui se tibi gráviter peccásse confiténtur; tuum est enim absolutiónem críminum dare, et véniam præstáre peccántibus: qui dixísti, pœniténtiam te malle peccatórum quam mortem; concéde ergo, Dómine, his [1]fámulis tuis,[1] ut tibi pœniténtiæ excúbias célebrent, et corréctis áctibus suis conférri sibi a te sempitérna gáudia gratuléntur. Per Christum.

Orémus. Oratio.

DEUS, cujus indulgéntia omnis homo índiget; meménto famulórum famularúmque tuárum: et [2]quia lúbrica terrenáque[2] córporis fragilitáte nudáti virtúte in multis deliquérunt, quæsumus, ut des véniam confiténtibus, parcas supplícibus; ut qui suis méritis accusántur, tua miseratióne salvéntur. Per Christum.

Hic non dicitur Dóminus vobíscum neque Orémus, sed vertat se sacerdos ad populum, et extendens manum dicat super eos sine nota, sed in audientia, hoc modo,

ABSÓLVIMUS vos vice beáti Petri Apostolórum príncipis, cui colláta est a Dómino potéstas ligándi atque solvéndi; et quantum ad vos pértinet accusátio et ad nos remíssio; sit vobis omnípotens Deus vita et salus et ómnium peccatórum vestrórum pius indúltor. Qui vivit et regnat cum Deo Patre.

Deinde surgant omnes a prostratione, osculantes terram vel formulas, sacerdote dicente Qui vivit etc. Deinde fiat benedictio cinerum sine Dóminus vobíscum et sine Orémus, sacerdote ad orientem converso.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui miseréris ómnium et nihil odísti eórum quæ fecísti, dissímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam; qui étiam subvenis in necessitáte laborántibus; bene✠dícere et sancti✠ficáre hos cíneres dignáre, quos causa humilitátis et sanctæ religiónis ad emundánda delícta nostra super cápita nostra more Ninevitárum ferre constituísti; et da per invocatiónem sancti tui nóminis, ut omnes qui eos ad deprecándam misericórdiam tuam super cápita sua túlerint, a te mereántur ómnium delictórum suórum véniam [3]accípere,[3] et hódie sic eórum inchoáre sancta jejúnia, ut in die Resurrectiónis purificátis méntibus ad sanctum mereántur accédere Pascha, et in futúro perpétuam accípere glóriam. Per Dóminum.

Hic aspergatur aqua benedicta super cineres. Deinde dicitur Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

DEUS, qui non mortem sed pœniténtiam desíderas peccatórum, fragili-

[1] non habent 94. 98.
[2] qui lubrica terrenique—13. 15.
[3] percipere—13. 15. 26.

tátem conditiónis humánæ benigníssime réspice; et hos cíneres quos causa præferéndæ humilitátis atque promeréndæ véniæ capítibus nostris impóni decrevimus, [1]bene✠dicere et sancti✠ficare[1] pro tua pietáte digneris: ut qui nos cíneres esse monuisti, et ob pravitatis nostræ meritum in púlverem reversúros cognóscimus, peccatórum ómnium véniam et præmia pœniténtibus repromíssa misericórditer cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Postea distribuantur cineres super capita clericorum et laicorum[2] a dignioribus personis; signo crucis cineribus signent, sic[2] dicendo.

Meménto homo quia cinis es; et in cínerem revertéris. In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Et interim cantentur sequentes antiphonæ.

Ps. 68

EXÁUDI [3]nos[3], Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine.

Ps. Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Non dicitur nisi primus versus Psalmi; sed statim sequatur Glória Patri. Deinde repetatur antiphona, Exáudi.

Alia Antiphona. Johel c. 2

JUXTA vestíbulum et altáre plorábant sacerdótes et levítæ, minístri Dómini, dicéntes, Parce Dómine, parce pópulo tuo: et ne díssipes ora clamántium ad te, Dómine.

Alia Antiphona.

IMMUTÉMUR hábitu in cínere et cilício: jejunémus et plorémus ante Dóminum: quia multum miséricors est dimíttere peccáta nostra Deus noster.

Peracto hoc officio, dicat sacerdos ad gradum chori, Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Oratio.

DEUS, qui juste irásceris et cleménter ignóscis; afflícti pópuli tui lácrymas súscipe, et iram tuæ indignatiónis quam juste merétur propitiátus avérte. Per Christum Dóminum nostrum.

Alia Oratio cum Orémus.

CONCÉDE nobis, quæsumus, Dómine, præsídia milítiæ Christiánæ sic sanctis inchoáre jejúniis; ut contra spirituáles nequítias pugnatúri, continéntiæ muniámur auxíliis. Per.

[4]Ejectis pœnitentibus, ut patet Officium in processionalibus, incipiatur Missa hoc modo.[4]

Officium. Sap. 11

ISERÉRIS ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti: dissímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam, et parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noster.

[1] non habent 94. 98.
[2] sic 26. etc. incipiendo a dignioribus personis faciendo signum crucis cum cineribus et—34. 54R. 55P.
[3] non habent 8RM. 13. 26.
[4] His finitis eat processio per medium chori sine cruce ad ostium ecclesiæ occidentale cum ceroferario et thuribulario, præcedente vexillo cilicino; deinde executor officii pœnitentes singulatim per manus ejiciat per ministrationem alicujus sacerdotis de choro tradentis eos per manus dextras; ipsi vero pœnitentes osculantes manus executoris officii, exeant; tamen si episcopus præsens fuerit, archidiaconus ei subministret supradicto modo; et interim cantentur hæc duo Responsoria cum suis versibus sed sine Gloria Patri, cantore incipiente ℟. Ecce Adam. ℟. In sudore. Ejectis pœnitentibus, claudatur ostium et redeat processio ordine et more solito in chorum cantando Responsorium in revertendo, cantore incipiente ℟. Emendemus; non dicitur Versus nec Oratio, sed statim incipiatur missa a cantore.—Grad.

Ps. 56 Miserére mei, Deus, miserére mei: quóniam in te confídit ánima mea.

Non repetatur Officium sed statim sequatur Glória Patri: Dicto Kýrie eléyson, sacerdos dicat Dóminus vobíscum et Orémus. Et postea dicat diaconus, Flectámus génua, et tunc omnes genu flectant. Deinde diacono dicente sic, Leváte, surgant omnes osculantes formulas.

Oratio.

PRÆSTA, quǽsumus, Dómine, fidélibus tuis; ut jejuniórum veneránda solémnia et cóngrua pietáte suscípiant et secúra devotióne percúrrant. Per.

Ab hac die usque ad Cœnam Domini, in omnibus missis de jejunio fiat memoria pro pœnitentibus cum hac Oratione Exáudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum ut patet in fine libri. Hac die et tribus diebus sequentibus, quinque dicuntur Orationes sicut in prima Dominica Adventus Domini supradictum est.

Lectio Johelis Prophetæ. c. 2

HÆC dicit Dóminus;[1] Convertímini ad me in toto corde vestro, in jejúnio et fletu et planctu; et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra. Et convertímini ad Dóminum Deum vestrum; quia benígnus et miséricors est, pátiens et multæ misericórdiæ, et præstábilis super malítia. Quis scit si convertátur, et ignóscat Deus et relínquat post se benedictiónem, sacrifícium et libámen Dómino Deo nostro? Cánite tuba in Sion, sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiam, coadunáte senes, congregáte párvulos et sugéntes úbera; egrediátur sponsus de cubíli suo, et sponsa de thálamo suo. Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, et dicent; Parce, Dómine, parce pópulo tuo; et ne des hæreditátem tuam in oppróbrium ut dominéntur eis natiónes; quare dicunt in pópulis; Ubi est Deus eórum? Zelátus est Dóminus terram suam, et pepércit pópulo suo; et respóndit Dóminus et dixit pópulo suo; Ecce ego mittam vobis fruméntum et vinum et óleum, et replebímini in eis; et non dabo vos ultra oppróbrium in Géntibus, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 56 Miserére mei, Deus, miserére mei: quóniam in te confídit ánima mea.

℣. Misit de cœlo et liberávit me: dedit in oppróbrium conculcántes me.

[2]Chorus alternatim dicat Tractum. Ps. 102[2]

Dómine, non secúndum peccáta nostra quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Ps. 78 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Hic non fiat genuflectio cum dicitur.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Iste Tractus dicitur omni secunda feria et sexta feria ad missam de jejunio usque ad Cœnam Domini.

Secundum Matthæum. c. 6

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis, Cum jejunátis, nolíte fieri sicut

[1] Deus—15. 26.

[2] chorus alternatim stando dicat istum Tractum, scilicet Dómine, non secúndum, ita tamen, quod ex parte altera sedeant, et sic alternatim Tractus a choro percantatur. Idem modus servetur in omnibus Tractibus.—Grad.

hypócritæ tristes: extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus jejunántes. Amen dico vobis,[1] recepérunt mercédem suam. Tu autem, cum jejúnas, unge caput tuum et fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans, sed Patri tuo, qui est in abscóndito; et Pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi. Nolíte thesaurizáre vobis thesáuros in terra: ubi ærúgo et tínea demolítur: et ubi fures effódiunt et furántur. Thesaurizáte autem vobis thesáuros in cœlo: ubi neque ærúgo neque tínea demolítur, et ubi fures non effódiunt neque furántur. Ubi enim est thesáurus tuus, ibi est et cor tuum.

Offertorium. Ps. 29 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me; nec delectásti inimícos meos super me; Dómine, clamávi ad te et sanásti me.
℣. Dómine, abstraxísti ab inféris ánimam meam: salvásti me a descendéntibus in lacum.

Secreta.

FAC nos, Dómine, quæsumus, his munéribus offeréndis conveniénter aptári: [2]quibus ipsíus[2] venerábilis jejúnii celebrámus exórdium. Per Dóminum.

Præfatio, Qui corporáli jejúnio.

Hæc Præfatio dicitur in omni missa de jejunio usque ad Cœnam Domini, et Flectámus genua, Leváte, et Humiliáte cápita vestra Deo.

Communio. Ps. 1 Qui meditábitur in lege Dómini die ac nocte: dabit fructum suum in témpore suo.

Postcommunio.

PERCÉPTA nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium: ut et tibi grata sint nostra jejúnia, et nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum.

[3]Finitis Postcommunionibus, præter illam quæ dicetur super populum, sic, Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen, dicat sacerdos Orémus. Deinde dicat diaconus, Humiliáte cápita vestra Deo.

Super populum. Oratio.

INCLINÁNTES se, Dómine, majestáti tuæ propitiátus inténde: ut qui divíno múnere sunt refécti, cœléstibus semper nutriántur auxíliis. Per.

Et sic missa cum Benedicámus Dómino finiatur.

Feria quinta post cineres.

Ad Missam. Officium. Ps. 54

UM clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his qui appropínquant mihi: et humiliávit eos qui est ante sæcula et manet in ætérnum: jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi et exáudi me. Glória Patri.

Dum clamárem. Orémus. Flectámus génua. Leváte.

[1] quia—13. 26. V.
[2] cujus—94. 98.
[3] Finita ultima Postcommunione sic, Per ómnia sæcula sæculórum, chorus respondeat, Amen. Dicat sacerdos, Orémus. Deinde dicat diaconus, Humiliáte cápita vestra Deo. Statim dicat sacerdos Orationem super populum, scilicet Inclinántes, et sic missa cum Benedicámus finiatur.

Si tamen in aliqua trium dierum sequentium festum novem lectionum celebratum fuerit, missa de festo post tertiam dicitur, ad quam non fiat memoria de jejunio, sicut infra Quadragesimam; et missa de jejunio fiat post sextam, utraque ad authenticum altare. Sed infra Quadragesimam dicitur missa de festo post tertiam, missa de jejunio post nonam.—Grad.

Oratio.

DEUS, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, propitiátus avérte. Per Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 38

IN diébus illis, Ægrotávit Ezechías usque ad mortem: et introívit ad eum Esaías fílius Amos prophéta, et dixit ei: Hæc dicit Dóminus; Dispóne dómui tuæ, quia moriéris tu, et non vives. Et convértit Ezechías fáciem suam ad paríetem, et orávit ad Dóminum, et dixit; Obsecro, Dómine, meménto quæso quómodo ambuláverim coram te in veritáte et in corde perfécto, et quod bonum est in óculis tuis fécerim. Et flevit Ezechías fletu magno. Et factum est verbum Dómini ad Esaíam prophétam, dicens; Vade, et dic Ezechíæ; Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, et vidi lácrymas tuas: ecce ego adjíciam super dies tuos quíndecim annos: et de manu regis Assyriórum éruam te et civitátem istam, et protégam eam, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 54 Jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet.
℣. Dum clamárem ad Dóminum; exaudívit vocem meam ab his qui appropínquant mihi.
Repetatur Gradale.

Secundum Matthæum. c. 8

IN illo témpore, Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum et dicens; Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus; Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens Centúrio, ait; Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit: et álio, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus mirátus est, et sequéntibus se dixit; Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlórum: Fílii autem regni[1] ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus et stridor déntium. Et dixit Jesus Centurióni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Offertorium. Ps. 24 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam; neque irrídeant me inimíci mei; étenim univérsi qui te expéctant non confundéntur.
℣. Dírige me in veritáte tua et doce me: quia tu es Deus salutáris meus, et te sustínui tota die.[2]

Secreta.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, múnera quæ dedísti: ut et creatiónis tuæ circa mortalitátem nostram testificéntur auxílium, et remédium nobis immortalitátis operéntur. Per.
Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 50 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocáusta: super altáre tuum, Dómine.

[1] hujus—98.
[2] Versus. Réspice in me et miserére mei, Dómine, custódi ánimam meam et éripe me, non confúndar, quóniam invocávi te. (v. 20.)—Grad.

Postcommunio.

CONCÉDE fidélibus tuis, Dómine, quæsumus, et sine cessatióne cápere paschália sacraménta, et desideránter expectáre ventúra, ut in mystériis, quibus renováti sunt permanéntes, ad novam vitam his opéribus perducántur. Per Dóminum.

Super populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

PARCE, Dómine, parce pópulo tuo, ut dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret. Per Dóminum.

Feria sexta in Capite jejunii.

Ad Missam. Officium. Ps. 29

AUDÍVIT Dóminus et misértus est mihi: Dóminus factus est adjútor meus.

Psalmus. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.

Glória Patri.

Audívit Dóminus. Kýrie eléyson. Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

INCHOÁTA jejúnia, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquere: ut observántiam quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus. Per Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 58

HÆC dicit Dóminus Deus, Clama, ne cesses; quasi tuba exálta vocem tuam, et annúncia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justítiam fécerit, et quæ judícium Dei sui non derelíquerit: rogant me judícia justítiæ: et appropinquáre Deo volunt. Quare jejunávimus, et non aspexísti: humiliávimus ánimas nostras, et nescísti? Ecce in die jejúnii vestri invenítur volúntas vestra, et omnes debitóres vestros repétitis. Ecce ad lites et contentiónes jejunátis, et percútitis pugno ímpie. Nolíte jejunáre sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excélso clamor vester. Numquid tale est jejúnium, quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam suam? numquid contorquére quasi círculum caput suum, et saccum et cínerem stérnere? numquid istud vocávi jejúnium, et diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est magis jejúnium, quod elégi? dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum; quia misericors sum Dóminus Deus tuus.

Gradale. Ps. 26 Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini.

℣. Ut vídeam voluntátem Dómini et prótegar a templo sancto ejus.

Tractus. Ps. 102 Dómine, non secúndum peccáta nostra quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Ps. 78 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Hic non fiat genuflectio cum dicitur.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Evangelium. Secundum Matthæum. c. 5 et 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Audístis quia dictum est; Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos, et oráte pro persequéntibus et calumniántibus vos: ut sitis fílii Patris vestri qui in cœlis est: qui solem suum oríri facit super bonos et malos: et pluit super justos et injústos. Si enim dilígitis eos, qui vos díligunt, quam mercédem habébitis? nonne et publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratres vestros tantum, quid ámplius fácitis? nonne et Ethnici hoc fáciunt? Estóte ergo et vos perfécti, sicut et Pater vester cœléstis perféctus est. Atténdite ne justítiam vestram faciátis coram homínibus, ut videámini ab his: alióquin mercédem non habébitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ fáciunt in synagógis, et in vicis, ut honorificéntur ab homínibus: Amen dico vobis, recepérunt mercédem suam. Te autem faciénte eleemósynam, nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua: ut sit eleemósyna tua in abscóndito, et Pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi. Et cum orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus: amen dico vobis, recepérunt mercédem suam. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito; et Pater tuus qui videt in abscóndito, reddet tibi.

Offertorium. Ps. 118 Dómine, vivífica me secúndum elóquium tuum: ut sciam testimónia tua.

℣. Fac cum servo tuo, Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam: et ne áuferas de ore meo verbum veritátis.[1]

Secreta.

Sacrifícium, Dómine, observántiæ quadragesimális offérimus: præsta, quæsumus, ut et tibi mentes nostras reddat accéptas, et continéntiæ promptióris nobis tríbuat facultátem. Per.

Communio. Ps. 2 Servíte Dómino in timóre: et exultáte ei cum tremóre, apprehéndite disciplínam ne pereátis de via justa.

Postcommunio.

Tríbue nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut dona cœléstia quæ débito frequentámus obséquio, salutária nobis júgiter sentiámus. Per Dóminum.

Super Populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Tuére, Dómine, pópulum tuum, et ab ómnibus peccátis cleménter emúnda; quia nulla ei nocébit advérsitas, si nulla dominétur iníquitas. Per Dóminum.

Sabbato post cineres.

Ad Missam. Officium. Ps. 29

Audívit Dóminus et misértus est mihi; Dóminus factus est adjútor meus.

[1] Versus. Ps. 118 Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, et voluntaria oris mei fac mihi in beneplacito, Domine. Iste secundus versus non dicitur nisi in Sabbato.—94. 98. 57.

Psalmus. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. Glória Patri.

Audívit Dóminus. Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris et [1]concéde,[1] ut hoc solémne jejúnium quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus. Per Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 58

HÆC dicit Dóminus, Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris dígitum exténdere et loqui quod non prodest. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Et réquiem dabit tibi Dóminus Deus tuus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. Et ædificabúntur in te desérta sæculórum: fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis: et vocáberis ædificátor sépium, avértens sémitas iniquitátum. Si avérteris a sábbato pedem tuum, fácere voluntátem tuam in die sancto meo, et vocáveris sábbatum delicátum, et sanctum Dómini gloriósum, et glorificáveris eum, dum non facis vias tuas, et non inveniétur volúntas tua, ut [2]loquáris[2] sermónem; tunc delectáberis super Dómino, et sustóllam te super altitúdinem terræ, et cibábo te hereditáte Jacob patris tui: os enim Dómini locútum est hæc, ait Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 26 Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini.

℣. Ut vídeam voluntátem Dómini: et prótegar a templo sancto ejus.

Evangelium. Secundum Marcum. c. 6

IN illo témpore, Cum sero esset factum, erat navis in médio mari, et Jesus solus in terra. Et vidit [3]eos[3] laboránte in remigándo, (erat enim ventus contrárius eis) et circa quartam vigíliam noctis venit ad eos ámbulans supra mare: et volébat præteríre eos. At illi ut vidérunt eum supra mare ambulántem, putavérunt phantásma esse, et exclamavérunt. Omnes enim eum vidérunt, et conturbáti sunt. Et statim locútus est cum eis, et dixit illis: Confídite, ego sum, nolíte timére. Et ascéndit ad illos in navim, et cessávit ventus. Et plus magis intra se stupébant: non enim intellexérunt de pánibus: erat enim cor illórum obcæcátum. Et cum transfretássent, venérunt in terram Genésareth, et applicuérunt. Cumque egréssi essent de navi, contínuo cognovérunt eum: et percurréntes univérsam regiónem illam, cœpérunt in grabátis eos, qui se male habébant, circumférre, ubi audiébant eum esse. Et quocúmque introíbat, in vicos vel in villas aut civitátes, in platéis ponébant infírmos, et deprecabántur eum, ut vel fímbriam vestiménti ejus tángerent, et quotquot tangébant eum, salvi fiébant.

Offertorium. Ps. 118 Dómine, vivífica me secúndum elóquium tuum: ut sciam testimónia tua.

℣. Da mihi intelléctum ut discam mandáta tua: et voluntária oris mei fac mihi in beneplácito, Dómine.

[1] præsta—94.
[2] solvaris—98.
[3] discipulos suos.—15. 26.

Secreta.

PRÆPARA nos, Dómine, quæsumus, hujus votívis abstinéntiæ offíciis: ut hæc sacrifícia veneránda sóbriis semper méntibus celebrémus. Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 2 Servíte Dómino in timóre, et exultáte ei cum tremóre: apprehéndite disciplínam, ne pereátis de via justa.

Postcommunio.

CŒLÉSTIS vitæ múnere vegetáti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut quod est nobis in præsénti vita mystérium, fiat æternitátis auxílium. Per Dóminum.

Super Populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.[1]

FAC nos, quæsumus, Dómine, salútis nostræ causas: et devótis semper frequentáre servítiis, et devótius recólere principáliter inchoátas. Per Dóminum.[1]

Dominica prima Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 90

INVOCÁVIT me et ego exáudiam eum; erípiam eum et glorificábo eum: longitúdine diérum adimplébo eum.

Psalmus. Qui hábitat in adjutório Altíssimi: in protectióne Dei cœli commorábitur.

Invocávit. Glória Patri. Invocávit. Kýrie eléyson.

Oratio.

DEUS, qui ecclésiam tuam annua Quadragesimáli observatióne purificas: præsta famíliæ tuæ, ut quod a te obtinére abstinéndo nititur, hoc bonis opéribus exequátur. Per.

Epistola. Ad Corinthios. 2 c. 6

FRATRES, Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim; Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te. Ecce nunc témpus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum: Sed in ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei: per arma justítiæ a dextris et a sinístris, per glóriam et ignobilitátem: per infámiam et bonam famam: ut seductóres et veráces: sicut qui ignóti et cógniti: quasi moriéntes et ecce vívimus: ut castigáti et non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tanquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Gradale. Ps. 90 Angelis suis mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te: ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tractus. ib. Qui hábitat in adjutório Al-

[1] Fideles tui, Deus, perpetuis donis firmentur, ut eadem in percipiendo requirant, et quærendo sine fine percipiant.—94. 97.

tíssimi: in protectióne Dei cœli commorábitur.
℣. Dicet Dómino, Suscéptor meus es tu: et refúgium meum; Deus meus, sperábo in eum.
℣. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium: et a verbo áspero.
℣. Scápulis suis obumbrábit tibi: et sub pennis ejus sperábis.
℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus: non timébis a timóre noctúrno.
℣. A sagítta volánte per diem, a negótio perambulánte in ténebris: a ruína et dæmónio meridiáno.
℣. Cadent a látere tuo mille et decem míllia a dextris tuis: tibi autem non appropinquábit.
℣. Quóniam ángelis suis mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. In mánibus portábunt te: ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum.
℣. Super áspidem et basilíscum ambulábis: et conculcábis leónem et dracónem.
℣. Quóniam in me sperávit, liberábo eum: prótegam eum quóniam cognóvit nomen meum.
℣. Invocábit me, et ego exáudiam eum: cum ipso sum in tribulatióne.
℣. Erípiam eum et glorificábo eum: longitúdine diérum adimplébo eum, et osténdam illi salutáre meum.

Evangelium. Secundum Matthæum. c. 4

In illo témpore, Ductus est Jesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo. Et cum jejunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. Et accédens tentátor dixit ei; Si fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. Qui respóndens dixit; Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. Tunc assúmpsit eum diábolus in sanctam civitátem, et státuit eum supra pinnáculum templi. Et dixit ei; Si fílius Dei es, mitte te deórsum. Scriptum est enim: Quia ángelis suis mandávit de te, et in mánibus tollent te, ne forte offéndas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus rursum; Scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. Iterum assúmpsit eum diábolus in montem excélsum valde, et osténdit ei ómnia regna mundi et glóriam eórum, et dixit illi: Hæc ómnia tibi dabo, si cadens adoráveris me. Tunc dixit ei Jesus: Vade, Sátana: scriptum est enim: Dóminum Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies. Tunc relíquit eum diábolus: et ecce ángeli accessérunt, et ministrábant ei.

Offertorium. Ps. 90 Scápulis suis obumbrábit tibi Dóminus: et sub pennis ejus sperábis; scuto circúmdabit te véritas ejus.

Secreta.

Sacrifícium Quadragesimális inítii solémniter immolámus, te, Dómine, deprecántes: ut cum epulárum restrictióne carnálium, a nóxiis quoque voluptátibus temperémur. Per Dóminum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Ps. 90 Scápulis suis obumbrábit tibi: et sub pennis ejus sperábis, scuto circúmdabit te véritas ejus.

Postcommunio.

Tui nos, Dómine, sacraménti libátio sancta restáuret, et a vetustáte purgátos in mystérii salutáris fáciat transíre consórtium. Per Dóminum.

Feria secunda post Invocavit.

Ad Missam. Officium. Ps. 122

Sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum: ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum donec misereátur nostri. Miserére nobis, Dómine, miserére nobis.

Psalmus. Ad te levávi óculos meos: qui hábitas in cœlis.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

CONVÉRTE nos, Deus salutáris noster: et ut nobis jejúnium Quadragesimále proficiat, mentes nostras cœléstibus ínstrue disciplínis. Per Dóminum.

Ab hac die usque ad Cœnam Domini in omni missa de jejunio dicuntur septem orationes, sicut in Dominica prima Adventus Domini supra dictum est.

Epistola. Lectio Ezechielis Prophetæ. c. 34

HÆC dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, et visitábo illas sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum: sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis. Et edúcam eas de pópulis, et congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam: et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ. In páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscuæ eárum: ibi requiéscent in herbis viréntibus, et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel. Ego pascam oves meas: et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod perierat requíram, et quod abjéctum fúerat redúcam, et quod confráctum fúerat alligábo, et quod infírmum fúerat consolidábo, et quod pingue et forte custódiam: et pascam illas in judício et justítia, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 83 Protéctor noster, áspice, Deus: et réspice super servos tuos.

℣. Dómine Deus virtútum: exáudi preces servórum tuórum.

Tractus. Dómine, non secúndum. ut supra fol. 76.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Matthæum. c. 25

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis, Cum vénerit Fílius Hóminis in majestáte sua, et omnes ángeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ; et congregabúntur ante eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hœdis; et státuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinístris. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt; Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi et dedístis mihi bíbere: hospes eram, et collegístis me: nudus, et operuístis me: infírmus, et visitástis me: in cárcere eram, et venístis ad me. Tunc respondébunt ei justi, dicéntes; Dómine, quando te vídimus esuriéntem, et pávimus: sitiéntem, et dédimus tibi potum? Quando autem te vídimus hóspitem, et collégimus te: aut nudum, et cooperúimus te: aut quando te vídimus infírmum aut in cárcere, et vénimus ad te? Et respóndens rex, dicet illis; Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis. Tunc dicet et his, qui a sinístris ejus erunt; Discédite a me maledícti in ignem ætérnum, qui parátus est diábolo et ángelis ejus: esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre: sitívi, et non dedístis mihi potum: hospes eram, et non collegístis me: nudus, et non operuístis me: infírmus et in cárcere, et non visitástis me. Tunc respondébunt ei et ipsi, dicéntes; Dómine, quando te vídimus esuriéntem, aut sitiéntem, aut hóspitem, aut nudum, aut infírmum, vel in cárcere: et non ministrávimus tibi? Tunc respondébit

illis dicens; Amen dico vobis; Quámdiu non fecístis uni de minóribus his, nec mihi fecístis. Et ibunt hi in supplícium æternum: justi autem in vitam ætérnam.

Offertorium. Ps. 118 Levábo óculos meos et considerábo mirabília tua, Dómine: ut dóceas me justítiam tuam; da mihi intelléctum: ut discam mandáta tua.
℣. Legem pone mihi, Dómine, et viam justificatiónum tuárum exquíram: et in præcéptis tuis[1] exercébor.

Secreta.

ACCÉPTA tibi sit, Dómine, quæsumus, nostræ devotiónis oblátio; quæ et jejúnium nostrum te operánte sanctíficet, et indulgéntiam nobis tuæ consolatiónis obtíneat. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 3 Voce mea ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo; non timébo míllia pópuli circumdántis me.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Dómine, quæsumus, frequentáta mystéria, quæ nos et a cupiditátibus terrénis expédiant, et [2]ínstruant[2] amáre cœléstia. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

ABSÓLVE, quæsumus, Dómine, nostrórum víncula peccatórum, et quicquid pro eis merémur, propitiátus avérte. Per Dóminum.

Feria tertia post Invocavit.

Ad Missam. Officium. Ps. 89

DÓMINE, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie: a sæculo et in sæculum tu es.

Psalmus. Priúsquam montes fíerent: aut formarétur terra et orbis.

Non dicitur ulterius.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

RÉSPICE, Dómine, famíliam tuam et præsta, ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat. Per Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 55

IN diébus illis, Locútus est Esaías prophéta, dicens; Quærite Dóminum, dum inveníri potest: invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ: neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cœli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti: sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúnque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud, ait Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 140 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine.

[1] me—92. 94. 98. 4L. 57.
[2] instituant—92, 94. 97, 98.

℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Secundum Matthæum. c. 21

In illo témpore, Cum intrásset Jesus Hierosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant; Hic est Jesus prophéta a Názareth Galilǽæ. Et intrávit Jesus in templum Dei, et ejiciébat omnes vendéntes et eméntes in templo, et mensas nummulariórum et cáthedras vendéntium colúmbas evértit; et dixit eis: Scriptum est; quia domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanávit eos. Vidéntes autem príncipes sacerdótum et scribæ mirabília quæ fecit, et púeros clamántes in templo et dicéntes; Hosánna fílio David; indignáti sunt et dixérunt ei; Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis; Utique; nunquam legístis; Quia ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem? Et relíctis illis, ábiit foras extra civitátem in Bethániam; ibíque mansit, et docébat eos de regno Dei.

Offertorium. Ps. 30 In te sperávi, Dómine, dixi, tu es Deus meus: in mánibus tuis témpora mea.

℣. Illumina fáciem tuam super servum tuum: et salvum me fac propter misericórdiam tuam, Dómine; non confúndar quóniam invocávi te.

Secreta.

Præsta, Dómine, quǽsumus, ut dicáto múneri congruéntem nostræ devotiónis tibi offerámus afféctum. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 4 Cum invocárem te exaudísti me, Deus justítiæ meæ: in tribulatióne dilatásti me; miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut illíus salutáris capiámus efféctum, cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ: et ab ecclésia tua cunctam repélle nequítiam. Per Dóminum.

Feria quarta Quatuor temporum Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 24

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, et misericórdiæ tuæ quæ a sæculo sunt: ne unquam dominéntur nobis inimíci nostri, líbera nos, Deus Israel, ex ómnibus angústiis nostris.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído non erubéscam.

Sequitur Oratio sine Dóminus vobíscum, sed cum Orémus et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: et contra cuncta nobis adversántia, déxteram tuæ [1]majestátis[1] exténde. Per Dóminum.

Lectio libri Exodi. c. 24

In diébus illis, Dixit Dóminus ad Moysen: Ascénde ad me in montem, et esto ibi: dabóque tibi duas tábulas lapídeas, et legem ac mandáta quæ scripsi:

[1] propitiationis—94. 97.

ut dóceas fílios Israel. Surrexérunt Moyses et Jósue minister ejus: ascendénsque Moyses in montem [1]Dei,[1] senióribus ait: Expectáte hic donec revertámur ad vos. Habétis Aaron et Hur vobíscum: si quid natum fuerit quæstiónis, referétis ad eos. Cumque ascendísset Moyses, opéruit nubes montem, et habitávit glória Dómini super Sínai, tegens illum nube sex diébus: séptimo autem die vocávit eum Dóminus de médio calíginis. Erat autem spécies glóriæ Dómini, quasi ignis ardens super vérticem montis in conspéctu filiórum Israel. Ingressúsque Moyses médium nébulæ, ascéndit in montem: et fuit ibi quadragínta diébus et quadragínta nóctibus.

Gradale. Ps. 24 Tribulatiónes cordis mei dilatátæ sunt: de necessitátibus meis éripe me, Dómine.

℣. Vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea.

Non repetatur Gradale, sed sequatur Dóminus vobíscum. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEVOTIÓNEM pópuli tui, quæsumus, Dómine, benígnus inténde: ut qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per Dóminum.

Hic dicuntur Memoriæ consuetæ.

Lectio libri Regum. 3 c. 19

IN diébus illis, Venit Helías in Bersabée Juda, et dimísit ibi púerum suum, et perréxit in desértum, viam uníus diéi. Cumque venísset et sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait; Súfficit mihi, Dómine, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum, quam patres mei. Projecítque se et obdormívit in umbra juníperi: et ecce Angelus Dómini tétigit eum, dixítque illi; Surge, cómede. Et respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis et vas aquæ: comédit ergo et bibit, et rursum obdormívit. Reversúsque est Angelus Dómini secúndo, et tétigit eum dixítque illi; Surge, cómede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexísset, comédit et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Chorus alternatim dicat Tractum. Ps. 24 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea.

℣. Ad te[2] levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam, neque irrídeant me inimíci mei.

℣. Etenim univérsi qui te expéctant non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

Et dicitur iste Tractus in omni quarta feria, usque ad Dominicam Palmarum.

Evangelium. Secundum Matthæum. c. 12

IN illo témpore, Accessérunt ad Jesum Scribæ et Pharisæi, dicéntes; Magíster, vólumus a te signum vidére. Qui respóndens ait illis; Generátio mala et adúltera signum quærit; et signum non dábitur ei, nisi signum Jonæ prophétæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus; ita erit Fílius Hóminis in corde terræ tribus diébus et tribus nóctibus. Viri Ninivítæ surgent in judício cum generatióne ista, et condemnábunt eam: quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ; et ecce plus quam Jonas hic. Regína austri surget in judício cum generatióne ista, et condemnábit eam: quia ve-

[1] Domini—92. 94. 98.
[2] Domine—97. 55P. Grad.

nit a fínibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis; et ecce plus quam Sálomon hic. Cum autem immúndus spíritus exíerit ab hómine, ámbulat per loca árida quærens réquiem, et non ínvenit. Tunc dicit: Revértar in domum meam, unde exívi. Et véniens ínvenit eam vacántem, scopis mundátam, et ornátam. Tunc vadit, et assúmit septem alios spíritus secum nequióres se, et intrántes hábitant ibi: et fiunt novíssima hóminis illius pejóra prióribus. Sic erit et generatióni huic péssimæ. Adhuc eo loquénte ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam; Ecce mater tua et fratres tui foris stant quæréntes te. At ipse respóndens dicénti sibi, ait; Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

Offertorium. Ps. 118 Meditábor in mandátis tuis quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua quæ dilexi.

℣. Pars mea, Dómine, dixi, custodíre legem tuam: precátus sum vultum tuum in toto corde meo.

Secreta.

INTÉNDE, quæsumus, Dómine, sacrifícium singuláre: ut hujus participatióne mystérii quæ speránda crédimus, expectáta sumámus. Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 5 Intéllige clamórem meum: inténde voci oratiónis meæ, rex meus et Deus meus, quóniam ad te orábo, Dómine.

Postcommunio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut reátum nostrum múnera sacra purificent, et recte vivéndi nobis operéntur efféctum. Per Dóminum.

Super Populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra: ut vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Dóminum.

Feria quinta post Invocavit.

Ad Missam. Officium. Ps. 95

CONFÉSSIO et pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Psalmus. Cantáte Dómino cánticum novum: Cantáte Dómino omnis terra.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui in observatióne jejúnii et eleemosynárum largitióne nostrórum posuísti remédia peccatórum: concéde nos mente et córpore semper tibi esse devótos. Per Dóminum.

Epistola. Lectio Ezechielis Prophetæ. c. 18

IN diébus illis, Factus est sermo Dómini ad me, dicens; quid est quod inter vos hanc parábolam vértitis in provérbium istud in terra Israel, dicéntes: Patres nostri comedérunt uvam acérbam, et dentes filiórum obstupéscunt? Vivo ego, dicit Dóminus Deus, si erit vobis ultra parábola hæc in provérbium in Israel. Ecce omnes ánimæ, meæ sunt: ut ánima patris, ita et ánima fílii mea est; ánima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Et vir si fúerit justus,

et fécerit judícium et justítiam, in móntibus non coméderit, et óculos suos non leváverit ad idóla domus Israel, et uxórem próximi sui non violáverit, et ad mulíerem menstruátam non accésserit, et hóminem non contristáverit: pignus debitóri reddíderit, per vim nihil rapúerit, panem suum esuriénti déderit, et nudum operúerit [1]vestiménto,[1] ad usúram non commodáverit, et ámplius non accéperit, ab iniquitáte avérterit manum suam, judícium verum fécerit inter virum et virum, et in præcéptis meis ambuláverit, et judícia mea custodíerit, ut fáciat veritátem: hic justus est, et vita vivet, ait Dóminus Deus. Quod si genúerit fílium latrónem effundéntem sánguinem, et fécerit unum de istis; et hæc quidem ómnia non faciéntem, numquid vivet? Cum univérsa detestánda hæc fécerit, morte moriétur, sanguis ejus in ipso erit. Quod si genúerit fílium, qui videns ómnia peccáta patris sui, quæ fecit, timúerit et non fécerit símile eis; judícia mea fécerit et in præcéptis meis ambuláverit; hic non moriétur in iniquitáte patris sui, sed vita vivet. Pater ejus [2]qui[2] calumniátus est, et vim fécerit fratri, et malum operátus est in médio pópuli sui, ecce mórtuus est in iniquitáte sua. Et dícitis; Quare non portábit fílius iniquitátem patris sui? Videlícet, quia fílius judícium et justítiam operátus est, ómnia præcépta mea custodívit, et fecit illa, vita vivet, ait Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 16 Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me.
℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátem.

[1] vestimenta—55P. 57.
[2] quia—13. 55P. V.

Secundum Johannem. c. 8

In illo témpore, Dicébat Jesus ad eos, qui credidérunt ei, ex Judæis; Si vos mansériti in sermóne meo, vere discípuli mei éritis: et cognoscétis veritátem, et véritas liberábit vos. Respondérunt ei Judæi; Semen Abrahæ sumus, et némini servívimus unquam: quómodo tu dicis: quia líberi éritis? Respóndit eis Jesus; Amen, amen, dico vobis; quia omnis, qui facit peccátum, servus est peccáti. Servus autem non manet in domo in ætérnum: fílius autem manet in ætérnum. Si ergo fílius vos liberáverit, vere líberi éritis. Scio quia fílii Abrahæ estis: sed quæritis me interfícere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: et vos quæ vidístis apud patrem vestrum, fácitis. Respondérunt, et dixérunt ei; Pater noster Abraham est. Dixit eis Jesus: Si filii Abrahæ[3] estis, ópera Abrahæ fácite.[3] Nunc autem quæritis me interfícere, hóminem, qui veritátem locútus sum vobis, quam audívi a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos fácitis ópera patris vestri. Dixérunt ítaque ei; Nos ex fornicatióne non sumus nati: unum patrem habémus Deum. Dixit ergo eis Jesus; Si Deus pater vester esset: diligerétis útique me: ego enim a Deo procéssi, et veni; neque enim a meípso veni, sed ille me misit. Quare loquélam meam non cognóscitis? Quia non potéstis audíre sermónem meum. Vos ex patre diábolo estis: et desidéria patris vestri vultis fácere: ille homicída erat ab inítio, et in veritáte non stetit quia non est véritas in eo: cum lóquitur mendácium, ex própriis lóquitur, quia mendax est, et pater ejus. Ego autem [4]quia[4] veritátem dico,

[3] essetis opera Abrahæ faceritis—92. 98.
[4] qui—98. si—97. 26. 57. V.

non créditis mihi. Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare vos non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit.

Offertorium. Ps. 33 Immíttit ángelus Dómini in circúitu timéntium eum et erípiet eos: gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Secreta.

SACRIFÍCIA, Dómine, quæsumus, propénsius ista nos salvent: quæ medicinálibus sunt institúta jejúniis. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 6 Panis quem ego dédero: caro mea est pro sæculi vita.

Postcommunio.

TUÓRUM nos, Dómine, largitáte donórum, et temporálibus attólle præsídiis, et rénova sempitérnis. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DA, quæsumus, Dómine, pópulis Christiánis et quæ profiténtur agnóscere, et cœléste munus dilígere quod frequéntant. Per.

Feria sexta Quatuor temporum Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 24

E necessitátibus meis éripe me, Dómine; vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus in te confído, non erubéscam.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

ESTO, Dómine, propítius plebi tuæ, et quam tibi facis esse devótam, benígno réfove miserátus auxílio. Per.

Lectio Ezechielis Prophetæ. c. 18

HÆC dicit Dóminus Deus; Anima, quæ peccáverit, ipsa moriétur: fílius non portábit iniquitátem patris, et pater non portábit iniquitátem fílii: justítia justi super eum erit, et impiétas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis, quæ operátus est, et custodíerit ómnia præcépta mea, et fécerit judícium et justítiam: vita vivet et non moriétur. Omnium iniquitátum ejus, quas operátus est, non recordábor: in justítia sua quam operátus est, vivet. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus, et non magis ut convertátur a viis suis et vivat? Si autem avérterit se justus a justítia sua, et fécerit iniquitátem secúndum omnes abominatiónes, quas operári solet ímpius, numquid vivet? omnes justítiæ ejus, quas fécerat, non recordabúntur: in pravaricatióne sua qua prævaricátus est, et in peccáto suo quod peccávit, in ipsis moriétur. Et dixístis; Non est æqua via Dómini. Audíte ergo, domus Israel; Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestras pravæ sunt? Cum enim avérterit se justus a justítia sua et fécerit iniquitátes, moriétur in eis. In injustítia sua quam operátus est moriétur. Et cum avérterit se ímpius ab impietáte sua, quam operátus est, et fécerit judícium et justítiam; ipse ánimam suam vivificábit. Consíderans enim et avértens se ab ómnibus iniquitátibus suis, quas operátus est, vita vivet et non moriétur, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 85 Salvum fac servum tuum: Deus meus, sperántem in te.
℣. Auribus percipe, Dómine, oratiónem meam.
Tractus. Ps. 102 Dómine non secúndum. ut supra fol. 79.

Secundum Johannem. c. 5

In illo témpore, Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Hierosólymam. Est autem Hierosólymis probática piscína, quæ cognominabatur Hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, expectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini secundum tempus descendébat in piscínam, et movebátur aqua. Et quicúnque prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúnque detinebátur infirmitáte. Erat autem quidam homo ibi, trigínta et octo annos habens in infirmitáte sua. Hunc cum vidísset Jesus jacéntem, et cognovísset quia multum jam tempus habéret, dicit ei; Vis sanus fieri? Respóndit ei lánguidus; Dómine, hóminem non hábeo, ut cum turbáta fúerit aqua, mittat me in piscínam: dum vénio enim ego, álius ante me descéndit. Dicit ei Jesus; Surge, tolle grabátum tuum, et ámbula. Et statim sanus factus est homo ille: et sústulit grabátum suum et ambulábat. Erat autem sábbatum in illa die. Dicébant ergo Judæi illi qui sanátus fúerat; Sábbatum est; non licet tibi tóllere grabátum tuum. Respóndit eis; Qui me sanum fecit, ille mihi dixit; Tolle grabátum tuum et ámbula. Interrogavérunt ergo eum; Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabátum tuum et ámbula? Is autem qui sanus fúerat effféctus, nesciébat quis esset. Jesus autem declinávit a turba constitúta in loco. Póstea invénit eum Jesus in templo, et dixit illi; Ecce sanus factus es: jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contíngat. Abiit ille homo, et nunciávit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

Offertorium. Ps. 102 Bénedic ánima mea Dómino, et noli oblivísci omnes retributiónes ejus: et renovábitur sicut áquilæ juvéntus tua.
℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: et rédimit de intéritu vitam tuam: qui corónat te in miseratióne et misericórdia.

Secreta.

Súscipe, Dómine, quæsumus, múnera nostris obláta servítiis; et tua propítius dona sanctífica. Per.
Præfatio. Qui corporáli.

Communio. Ps. 6 Erubéscant et conturbéntur, omnes inimíci mei: avertántur retrórsum et erubéscant valde velóciter.

Postcommunio.

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii et vítia nostra purgéntur et justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita.

Oratio.

Exáudi nos, miséricors Deus, et méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde. Per Dóminum.

Sabbato Quatuor temporum Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 87

Intret orátio mea in conspéctu tuo: inclína aurem tuam ad precem meam, Dómine.
Psalmus. Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi et nocte coram te.

Omnes Orationes sine Dóminus vobíscum dicuntur, præter ultimam quæ est ante Epistolam. Et ad omnes Orationes dicitur Orémus. Similiter et ad omnes Orationes dicitur Flectámus génua, præterquam ad ultimam,[1] et omnes lectiones cum suis titulis legantur.

Oratio.

PÓPULUM tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice; atque ab eo flagélla tuæ iracúndiæ cleménter avérte. Per Dóminum.

Lectio libri Deuteronomii. c. 26

IN diébus illis, Locútus est Móyses ad Dóminum, dicens; Réspice, Dómine, de sanctuário tuo et de excélso cœlórum habitáculo, et bénedic pópulo tuo Israel, et terræ quam dedísti nobis, sicut jurásti pátribus nostris, [2]dare terram lacte et melle manántem.[2] Audi Israel; Hódie Dóminus Deus tuus præcépit tibi ut fácias mandáta ejus atque judícia: et custódias et ímpleas ex toto corde tuo et ex tota ánima tua. Dóminum elegísti hódie, ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, ut custódias cærimónias illíus et mandáta eius atque judícia, et obédias ejus império. Et Dóminus elégit te hódie, ut sis ei pópulus peculiáris, sicut locútus est tibi, et custódias ómnia præcépta ejus: et fáciat te excelsiórem cunctis géntibus quas creávit, in laudem et nomen et glóriam suam: ut sis pópulus sanctus Dómini Dei tui, sicut locútus est tibi.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequándo dicant gentes, Ubi est Deus eórum.
℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Non repetatur Gradale.
Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEUS, qui nos per temporália ducis ad ætérna: præténde misericórdiam tuam ad cœléstia promíssa niténtibus: et quia tuum est quod in te crédimus, tuum sit omne quod vívimus. Per Dóminum.

Lectio libri Deuteronomii. c. 11

IN diébus illis, Dixit Móyses fíliis Israel; Si custodiéritis mandáta quæ ego præcípio vobis et fecéritis ea, ut diligátis Dóminum Deum vestrum, et ambulétis in ómnibus viis ejus, adhæréntes ei, dispérdet Dóminus omnes gentes istas ante fáciem vestram et possidébitis eas, quæ majóres et fortióres vobis sunt. Omnis locus, quem calcáverit pes vester, vester erit. A desérto et Líbano et flúmine magno Euphráte usque ad mare occidentále erunt términi vestri. Nullus stabit contra vos: terrórem vestrum et formídinem dabit Dóminus Deus vester super omnem terram quam calcatúri estis, sicut locútus est vobis Dóminus Deus vester.

Gradale. Ps. 83 Protéctor noster áspice, Deus: et réspice super servos tuos.
℣. Dómine Deus virtútum: exáudi preces servórum tuórum. Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PROTÉCTOR noster áspice, Deus; ut qui malórum nostrórum póndere prémimur, percépta misericórdia, líbera tibi mente famulémur. Per Dóminum.

Lectio libri Machabæorum. 2 c. 1

IN diébus illis, Oratiónem faciébant sacerdótes dum offérrent sacrifícium

[1] quæ est ante Epistolam.—94. 97. 55P. Grad.
[2] terræ lacte et melle mananti—13. V.

pro pópulo Israel, Jónatha inchoánte, cæteris autem respondéntibus et dicéntibus;[1] Benefáciat vobis Deus, et memínerit testaménti sui quod ad Abraham, Isaac et Jacob locútus est servórum suórum fidélium. Et det vobis cor ómnibus ut colátis eum et faciátis ejus voluntátem [2]corde magno et ánimo volénti.[2] Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 89 Convértere, Dómine, aliquántulum: et deprecáre super servos tuos.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

ADÉSTO, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut esse te largiénte mereámur, et inter próspera húmiles et inter advérsa secúri. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 36

MISERÉRE nostri, Deus ómnium, et réspice nos, et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum. Et immítte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te: ut cognóscant quia non est Deus nisi tu: ut enárrent magnália tua. Alleva manum tuam super gentes aliénas, ut vídeant poténtiam tuam. Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspéctu nostro magnificáberis in illis; ut cognóscant te sicut et nos cognóvimus, quia non est Deus præter te, Dómine. Innova signa et immúta mirabília. Glorífica manum et bráchium dextrum. Excita furórem et effúnde iram. Extólle adversárium et afflíge inimícum. Festína tempus et meménto finis, ut enárrent univérsa mirabília tua, Dómine Deus noster.

Gradale.[3] Salvum fac pópulum tuum, Dómine: et bénedic hæreditáti tuæ.

℣. Ps. 27 Ad te, Dómine, clamávi, Deus meus, ne síleas a me: et ero símilis descendéntibus in lacum.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

ACTIÓNES nostras, quæsumus, Dómine, et aspirándo práeveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Dóminum.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 3

ANGELUS Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffúsa est super fornácem cúbitis quadragínta novem: et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldæis minístros regis qui eam incendébant. Illos autem omníno non tétigit ignis, neque contristávit, nec quicquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant et glorificábant et benedicébant Deum in fornáce dicentes; Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum; et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sæcula. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ quod est sanctum; et laudábile et superexaltátum in ómnibus sæculis. Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ; et superlaudábilis et supergloriósus in sæcula. Benedíctus es in throno re-

[1] ib. (v. 2–5)
[2] non habent 92. 97. 98.
[3] Canticum Te Deum

gni tui; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula. Benedíctus es super sceptrum regni divinitátis tuæ; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula. Benedíctus es qui intuéris abýssos et sedes super chérubin; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula. Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum et super undas maris; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula.

Duo clerici de secunda forma in superpelliciis ad gradum chori dicant Tractum. Dan. c. 3

Benedíctus es in firmaménto cœli; et laudábilis et gloriósus in sæcula.

Chorus idem.

Clerici ℣.

Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: benedícite cœli Dómino: benedícite Angeli Dómini Dómino.

Chorus post unumquemque versum ℟.

Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula.

Clerici ℣.

Benedícite aquæ quæ super cœlos sunt Dómino; benedícite omnes virtútes Dómini Dómino; benedícite sol et luna Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite stellæ cœli Dómino; benedícite imber et ros Dómino; benedícite omnis spíritus Dei Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite ignis et æstus Dómino; benedícite noctes et dies Dómino; benedícite ténebræ et lumen Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite frigus et cauma Dómino; benedícite pruína et nives Dómino; benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícat terra Dómino; benedícite montes et colles Dómino; benedícite omnia nascéntia terræ Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite mária et flúmina Dómino; benedícite fontes Dómino; benedícite cete et ómnia quæ movéntur in aquis Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite vólucres cœli Dómino; benedícite béstiæ et univérsa pécora Dómino; benedícite filii hóminum Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícat Israel Dómino; benedícite sacerdótes Dómini Dómino; benedícite servi Dómini Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite spíritus et ánimæ justórum Dómino; benedícite sancti et húmiles corde Dómino.

Chorus Hymnum.

Clerici ℣.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísael Dómino.

Chorus Hymnum.

Postea Clerici reincipiant Tractum.

Benedíctus es in firmaménto cœli et percantetur a choro.

Sequitur Dóminus vobíscum et Orémus. Hic non dicatur, Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium, concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Hic dicuntur Memoriæ consuetæ.

Ad Thessalonicenses. 1 c. 5

FRATRES, Rogámus vos, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat; sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem et in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos. Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia: ut ínteger spíritus vester et ánima et corpus sine queréla in advéntu Dómini nostri Jesu Christi servétur.

Duo clerici de secunda forma in capis[1] nigris ad gradum chori simul cantent totum et integrum istum Tractum. Ps. 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum omnes pópuli.

℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Secundum Matthæum c. 17

IN illo témpore, Assúmpsit Jesus Petrum et Jacobum et Johánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol; vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Helías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum; Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Helíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos; et ecce vox de nube, dicens; Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam et timuérunt valde. Et accéssit Jesus et tétigit eos, dixítque eis; Súrgite et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens; Némini dixéritis visiónem, donec Fílius Hóminis a [2]mórtuis[2] resúrgat.

Offertorium. Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

℣. Inclína aurem tuam ad precem meam, Dómine; longe fecísti notos meos a me: clamávi ad te, Dómine; tota die expándi manus meas ad te.

Secreta.

PRÆSÉNTIBUS sacrifíciis, quæsumus, Dómine, jejúnia nostra sanctífica; ut quod observántia nostra profitétur extrínsecus, intrínsecus operétur. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli.

Communio. Ps. 7 Dómine Deus meus, in te sperávi: líbera me ab ómnibus persequéntibus me et éripe me.

Postcommunio.

QUOS divino, Domine, reficis mysterio, perpetuo defende præsidio: et quos imbuisti cœlestibus institutis, salutaribus comitare solatiis. Per.

Si Episcopus defuerit, dicatur super populum hæc Oratio.

Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

FIDÉLES tuos, Dómine, benedíctio desideráta confírmet; quæ eos et a tua

[1] suis—92. 94. 97. 55P.
[2] morte—55P. 57.

voluntáte nunquam fáciat discrepáre, et tuis semper indúlgeat benefíciis gratulári. Per Dóminum.

Tamen si Episcopus præsens fuerit et Ordines fecerit, non dicetur.

Dominica secunda Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 24

REMINÍSCERE miseratiónum tuárum, Dómine, et misericórdiæ tuæ quæ a sæculo sunt: ne unquam dominéntur nobis inimíci nostri, líbera nos, Deus Israel, ex ómnibus angústiis nostris.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis omni nos virtúte destítui; intérius exteriúsque custódi, ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Ad Thessalonicenses. 1 c. 4

FRATRES, Rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra; ut abstineátis vos a fornicatióne. Ut sciat unusquísque vestrum suum vas possidére in sanctificatióne et honóre: non in passióne desidérii, sicut et Gentes, quæ ignórant Deum: et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum: quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 24 Tribulatiónes cordis mei dilatátæ sunt: de necessitátibus meis éripe me, Dómine.

℣. Vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea.

Tractus. Matth. c. 25 Dixit Dóminus mulíeri Chananéæ, Non est bonum súmere panem filiórum: et míttere cánibus ad manducándum.

℣. At illa dixit, Etiam, Dómine, nam et catélli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominórum suórum.

℣. Ait illi Jesus, O múlier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petísti.

Secundum Matthæum. c. 15

IN illo témpore, Egréssus Jesus, secéssit in partes Tyri et Sidónis. Et ecce múlier Chananæa a fínibus illis egréssa clamávit, dicens ei; Miserére mei, Dómine fili David: fília mea male a dæmónio vexátur. Qui non respóndit ei verbum. Et accedéntes discípuli ejus rogábant eum dicéntes; Dimítte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respóndens, ait; Non sum missus nisi ad oves, quæ periérunt, domus Israel. At illa venit et adorávit eum, dicens; Dómine, ádjuva me. Qui respóndens ait; Non est bonum súmere panem filiórum et míttere cánibus. At illa dixit; Etiam, Dómine, nam et catélli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominórum suórum. Tunc respóndens Jesus, ait illi; O múlier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanáta est fília ejus ex illa hora.

Offertorium. Ps. 118 Meditábor in man-

dátis tuis quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua quæ diléxi.[1]

Secreta.

Ecclésiæ tuæ, Dómine, múnera placátus assúme, quæ et miséricors offerénda tribuísti, et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium. Per.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 5 Intéllige clamórem meum: inténde voci oratiónis meæ, rex meus et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.

Postcommunio.

Córporis et sánguinis sacrosáncti, Dómine, quæsumus, grátia nos sumpta vivíficet, et quod mýsticis actiónibus pollicétur, ætérnis efféctibus largiátur. Per Dóminum.

Feria secunda post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 25

Redime me, Dómine, et miserére mei: pes enim meus stetit in via recta, in ecclésiis benedícam Dóminum.

Psalmus. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum: et in Dómino sperans, non infirmábor.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua quæ se affligéndo carnem ab aliméntis ábstinet, sectándo justítiam a culpa jejúnet. Per Dóminum.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 9

In diébus illis, Orávit Dániel ad Dóminum, dicens: Dómine Deus noster, qui eduxísti pópulum tuum de terra Ægýpti in manu forti, et fecísti tibi nomen secúndum diem hanc: peccávimus, iniquitátem fécimus, Dómine, in omnem justítiam tuam: avertátur óbsecro ira tua et furor tuus a civitáte tua Hierúsalem et a monte sancto tuo. Propter peccáta enim nostra et iniquitátes patrum nostrórum, Hierúsalem et pópulus tuus in oppróbrium sunt ómnibus per circúitum nostrum. Nunc ergo exáudi, Deus noster, oratiónem servi tui et preces ejus: et osténde fáciem tuam super sanctuárium tuum quod desértum est. Propter temetípsum inclína, Deus meus, aurem tuam et audi: áperi óculos tuos et vide desolatiónem nostram et civitátem super quam invocátum est nomen tuum: neque enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante faciem tuam sed in miseratiónibus tuis multis. Exáudi, Dómine, placáre, Dómine: atténde et fac: ne moréris propter temetípsum, Deus meus: quia nomen tuum invocátum est super civitátem et super pópulum tuum, Dómine Deus noster.

Gradale. Ps. 69 Adjútor meus et liberátor meus esto, Dómine: ne tardáveris. ℣. Confundántur et revereántur [2]inimíci mei:[2] qui quærunt ánimam meam.

Tractus Dómine non secúndum Quære supra feria sexta Quatuor temporum.

Secundum Johannem. c. 8

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Ego vado, et quærétis me, et

[1] ℣. Pars mea, Domine, dixi custodire legem tuam: precatus sum vultum tuum in toto corde meo.—Grad.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

in peccáto vestro moriémini. Quo ego vado, vos non potéstis veníre. Dicébant ergo Judæi;[1] Numquid interfíciet semetípsum? quia dicit; Quo ego vado, vos non potéstis veníre. Et dicébat eis; Vos de deórsum estis, ego de supérius sum: vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriémini in peccátis vestris: si enim non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccáto vestro. Dicébant ergo ei; Tu quis es? Dixit eis Jesus; Princípium, qui et loquor vobis. Multa hábeo de vobis loqui, et judicáre: sed qui misit me verax est: et ego quæ audívi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognovérunt quia [2]Patrem ejus dicébat Deum.[2] Dixit ergo eis Jesus; Cum exaltavéritis Fílium Hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum; et a meípso fácio nihil, sed sicut dócuit me Pater hæc loquor; et qui me misit, mecum est, et non relíquit me solum: quia ego quæ plácita sunt ei, fácio semper.

Offertorium. Ps. 15 Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi [3]ne commóvear.[3]

℣. Consérva me, Dómine, quóniam in te sperávi: ego dixi, Deus meus es tu; Dominus pars hæreditátis meæ.

Secreta.

HÆC hóstia, Dómine, placatiónis et laudis tua nos propitiatióne dignos effíciat. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 8 Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Postcommunio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine, et cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

ADÉSTO supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus effectum. Per Dóminum.

Feria tertia post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 26

IBI dixit cor meum; quæsívi vultum tuum: vultum tuum, Dómine, requíram; ne avértas fáciem tuam a me.

Psalmus. Dóminus illuminátio mea: et salus mea, quem timébo.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PERFICE, quæsumus, Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium: ut quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te operánte compleámus. Per Dóminum.

Lectio libri Regum. 3 c. 17

IN diébus illis, Factus est sermo Dómini ad Helíam Thesbítem dicens; Surge, et vade in Saréptam Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te. Surréxit Helías, et ábiit in Saréptam. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna; et vocávit eam, dixítque ei; Da mihi

[1] Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est et docturus gentes? Dicebant ergo.—92. 97. 98. 4L. 57.
[2] de Patre ejus dicebat—92. 97. 98.
[3] non habent 97. 57.

páululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens; Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit; Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria, et páululum ólei in léchyto: en cólligo duo ligna, ut ingrédiar et fáciam illud mihi et fílio meo, ut comedámus et moriámur. Ad quam Helías ait; Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúntamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israel; Hýdria farínæ non defíciet nec léchytus ólei minuétur, usque ad diem in qua datúrus est Dóminus plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Helíæ: et comédit ipse et illa et domus ejus tota: et ex illa die hýdria farínæ non defécit et léchytus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini quod locútus fúerat in manu Helíæ.

Gradale. Ps. 54 Jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet.
℣. Dum clamárem ad Dóminum exaudívit vocem meam ab his qui appropínquant mihi.

Evangelium. Secundum Matthæum. c. 23

In illo témpore, Locútus est Jesus ad turbas et ad discípulos suos, dicens; Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcúmque díxerint vobis, serváte et fácite: secúndum vero ópera eórum nolíte fácere: dicunt enim, et non fáciunt. Alligant enim ónera grávia et importabília, et impónunt in húmeros hóminum: dígito autem suo nolunt ea movére. Omnia vero ópera sua fáciunt ut videántur ab homínibus: dilátant enim phylactéria sua et magníficant fímbrias. Amant autem primos recúbitus in cœnis, et primas cáthedras in synagógis, et salutatiónes in foro, et vocári ab homínibus Rabbi. Vos autem nolíte vocári Rabbi: unus est enim Magíster vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolíte vocáre vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocémini magístri: quia Magíster vester unus est, Christus. Qui major est vestrum, erit miníster vester. Qui autem se exaltáverit, humiliábitur: et qui se humiliáverit, exaltábitur.

Offertorium. Ps. 50 Miserére mihi, Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam: dele, Dómine, iniquitátem meam.
℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: et delíctum meum contra me est semper.

Secreta.

Sanctificatiónem tuam nobis, Dómine, his mystériis placátus operáre, quæ nos et a terrénis purget vítiis et ad cœléstia dona perdúcat. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 9 Narrábo ómnia mirabília tua: lætábor et exultábo in te; psallam nómini tuo, Altíssime.

Postcommunio.

Sit nobis, Dómine, quæsumus, medicína mentis et córporis quod de sancto altári tuo percépimus: ut nullis adversitátibus fatigémur qui tanti remédii participatióne múnimur. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et animárum nostrárum medére languóribus; ut remissióne percépta,

in tua semper benedictióne lætémur. Per Dóminum.

Feria quarta post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 37

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus; ne discédas a me; inténde in adjutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus. Dómine, ne in furóre tuo árguas me: neque in ira tua corrípias me.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice: et quos ab escis carnálibus præcipis abstinére, a nóxiis quoque vítiis cessáre concéde. Per Dóminum.

Epistola. Lectio libri Hester. c. 13

In diébus illis, Orávit Hester ad Dóminum dicens; Dómine Deus, rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est qui tuæ possit resístere voluntáti. Si decréveris salváre nos, contínuo liberábimur. Tu enim, Dómine, fecísti cœlum et terram et quicquid cœli ámbitu continétur. Dóminus ómnium tu es, nec est qui resístat majestáti tuæ. Et nunc, Dómine, rex regum, Deus Abraham, miserére pópulo tuo; quia volunt nos inimíci nostri pérdere, et hæreditátem tuam delére. Ne despícias partem tuam quam redemísti de Ægýpto, sed exáudi deprecatiónem nostram; et propítius esto sorti et funículo hæreditátis tuæ, et convérte luctum nostrum in gáudium: ut vivéntes laudémus nomen tuum. Et ne claudas ora canéntium te, Dómine Deus noster.

Gradale. Ps. 27 Salvum fac pópulum tuum, Dómine: et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas a me, et ero símilis descendéntibus in lacum.

Tractus. Ps. 24 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam et labórem meum, et dimítte ómnia peccáta mea.
℣. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam, neque irrídeant me inimíci mei.
℣. Etenim univérsi qui te expéctant, non confundéntur; confundántur omnes faciéntes vana.

Secundum Matthæum. c. 20

In illo témpore, Ascéndens Jesus Hierosólymam, assúmpsit duódecim discípulos suos secréto, et ait illis; Ecce ascéndimus Hierosólymam, et Fílius Hóminis tradétur princípibus sacerdótum et scribis, et condemnábunt eum morte; et tradent eum Géntibus ad illudéndum et flagellándum et crucifigéndum, et tértia die resúrget. Tunc accéssit ad eum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei; Quid vis? Ait illi; Dic ut sédeant hi duo fílii mei unus ad déxteram et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit; Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei; Póssumus. Ait illis; Cálicem quidem meum bibétis; sedére autem ad déxteram meam vel ad sinístram non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Et audiéntes decem, indignáti sunt de duóbus frátribus. Jesus autem vocávit eos ad se, et ait; Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum; et qui majóres sunt, potestátem exércent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicúnque volúerit inter vos maior fíeri, sit vester miníster: et qui volúerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Fílius Hóminis non ve-

nit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam in redemptiónem pro multis.

Offertorium. Ps. 24 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam; neque irrídeant me inimíci mei, étenim univérsi qui te expéctant non confundéntur.

℣. Dírige me in veritáte tua et doce me: quia tu es Deus salutáris meus et te sustínui tota die.[1]

Secreta.

HÓSTIAS, Dómine, quas tibi offérimus propítius réspice; et per hæc sacrosáncta commércia víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 10 Justus Dóminus, et justítias diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Postcommunio.

PROSIT nobis, Dómine, quæsumus, mystérii frequentáta percéptio, ut a vetustátis conditióne purgáti; ad tuæ novitátis increménta tendámus. Per.

Super Populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DEUS, innocéntiæ restitútor et amátor, dírige ad te tuórum corda servórum; ut Spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles et in ópere efficáces. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Feria quinta post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 69

EUS, in adjutórium meum intende; Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur et reveréntur inimíci mei qui quærunt ánimam meam.

Psalmus. Avertántur retrórsum et erubéscant: qui volunt mihi mala.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ: ut jejúniis et oratiónibus conveniénter intenti, liberémur ab hóstibus mentis et córporis. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 17

IN diébus illis, Locútus est Hieremías prophéta, dicens; Maledíctus homo, qui confídit in hómine, et ponit carnem bráchium suum, et a Dómino recédit cor ejus. Erit enim quasi myrícæ in desérto, et non vidébit cum vénerit bonum: sed habitábit in siccitáte in desérto, in terra salsúginis et inhabitábili. Benedíctus vir, qui confídit in Dómino; et erit Dóminus fidúcia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas: et non timébit cum vénerit æstus. Et erit fólium ejus víride, et in témpore siccitátis non erit sollícitum, nec aliquándo désinet fácere fructum. Pravum est cor hóminis et inscrutábile; quis cognóscet illud? Ego Dóminus scrutans corda et probans renes: qui do unicuíque juxta viam suam et juxta fructum adinventiónum suárum, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequándo dicant gentes, Ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

[1] Ps. 24 Respice in me et miserere mei, Domine; custodi animam meam et eripe me; non confundar quoniam invocavi te.—94. Grad.

Evangelium: Secundum Johannem.

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Non possum ego a meipso fácere quicquam; sed sicut áudio, júdico: et judícium meum justum est: quia non quæro voluntátem meam, sed voluntátem ejus qui misit me. Si ego testimónium perhíbeo de meípso, testimónium meum non est verum. Alius est, qui testimónium pérhibet de me: et scio quia verum est testimónium ejus quod pérhibet de me. Vos misístis ad Johánnem: et testimónium perhíbuit veritáti. Ego autem non ab hómine testimónium accípio: sed hæc dico ut vos salvi sitis. Ille erat lucérna ardens et lucens; vos autem voluístis ad horam exultáre in luce ejus. Ego autem hábeo testimónium majus Johánne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perfíciam ea, ipsa ópera quæ ego fácio testimónium pérhibent de me, quia Pater me misit: et qui misit me Pater, ipse testimónium [1]perhíbuit[1] de me: neque vocem ejus unquam audístis, neque spéciem ejus vidístis. Et verbum ejus non habétis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non créditis. Scrutámini Scriptúras, [2]in quibus putátis vos[2] vitam ætérnam habére; et illæ sunt, quæ testimónium pérhibent de me. Et non vultis veníre ad me ut vitam ætérnam habeátis. Claritátem ab homínibus non accípio. Sed cognóvi vos, quia dilectiónem Dei non habétis in vobis. Ego veni in nómine Patris mei, et non accepístis me: si álius vénerit in nómine suo, illum accipiétis. Quómodo vos potéstis crédere, qui glóriam ab ínvicem accípitis, et glóriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Nolíte ergo putáre, quia ego accusatúrus sum vos apud Patrem: est qui accúsat vos Móyses, in quo vos sperátis. Si enim crederétis Móysi, crederétis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illíus lítteris non créditis: quómodo verbis meis credétis?

Offertorium. Exod. 32 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui et dixit; precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui et dixit; Quare, Dómine, irásceris in pópulo tuo? parce iræ ánimæ tuæ, meménto Abraham, Isaac et Jacob: quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel; et placátus factus est Dóminus de malignitáte quam dixit fácere pópulo suo.

℣. Dixit Dóminus ad Moysen; Invenísti grátiam in conspéctu meo, et scio te præ ómnibus; et féstinans Moyses inclinávit se in terram et adorávit dicens; Scio quia misércors es in míllibus, áuferens iniquitátem et peccáta.

Secreta.

Deus, cui ómnium sacrificiórum varietáte finíta, hóstiam nunc offérimus singulárem: adésto votis tua inspiratióne concéptis, ut in te sperántium et desidéria júbeas perfíci et peccáta deléri. Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 6 Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem: in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.

Postcommunio.

Grátia tua nos, Dómine, quæsumus, non derelínquat: quæ et sacræ nos déditos fáciat servitúti, et tuam nobis opem semper acquírat largitátis, [3]et ab ómnibus tueátur advérsis.[3] Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

[1] perhibet—94. 98. 4L. 13. 15.
[2] quia vos putatis in ipsis.—97. 26. V.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, fámulis tuis, et perpétuam benignitátem largíre poscéntibus: ut his qui te auctóre et gubernatóre gloriántur, et congregáta restáures et restauráta consérves. Per Dóminum.

Feria sexta post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 16

EGO autem cum justítia apparébo in conspéctu tuo: satiábor dum manifestábitur glória tua.

Psalmus. Exáudi, Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, sacro nos purificánte jejúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias perveníre. Per Dóminum.

Lectio libri Genesis. c. 37

IN diébus illis, Dixit Joseph frátribus suis; Audíte sómnium meum quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro: et quasi consúrgere manípulum meum et stare, vestrósque manípulos circumstántes adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum invídiæ et ódii fómitem ministrávit. Aliud quoque vidit sómnium, quod narrans frátribus, ait; Vidi per sómnium, quasi solem et lunam et stellas úndecim adoráre me. Quod cum patri suo et frátribus retulísset, increpávit eum pater suus et dixit; Quid sibi vult hoc sómnium quod vidísti? num ego et mater tua et fratres tui adorábimus te super terram? Invidébant ei igitur fratres sui; pater vero rem tácitus considerábat. Cumque fratres illíus in pascéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Israel; Fratres tui pascunt oves in Síchimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondénte; Præsto sum; ait; Vade et vide si cuncta próspera sint erga fratres tuos et pécora: et renúntia mihi quid agátur. Missus de valle Hebron venit in Sichem. Invenítque eum vir errántem in agro, et interrogávit eum quid quæreret. At ille respóndit; Fratres meos quæro; índica mihi ubi pascunt greges. Dixítque ei vir; Recessérunt de loco isto: audívi autem eos dicéntes: Eámus in Dóthaim. Perréxit ergo Joseph post fratres suos, et invénit eos in Dóthaim. Qui cum vidíssent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere, et mútuo loquebántur; Ecce somniátor venit: veníte, occidámus eum, et mittámus in cistérnam véterem, dicemúsque: Fera péssima devorávit eum: et tunc apparébit quid illi prosint sómnia sua. Audiens autem hæc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, et dicébat; Non interficiámus ánimam ejus, nec effundámus sánguinem; sed projícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias. Hoc autem dicébat, volens eum erípere de mánibus eórum, et réddere patri suo.

Gradale. Ps. 119 Ad Dóminum cum tribulárer clamávi et exaudívit me.

℣. Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis: et a lingua dolósa.

Tractus. Dómine non secúndum. Quære supra feria sexta Quatuor temporum.

Secundum Matthæum. c. 21

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Homo qui-

dam erat paterfamílias, qui plantávit víneam, et sepem circúmdedit ei, et fodit in ea torcúlar, et ædificávit turrim, et locávit eam agrícolis, et péregre proféctus est. Cum autem tempus frúctuum appropinquásset, misit servos suos ad agrícolas, ut accíperent fructus ejus. Et agrícolæ, apprehénsis servis ejus, álium cecidérunt, álium occidérunt, álium vero lapidavérunt. Iterum misit álios servos plures prióribus, et fecérunt illis simíliter. Novíssime autem misit ad eos fílium suum, dicens; Verebúntur forte fílium meum. Agrícolæ autem vidéntes fílium dixérunt intra se: Hic est heres, veníte, occidámus eum, et habébimus hereditátem ejus. Et apprehénsum eum ejecérunt extra víneam, et occidérunt. Cum ergo vénerit dóminus víneæ, quid fáciet agrícolis illis? Aiunt illi; Malos male perdet: et víneam suam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus suis. Dicit illis Jesus; Nunquam legístis in Scriptúris: Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris: Ideo dico vobis, quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. Et qui cecíderit super lápidem istum, confringétur: super quem vero cecíderit, cónteret eum. Et cum audíssent príncipes sacerdótum et Pharisæi parábolas ejus, cognovérunt quod de ipsis díceret. Et quæréntes eum tenére, timuérunt turbas: quóniam sicut prophétam eum habébant.

Offertorium. Ps. 39 Dómine, in auxílium meum réspice: confundántur et revereántur qui quærunt ánimam meam: ut áuferant eam.

℣. Avertántur retrórsum et erubéscant: qui [1]cógitant[1] mihi mala.

[1] volunt.—92. 98. 4L.

Secreta.

HÆC in nobis sacrifícia, Dómine Deus, et actióne permáneant et operatióne firméntur. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 11 Tu, Dómine, servábis nos: et custódies nos a generatióne hac in ætérnum.

Postcommunio.

FAC nos, Dómine, quæsumus, accépto pígnore salútis ætérnæ, sic téndere congruénter; ut ad eam perveníre possímus. Per Dóminum.

Super Populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DA, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis, ut bonis opéribus inhæréndo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne deféndi. Per Dóminum.

Sabbato post Reminiscere.

Ad Missam. Officium. Ps. 18

EX Dómini irreprehensíbilis convértens ánimas: testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DA, quæsumus, Dómine, nostris effféctum jejúniis salutárem: ut castigátio carnis assúmpta, ad nostrárum vegetatiónem tránseat animárum. Per Dóminum.

Lectio libri Genesis. c. 27

In diébus illis, Dixit Rebécca fílio suo Jacob; Audívi patrem tuum loquéntem cum Esau fratre tuo, et dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos ut cómedam, et benedícam tibi coram Dómino ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiésce consíliis meis: et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter véscitur: quas cum intúleris et coméderit, benedícat tibi priúsquam moriátur. Cui ille respóndit; Nosti quod Esau frater meus homo pilósus sit, et ego lenis: si attrectáverit me pater meus et sénserit, tímeo ne putet sibi me voluísse illúdere, et indúcat super me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater; In me sit, ait, ista maledíctio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens, affer quæ dixi. Abiit et áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, sicut nóverat velle patrem illíus; et véstibus Esau valde bonis, quas apud se habébat domi, índuit eum: pelliculásque hœdórum circúmdedit mánibus, et colli nuda protéxit. Dedítque pulméntum, et panes quos cóxerat trádidit. Quibus illátis, dixit; Pater mi? At ille respóndit; Audio; quis es tu, fili mi? Dixítque Jacob; Ego sum Esau primogénitus tuus: feci tibi sicut præcepísti mihi: surge, sede, et cómede de venatióne mea, ut benedícat mihi ánima tua. Rursúmque Isaac ad fílium suum; Quómodo inquit, tam cito invenire potuísti, fili mi? Qui respóndit; Volúntas Dei fuit ut cito occúrreret mihi quod volébam. Dixítque Isaac; Accéde huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis fílius meus Esau, an non. Accéssit ille ad patrem, et palpáto eo, dixit Isaac; Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et non cognóvit eum, quia pilósæ manus similitúdinem majóris expressérant. Benedícens ergo illi, ait; Tu es fílius meus Esau? Respóndit; Ego sum. At ille; Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedícat tibi ánima mea. Quos cum oblátos comedísset, óbtulit ei étiam et vinum: quo hausto, dixit ad eum; Accéde ad me, et da mihi ósculum, fili mi. Accéssit, et osculátus est eum. Statímque ut sensit vestimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait; Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguédine terræ abundántiam fruménti, vini et olei; et sérviant tibi pópuli, et adórent te tribus: esto dóminus fratrum tuórum, et incurvéntur ante te fílii matris tuæ. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus: et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. Vix Isaac sermónem impléverat, et egrésso Jacob foras, venit Esau, coctósque de venatióne cibos íntulit patri, dicens; Surge, pater mi, et cómede de venatióne fílii tui, ut benedícat mihi ánima tua. Dixítque illi Isaac; Quis enim es tu? Qui respóndit; Ego sum fílius tuus primogénitus Esau. Expávit Isaac stupóre vehemenţi: et ultra quam credi potest, admírans, ait; Quis ígitur ille est qui dudum captam venatiónem áttulit mihi, et comédi ex ómnibus priúsquam tu veníres? benedixíque illi, et erit benedíctus. Audítis Esau sermónibus patris, irrúgiit[1] clamóre magno: et consternátus ait; Bénedic étiam et mihi, pater mi. Qui ait; Venit germánus tuus fraudulénter, et accépit benedictiónem tuam. At ille subjúnxit; Juste vocátum est nomen ejus Jacob: supplantávit enim me en áltera vice: primogénita mea ante tulit, et nunc secúndo surrípuit

[1] infremuit.—92. 98. 57.

benedictiónem meam. Rursúmque ad patrem; Numquid non reservásti, ait, et mihi benedictiónem? Respóndit Isaac; Dóminum tuum illum constítui, et omnes fratres suos servitúti illíus subjugávi: fruménto et vino et oleo stabilívi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid fáciam? Cui Esau; Num unam, inquit, tantum benedictiónem habes, pater? mihi quoque óbsecro ut benedícas. Cumque ejulátu magno fleret, motus Isaac, dixit [1]ad eum:[1] In pinguédine terræ et in rore cœli désuper, erit benedíctio tua.

Gradale. Ps. 91 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.
℣. Ad annunciándum mane misericórdiam tuam: et veritátem tuam per noctem.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 15

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam hábuit duos fílios: et dixit adolescéntior ex illis patri; Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit. Et divísit illis substántiam. Et non post multos dies, congregátis ómnibus, adolescéntior fílius péregre proféctus est in regiónem longínquam, et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse. Et postquam ómnia consummásset, facta est fames válida in regióne illa, et ipse cœpit egére. Et ábiit, et adhǽsit uni cívium regiónis illíus. Et misit illum in villam suam ut pásceret porcos. Et cupiébat implére ventrem suum de síliquis, quas porci manducábant: et nemo illi dabat. In se autem revérsus, dixit; Quanti mercenárii in domo patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo! Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei; Pater, peccávi in cœlum, et coram te: jam non sum dignus vocári fílius tuus: fac me sicut unum ex mercenáriis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsíus, et misericórdia motus est, et accúrrens cécidit super collum ejus, et osculátus est eum. Dixítque ei fílius; Pater, peccávi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocári fílius tuus. Dixit autem pater ad servos suos; Cito proférte stolam primam, et indúite illum, et date ánnulum in manum ejus et calceaménta in pedes ejus; et addúcite vítulum saginátum et occídite, et manducémus, et epulémur; quia hic fílius meus mórtuus erat, et revíxit; perírerat, et invéntus est. Et cœpérunt epulári. Erat autem fílius ejus sénior in agro: et cum veníret et appropinquáret dómui, audívit symphóniam et chorum: et vocávit unum de servis, et interrogávit quæ hæc essent. Isque dixit illi; Frater tuus venit, et occídit pater tuus vítulum saginátum, quia salvum illum recépit. Indignátus est autem, et nolébat introíre. Pater ergo illíus egréssus, cœpit rogáre illum. At ille respóndens, dixit patri suo; Ecce tot annis sérvio tibi, et nunquam mandátum tuum præterívi, et nunquam dedísti mihi hœdum ut cum amícis meis epulárer: sed postquam hic fílius tuus, qui devorávit substántiam suam cum meretrícibus, venit, occidísti illi vítulum saginátum. At ipse dixit illi; Fili, tu semper mecum es, et ómnia mea tua sunt: epulári autem et gaudére oportébat, quia frater tuus hic mórtuus fúerat, et revíxit: perírerat, et invéntus est.

Offertorium. Ps. 12 Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: nequándo dicat inimícus meus, præválui advérsus eum.
℣. Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem: quámdiu ponam consília in ánima mea.

[1] non habent 92. 97. 98.

Secreta.

HIS sacrifíciis, Dómine, concéde placátus, ut qui própriis orámus absólvi delíctis, non gravémur extérnis.[1] Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Luc. 15 Opórtet te, fili, gaudére: quia frater tuus mórtuus fúerat et revíxit: perírat et invéntus est.

Postcommunio.

SACRAMÉNTI tui, Dómine, divína libátio penetrália nostri cordis infúndat: et sui nos partícipes poténter effíciat. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

FAMÍLIAM tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, cœlésti étiam protectióne muniátur. Per.

Dominica tertia Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 24

CULI mei semper ad Dóminum, quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos: réspice in me et miserére mei: quóniam únicus et pauper sum ego.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, vota humílium réspice, atque ad defensiónem nostram déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Ad Ephesios. c. 5

FRATRES, Estóte imitatóres Dei, sicut fílii charíssimi: et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem et omnis immundítia aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitúdo aut stultilóquium aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet: sed magis gratiárum actio. Hoc autem scitóte intelligéntes: quod omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hereditátem in regno Christi et Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte et justítia et veritáte.

Gradale. Ps. 9 Exúrge, Dómine, non præváleat homo: judicéntur gentes in conspéctu tuo.

℣. In converténdo inimícum meum retrórsum: infirmabúntur et perient a fácie tua.

Tractus. Ps. 122 Ad te levávi óculos meos: qui hábitas in cœlis.

℣. Ecce sicut óculi servórum: in mánibus dominórum suórum.

℣. Et sicut óculi ancíllæ: in mánibus dóminæ suæ.

[1] pœnis non gravemur æternis—98. 26. 57.

℣. Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum: donec misereátur nostri.
℣. Miserére nobis, Dómine: miserére nobis.

Evangelium. Secundum Lucam. c. 11

In illo témpore, Erat Jesus ejíciens dæmónium, et illud erat mutum. Et cum ejecísset dæmónium, locútus est mutus et admirátæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixérunt; In Beélzebub príncipe dæmoniórum éjicit dæmónia. Et álii tentántes, signum de cœlo quærébant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitatiónes eorum, dixit eis; Omne regnum in seípsum divísum desolábitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Sátanas in seípsum divísus est, quómodo stabit regnum ipsíus? quia dícitis, in Beélzebub ejícere me dæmónia. Si autem ego in Beélzebub ejício dæmónia: fílii vestri in quo ejíciunt? Ideo et ipsi júdices vestri erunt. Porro si in dígito Dei ejício dæmónia: profécto pervénit in vos regnum Dei. Cum fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea quæ pössidet. Si autem fórtior illo supervéniens vícerit eum, univérsa arma ejus áuferet, in quibus confidébat, et spólia ejus distríbuet. Qui non est mecum, advérsum me est: et qui non cólligit mecum, dispérgit. Cum immúndus spíritus exíerit ab hómine, ámbulat per loca inaquósa, quærens réquiem: et non invéniens dicit; Revértar in domum meam unde exívi. Et cum vénerit, ínvenit eam scopis mundátam.[1] Tunc vadit, et assúmit septem álios spíritus secum, nequióres se, et ingréssi hábitant ibi. Et fiunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus. Factum est autem, cum hæc díceret, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi; Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit; Quinímo, beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Offertorium. Ps. 18 Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: et dulcióra super mel et favum: nam et servus tuus custódit ea.

Secreta.

Súscipe, quæsumus, Dómine, devotórum múnera famulórum: et tua divínis purífica serviéntes pietáte mystériis, quibus étiam justíficas ignorántes. Per Dóminum.

Præfatio Quotidiana.

Communio. Ps. 83 Passer invénit sibi domum: et turtur nidum ubi repónat pullos suos, altária tua, Dómine virtútum: Rex meus et Deus meus, beáti qui hábitant in domo tua: in sæculum sæculi laudábunt te.

Postcommunio.

A cunctis nos, Dómine, reátibus et perículis propitiátus absólve: quos tanti mystérii tríbuis esse partícipes. Per Dóminum.

Feria secunda post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ps. 55

In Deo laudábo verbum: in Dómino laudábo sermónem: in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

Psalmus. Miserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: tota die impúgnans tribulávit me.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Aórdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: ut sicut ab escis [2]corporálibus[2] abstinémus:

[1] et ornatam. Et—92. 97. 98. 57.
[2] carnalibus.—94. 97. 8RM.

ita sensus quoque nostros a nóxiis retrahámus excéssibus. Per Dóminum.

Lectio libri Regum. 4 c. 5

In diebus illis, Náaman prínceps milítiæ regis Sýriæ, erat vir magnus apud dóminum suum et honorátus: per illum enim dedit Dóminus salútem Sýriæ: erat autem vir fortis et dives, sed leprósus. Porro de Sýria egréssi fúerant latrúnculi, et captívam dúxerant de terra Israel puéllam párvulam, quæ erat in obséquio uxóris Náaman. Quæ ait ad dóminam suam; Utinam fuísset dóminus meus ad prophétam, qui est in Samaría; profécto curásset eum a lepra, quam habet. Ingréssus est ítaque Náaman ad dóminum suum, et nunciávit ei, dicens; Sic et sic locúta est puélla de terra Israel. Dixítque ei rex Sýriæ: Vade, et mittam lítteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, et tulísset secum decem talénta argénti, et sex míllia áureos, et decem mutatória vestimentórum, détulit lítteras ad regem Israel, in hæc verba: Cum accéperis epístolam hanc, scito quod míserim ad te Náaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Cumque legísset rex Israel lítteras, scidit vestiménta sua, et ait; Numquid Deus ego sum, ut occídere possim et vivificáre, quia iste misit ad me, ut curem hóminem a lepra sua? animadvértite et vidéte, quot occasiónes quærat advérsum me. Quod cum audísset Helisæus vir Dei, scidísse vidélicet regem Israel vestiménta sua, misit ad eum, dicens; Cur scidísti vestiménta tua? véniat ad me, et sciat prophétam esse in Israel. Venit ergo Náaman cum equis et cúrribus, et stetit ad óstium domus Helisæi: misítque ad eum Helisæus núncium, dicens; Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Iratúsque Náaman recedébat, dicens; Putábam quod egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu sua locum lepræ, et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar flúvii Damásci, ómnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder? Cum ergo vertísset se, et abíret indígnans, accessérunt ad eum servi sui, et locúti sunt ei; Pater, et si rem grandem dixísset tibi prophéta, certe fácere debúeras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Laváre, et mundáberis? Descéndit, et lavit in Jordáne sépties juxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli, et mundátus est a lepra. Reversúsque ad virum Dei cum univérso comitátu suo, venit, et stetit coram eo, et ait; Vere scio quod non sit Deus álius in univérsa terra, nisi tantum Dóminus Deus Israel.

Gradale. Ps. 55 Deus, vitam meam nuntiávi tibi: posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

℣. Miserére mihi, Dómine, quóniam conculcávit me homo: tota die bellans tribulávit me.

Tractus. Dómine, non secúndum. quære supra Feria sexta Quatuor temporum.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 4

In illo témpore, Dixérunt Pharisæi ad Jesum; Quanta audívimus facta in Caphárnaum, fac et hic in pátria tua. Ait autem; Amen dico vobis, quia nemo prophéta accéptus est in pátria sua. In veritáte dico vobis, multæ víduæ erant in diébus Helíæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus et ménsibus sex: cum facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illárum missus est Helías, nisi in Saréptam Sidóniæ, ad mulíerem víduam. Et multi leprósi erant in Israel sub Helisæo prophéta: et nemo eórum mundátus est nisi Náaman Syrus. Et replé-

ti sunt omnes in synagóga ira, hæc audiéntes. Et surrexérunt, et ejecérunt illum extra civitátem, et duxérunt illum usque ad supercílium montis, super quem cívitas illórum erat ædificáta, ut præcipitárent eum. Ipse autem tránsiens, per médium illórum ibat.

Offertorium. Ps. 54 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me et exáudi me.

℣. Conturbátus sum a voce inimíci et a tribulatióne peccatóris: et expectábam eum qui me salvum fáceret.[1]

Secreta.

MUNUS quod tibi, Dómine, nostræ servitútis offérimus, tu salutáre nobis pérfice sacraméntum. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 13 Quis dabit ex Sion salutáre Israel: cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob et lætábitur Israel.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, ut quæ ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

SUBVÉNIAT nobis, quæsumus, Dómine, misericórdia tua, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Per Dóminum.

Feria tertia post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ps. 16

EGO clamávi quóniam exaudísti me, Deus; inclína aurem tuam et exáudi verba mea: custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me.

Psalmus. Exáudi, Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

EXÁUDI nos, omnípotens et miséricors Deus; et continéntiæ salutáris propítius nobis dona concéde. Per Dóminum.

Lectio libri Regum. 4 c. 4

IN diébus illis, Múlier quædam clamábat ad Helisæum prophétam, dicens; Servus tuus vir meus mórtuus est: et tu nosti quia servus tuus fuit timens Deum: et ecce créditor venit ut tollat duos fílios meos ad serviéndum sibi. Cui dixit Helisæus; Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respóndit; Non hábeo ancílla tua quicquam in domo mea, nisi parum ólei quo ungar. Cui ait; Vade, et pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vasa vacua non pauca. Et ingrédere domum tuam, et claude óstium cum intrínsecus fúeris, tu et fílii tui: et mitte inde in ómnia vasa hæc: et cum plena fúerint, tolles. Ivit ítaque múlier, et clausit óstium super se et super fílios suos: illi offerébant vasa, et illa infundébat. Cumque plena fuíssent vasa, dixit ad fílium suum; Affer mihi adhuc vas. Et ille respóndit; Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa et indicávit hómini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende óleum, et redde creditóri tuo: tu autem et fílii tui, vívite de réliquo.

[1] ℣. Ego autem ad Deum clamavi; Libera animam meam et extendas manum tuam in retribuendo illis.—94. 97.

Gradale. Ps. 18 Ab occúltis meis munda me, Dómine: et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Si mei non fúerint domináti: tunc immaculátus ero, et emundábor a delícto máximo.

Secundum Matthæum. c. 18

In illo témpore, Respíciens Jesus in discípulos suos, dixit Simóni Petro; Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te et ipsum solum: si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. Si autem te non audíerit, ádhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duórum vel trium téstium stet omne verbum. Quod si non audíerit eos, dic ecclésiæ: si autem ecclésiam non audíerit, sit tibi sicut éthnicus et publicánus. Amen dico vobis: quæcúmque alligavéritis super terram, erunt ligáta et in cœlo; et quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcúmque petíerint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. Tunc accédens Petrus ad eum, dixit; Dómine, quóties peccábit in me frater meus, et dimíttam ei? usque sépties? Dixit illi Jesus; Non dico tibi usque sépties, sed usque septuagesies sépties.

Offertorium Ps. 117 Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me; non móriar sed vivam: et narrábo ópera Dómini.
℣. In tribulatióne invocávi Dóminum: et exaudívit me in latitúdine; quóniam Dóminus adjútor meus est.

Secreta.

Per hæc véniat, quæsumus, Dómine, sacraménta nostræ redemptiónis efféctus; qui nos et ab humánis rétrahat semper excéssibus et ad salutária cuncta perdúcat. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 14 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo, aut quis requiéscet in monte sancto tuo? qui ingréditur sine mácula; et operátur justítiam.

Postcommunio.

Sacris, Dómine, mystériis expiáti, et véniam, quæsumus, consequámur et grátiam. Per Dóminum.

Super Populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Tua nos, Dómine, protectióne defénde, et ab omni semper iniquitáte custódi. Per Dóminum.

Feria quarta post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ps. 30

Go autem in Dómino sperávi: exultábo et lætábor in tua misericórdia, quia respexísti humilitátem meam.

Psalmus. In te Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, ut salutáribus jejúniis erudíti, a nóxiis quoque vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus. Per Dóminum.

Lectio libri Exodi. c. 20

Hæc dicit Dóminus Deus; Honóra patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falsum

testimónium. Non concupísces domum próximi tui: nec desiderábis uxórem ejus, non servum, non ancíllam, non bovem, non ásinum, nec ómnia quæ illíus sunt. Cunctus autem pópulus audiébat voces et vidébat[1] lámpades, et sónitum búccinæ, montémque fumigántem: et pertérriti ac pavóre percússi stetérunt procul, dicéntes Móysi; Lóquere tu nobis, et audiémus: non loquátur nobis Dóminus, ne forte moriámur. Et ait Móyses ad pópulum; Nolíte timére: ut enim probáret vos venit Deus, et ut terror illíus esset in vobis, et non peccarétis. Stetítque pópulus de longe. Móyses autem accéssit ad calíginem in qua erat Deus. Dixítque prætérea Dóminus ad Móysen; Hæc dices fíliis Israel: Vos vidístis quod de cœlo locútus sum vobis. Non faciétis deos argénteos, nec deos áureos faciétis vobis. Altáre de terra faciétis mihi, et offerétis super eo holocáusta et pacífica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo memória fúerit nóminis mei.

Gradale. Ps. 6 Miserére mihi, Dómine: quóniam infírmus sum, sana me, Dómine.

℣. Conturbáta sunt ómnia ossa mea: et ánima mea turbáta est valde.

Tractus. De necessitátibus éripe me. ut supra.

Evangelium: Secundum Matthæum. c. 15

In illo témpore, Accessérunt ad Jesum ab Hierosólymis scribæ et Pharisæi, dicéntes; Quare discípuli tui transgrediúntur traditiónes seniórum? non enim lavant manus suas cum panem mandúcant. Ipse autem respóndens ait illis: Quare et vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram? Nam Deus dixit: Honóra patrem et matrem: et, Qui maledíxerit patri vel matri, morte moriátur. Vos autem dícitis; Quicúnque díxerit patri vel matri, Munus quodcúmque est ex me tibi próderit: et non honorificábit patrem suum et matrem suam: et íritum fecístis mandátum Dei propter traditiónem vestram. Hypócritæ, bene prophetávit de vobis Isaías, dicens: pópulus hic lábiis me honórat: cor autem eórum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docéntes doctrínas et mandáta hóminum. Et convocátis ad se turbis, dixit eis; Audíte, et intellígite. Non quod intrat in os, coínquinat hóminem: sed quod procédit ex ore, hoc coínquinat hóminem. Tunc accedéntes discípuli ejus dixérunt ei; Scis, quia Pharisæi audíto hoc verbo, scandalizáti sunt? At ille respóndens ait; Omnis plantátio, quam non plantávit Pater meus cœléstis, eradicábitur. Sínite illos: cæci sunt et duces cæcórum: cæcus autem si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt. Respóndens autem Petrus dixit ei; Edíssere nobis parábolam istam. At ille dixit; Adhuc et vos sine intelléctu estis. Non intellígitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secéssum emíttitur? Quæ autem procédunt de ore, de corde éxeunt, et ea coínquinant hóminem: de corde enim éxeunt cogitatiónes malæ, homicídia, adultéria, fornicatiónes, furta, falsa testimónia, blasphémiæ. Hæc sunt, quæ coínquinant hóminem. Non lotis autem manibus mandúcare, non coínquinat hóminem.

Offertorium. Ps. 108 Dómine, fac mecum secúndum misericórdiam tuam propter nomen tuum: quia suávis est misericórdia tua.

[1] videbat voces et.—97. 55P. V.

℣. Deus, laudem meam ne tacúeris: quia os peccatóris et [1]os[1] dolósi super me apértum est.[2]

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum: et tua mystéria celebrántes, ab ómnibus nos defénde perículis. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 15 Notas mihi fecísti vias vitæ: adimplébis me lætítia cum vultu tuo, Dómine.

Postcommunio.

SANCTÍFICET nos, quæsumus, Dómine, qua pasti sumus mensa cœléstis; et a cunctis erróribus expiátos, supérnis promissiónibus reddat accéptos. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui protectiónis tuæ grátiam quærimus, liberáti a malis ómnibus secúra tibi mente serviámus. Per.

Feria quinta post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ex var.

ALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

Ps. 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut jejuniórum nobis sancta devótio et purificatiónem tríbuat et majestáti tuæ nos reddat accéptos. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 7

IN diébus illis, Factus est sermo Dómini ad me, dicens; Sta in porta domus Dómini, et prædica ibi verbum istud, et dic: Audíte verbum Dómini, omnis Juda, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum. Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israel: Bonas fácite vias vestras et stúdia vestra: et habitábo vobíscum in loco isto. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicéntes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est. Quóniam si benedixéritis vias vestras et stúdia vestra: si fecéritis judícium inter virum et próximum ejus; ádvenæ et pupíllo et víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc, et post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetípsis: habitábo vobíscum in loco isto: in terra, quam dedi pátribus vestris, a sæculo et usque in sæculum, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 144 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 6

IN illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Operámini non cibum qui perit, sed qui pérmanet in vitam ætérnam, quem Fílius Hóminis dabit vobis. Hunc enim Pater signávit Deus. Dixérunt ergo ad eum; Quid faciémus ut operémur ópera

[1] non habent 92. 94. 97. 98. 13. Grad.
[2] ℣. Impulsus versatus sum ut caderem, et Dominus suscepit me, et factus est mihi in salutem.—94. 97.

Dei? Respóndit Jesus et dixit eis; Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem misit ille. Dixérunt ergo ei; Quid ergo tu facis signum, ut videámus et credámus tibi? quid operáris? Patres nostri manducavérunt manna in desérto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducáre. Dixit ergo eis Jesus; Amen, amen, dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui descéndit de cœlo, et dat vitam mundo. Dixérunt ergo ad eum; Dómine, semper da nobis hunc panem. Dixit autem eis Jesus; Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esúriet: et qui credit in me, non sítiet unquam.

Offertorium. Ps. 137 Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.
℣. In quacúnque die invocávero te, exáudi me, Dómine: multiplicábis in ánima mea virtútem tuam.

Secreta.

Fac nos, Dómine, quæsumus, ad sancta mystéria purificátis méntibus accédere: ut tibi semper competens deferámus obséquium. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 118 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio.

Sacraménti tui, Dómine, veneránda percéptio, et mýstico nos mundet effectu et perpétua virtúte defendat. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Subjéctum tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cœléstis amplíficet, et tuis semper fáciat [1]servíre[1] mandátis. Per Dóminum.

Feria sexta post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ps. 85

ac mecum, Dómine, signum in bonum: ut vídeant qui me odérunt et confundántur: quóniam tu, Dómine, adjuvísti me: et consolátus es me.

Psalmus. Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me quóniam inops et pauper sum ego.

Oratio.

Jejúnia nostra, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquere; ut sicut ab aliméntis abstinémus in córpore, ita a vítiis jejunémus in mente. Per Dóminum nostrum.

Lectio libri Numeri. c. 20

In diébus illis, Convenérunt fílii Israel advérsum Móysen et Aaron: et versi in seditiónem, dixérunt; Date nobis aquam ut bibámus. Ingressíque Móyses et Aaron, dimíssa multitúdine ante tabernáculum fœderis, corruérunt proni in terram clamaverúntque ad Dóminum atque dixérunt; Dómine Deus, exáudi clamórem pópuli hujus et aperi eis thesáurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiáti, cesset murmurátio eórum. Et appáruit glória Dómini super eos. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens; Tolle virgam, et cóngrega pópulum, tu et Aaron frater tuus, et loquímini ad petram coram

[1] inhærere.—94. 97.

eis, et illa dabit aquas. Cumque edúxeris aquam de petra, bibet omnis multitúdo et juménta ejus. Tulit ígitur Móyses virgam, quæ erat in conspéctu Dómini, sicut præcéperat ei, congregáta omni multitúdine ante petram, dixítque eis; Audíte, rebélles et incréduli: Num de petra hac vobis aquam potérimus ejícere? Cumque elevásset Móyses manum, percútiens virga bis sílicem, egréssæ sunt aquæ largíssimæ, ita ut pópulus bíberet et juménta. Dixítque Dóminus ad Móysen et Aaron; Quia non credidístis mihi, ut sanctificarétis me coram fíliis Israel, non introducétis hos pópulos in terram, quam dabo eis. Hæc est aqua contradictiónis, ubi jurgáti sunt fílii Israel contra Dóminum, et sanctificátus est in eis.

Gradale. Ps. 27 In Deo sperávit cor meum et adjútus sum: et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor illi.
℣. Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas, ne discédas a me.

Tractus. Ps. 102 Dómine, non secúndum peccáta nostra quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Ps. 78 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ: quia páuperes facti sumus nimis.
Hic non fiat genuflectio cum dicitur ℣.
Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Secundum Johannem. c. 4

In illo témpore, Venit Jesus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph fílio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigátus ex itínere, sedébat sic super fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit múlier de Samaría hauríre aquam. Dixit ei Jesus; Da mihi bíbere. (Discípuli enim ejus abíerant in civitátem ut cibos émerent.) Dixit ergo ei múlier illa Samaritána; Quómodo tu, Judæus cum sis, bíbere a me poscis, quæ sum múlier Samaritána? non enim coutúntur Judæi Samaritánis. Respóndit Jesus, et dixit ei; Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bíbere: tu fórsitan petísses ab eo, et dedísset tibi aquam vivam. Dixit ei múlier; Dómine, neque in quo háurias habes, et púteus altus est: unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis púteum, et ipse ex eo bibit et fílii ejus et pécora ejus? Respóndit Jesus et dixit ei; Omnis, qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum: qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam. Dixit ad eum múlier; Dómine, da mihi hanc aquam ut non sítiam neque véniam huc hauríre. Dixit ei Jesus; Vade, voca virum tuum, et veni huc. Respóndit ei múlier, et dixit; Non hábeo virum. Dixit ei Jesus; Bene dixísti, quia non hábeo virum: quinque enim viros habuísti, et [1]nunc,[1] quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixísti. Dixit ei múlier; Dómine, vídeo quia prophéta es tu. Patres nostri in monte hoc adoravérunt, et vos dícitis quia Hierosólymis est locus, ubi adoráre opórtet. Dixit ei Jesus; Múlier, crede mihi, quia véniet hora, quando neque in monte hoc neque in Hierosólymis adorábitis Patrem. Vos adorátis quod nescítis: nos adorámus quod scimus, quia

[1] hunc—92. 98. 4L.

salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu et veritáte. Nam et Pater tales quærit, qui adórent eum. Spíritus est Deus: et eos, qui adórant eum, in spíritu et veritáte opórtet adoráre. Dixit ei múlier; Scio quia Messías venit, qui dícitur Christus: cum ergo vénerit, ille nobis annunciábit ómnia. Dixit ei Jesus; Ego sum, qui loquor tecum. Et contínuo venérunt discípuli ejus: et mirabántur quia cum mulíere loquebátur. Nemo tamen dixit ei; Quid quæris, aut quid lóqueris cum ea. Relíquit ergo hýdriam suam múlier, et ábiit in civitátem, et dixit illis homínibus: Veníte, et vidéte hóminem, qui dixit mihi ómnia quæcúmque feci: numquid ipse est Christus? Exiérunt ergo de civitáte, et veniébant ad eum. Intérea rogábant eum discípuli, dicéntes; Rabbi, mandúca. Ille autem dixit eis; Ego cibum hábeo manducáre, quem vos nescítis. Dicébant ergo discípuli ad ínvicem; Numquid áliquis áttulit ei manducáre? Dixit eis Jesus; Meus cibus est ut fáciam voluntátem ejus, qui misit me, ut perfíciam opus ejus. Nonne vos dícitis, quod adhuc quátuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Leváte óculos vestros, et vidéte regiónes, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercédem áccipit, et cóngregat fructum in vitam ætérnam: ut, et qui séminat, simul gáudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia álius est qui séminat, et álius est qui metit. Ego misi vos métere quod vos non laborástis: álii laboravérunt, et vos in labóres eórum introístis. Ex civitáte autem illa multi credidérunt in eum Samaritanórum, propter verbum mulíeris testimónium perhibéntis; Quia dixit mihi ómnia quæcúmque feci. Cum veníssent ergo ad illum Samaritáni, rogavérunt eum ut ibi manéret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures credidérunt in eum propter sermónem ejus; et mulíeri dicébant; Quia jam non propter tuam loquélam crédimus: ipsi enim audívimus, et scimus, quia hic est vere salvátor mundi.

Offertorium. Ps. 5 Inténde voci oratiónis meæ, rex meus et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.
℣. Verba mea áuribus pércipe, Dómine: intéllige clamórem meum, et exáudi me.

Secreta.

RESPICE, Dómine, propítius ad múnera quæ sacrámus: ut et tibi grata sint, et nobis salutária semper exístant. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 4 Qui bíberit aquam quam ego do, dicit Dóminus Samaritánæ: fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam.

Postcommunio.

HUJUS nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet a crímine et ad cœléstia regna perdúcat. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis adversántia te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Sabbato post Oculi.

Ad Missam. Officium. Ps. 5

ERBA mea áuribus pércipe, Dómine: intéllige clamórem meum; inténde voci oratiónis meæ.

Psalmus. Rex meus et Deus meus.
Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui se affligéndo carnem ab aliméntis ábstinent, sectándo justítiam a culpa jejúnent. Per Dóminum.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 13

IN diébus illis, Erat vir in Babylóne, et nomen ejus Jóachim. Et accépit uxórem nómine Susánnam, fíliam Helchíæ, pulchram nimis et timéntem Deum. Paréntes autem illíus, cum essent justi, erudiérunt fíliam suam secúndum legem Móysi. Erat autem Jóachim dives valde et erat ei pomérium vicínum dómui suæ. Et ad ipsum confluébant Judæi, eo quod esset honorabílior ómnium. Et constitúti sunt duo senes júdices in anno illo, de quibus locútus est Dóminus, quia egréssa est iníquitas de Babylóne a senióribus judícibus qui videbántur régere pópulum. Isti frequentábant domum Jóachim: et veniébant ad eos omnes qui habébant judícia. Cum autem pópulus revertísset post merídiem, ingrediebátur Susánna, et deambulábat in pomério viri sui. Et vidébant eam senes quotídie ingrediéntem et deambulántem; et exarsérunt in concupiscéntiam ejus. Et avertérunt sensum suum, et declinavérunt óculos suos ut non vidérent cœlum, neque recordaréntur judiciórum justórum. Factum est autem cum observárent diem aptum quando eam possent invenire solam: ingréssa est[1] aliquándo sicut heri et nudiustértius cum duábus solis puéllis, voluítque lavári in pomério. Æstus quippe erat. Et non erat ibi quisquam præter duos senes abscónditos, contemplántes eam. Dixit ergo puéllis; Afférte mihi óleum et smígmata, et óstia pomérii cláudite ut laver. Cum autem egréssæ essent puéllæ, surrexérunt duo senes, et accurrérunt ad eam, et dixérunt; Ecce óstia pomérii clausa sunt, et nemo nos videt, et in concupiscéntia tui sumus. Quamóbrem assentíre nobis, et commíscere nobíscum. Quod si nolúeris, dicémus testimónium contra te, quod fúerit tecum júvenis, et ob hanc causam emíseris puéllas a te. Ingémuit Susánna et ait; Angústiæ mihi sunt úndique; si enim hoc égero, mors mihi est; si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Sed mélius mihi est absque ópere incídere in manus vestras, quam peccáre in conspéctu Dómini. Et exclamávit voce magna Susánna; exclamavérunt autem et senes advérsus eam, et cucúrrit unus et apéruit óstia pomérii. Cum autem audíssent clamórem in pomério fámuli domus, irruérunt per postícum ut vidérent, quidnam esset. Postquam autem senes locúti sunt, erubuérunt servi vehementer, quia nunquam dictus fúerat sermo hujúsmodi de Susánna. Et facta est dies crástina; cumque venísset pópulus ad virum ejus Jóachim, venérunt et duo presbýteri pleni iníqua cogitatióne advérsus Susánnam, ut interfícerent eam. Et dixérunt coram pópulo; Míttite ad Susánnam fíliam Helchíæ uxórem Jóachim. Et statim misérunt. Et venit cum paréntibus et fíliis et univérsis cognátis suis. Flebant igitur sui et omnes qui eam nóverant. Consurgéntes autem duo presbýteri in médio pópuli, posuérunt manus suas super caput ejus. Quæ flens suspéxit ad cœlum. Erat autem cor ejus fidúciam habens in Dómino. Et dixérunt presbýteri; Cum deambularémus in pomério soli, ingréssa est hæc cum duábus puéllis, et clausit óstia pomérii et dimísit a se puéllas. Venítque ad eam adoléscens qui erat abscónditus, et concúbuit cum ea. Por-

[1] hæc.—92. 97. 98.

ro nos, cum essémus in ángulo pomérii, vidéntes iniquitátem, cucúrrimus ad eos et vídimus eos páriter commiscéri. Et illum quidem nequívimus comprehéndere, quia fórtior nobis erat; et apérto óstio exilívit. Hanc autem cum apprehendissémus, interrogávimus quisnam esset adoléscens, et nóluit indicáre nobis. Hujus rei testes sumus. Crédidit eis multitúdo quasi [1]sénibus[1] et judícibus pópuli: et condemnavérunt eam ad mortem. Exclamávit autem voce magna Susánna, et dixit; Deus ætérne, qui absconditórum es cógnitor, qui nosti ómnia ántequam fiant; tu scis quóniam falsum contra me tulérunt testimónium. Et ecce mórior, cum nihil horum fécerim quæ isti malitióse composuérunt advérsum me. Exaudívit autem Dóminus vocem ejus. Cumque ducerétur ad mortem, suscitávit Deus spíritum púeri junióris [2]cui[2] nomen Dániel; et exclamávit voce magna; Mundus ego sum a sánguine hujus. Et convérsus omnis pópulus ad eum, dixit; Quis est iste sermo quem tu locútus es? Qui cum staret in médio eórum, dixit; Sic fátui, fílii Israel, non judicántes, neque quod verum est cognoscéntes, condemnástis fíliam Israel? Revertímini ad judícium, quia falsum testimónium locúti sunt advérsus eam. Revérsus est ergo pópulus cum festinatióne, et dixit ad eos Dániel; Separáte illos ab ínvicem procul, et dijudicábo eos. Cum ergo divísi essent alter ab áltero, vocávit unum de eis et dixit ad eum; Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua quæ operabáris prius; júdicans judícia injústa, innocéntes ópprimens et dimíttens nóxios, dicénte Dómino: Innocéntem et justum non interfícies. Nunc ergo si vidísti eam, dic sub qua árbore víderis eos colloquéntes sibi. Qui ait; Sub cino. Dixit autem Dániel; Recte mentítus es in caput tuum. Ecce enim ángelus Dómini, accépta senténtia ab eo, scindet te médium. Et amóto eo, jussit veníre álium, et dixit ei; Semen Chánaan et non Juda, spécies decépit te et concupiscéntia subvértit cor tuum. Sic faciebátis filiábus Israel et illæ timéntes loquebántur vobis. Sed non fília Juda sustínuit iniquitátem vestram. Nunc ergo dic mihi; sub qua árbore comprehénderis eos loquéntes sibi? Qui ait; Sub prino. Dixit autem ei Dániel; Recte mentítus es et tu in caput tuum. Manet enim ángelus Dómini gládium habens, ut secet te médium, et interfíciat vos. Exclamávit itaque omnis cœtus voce magna, et benedixérunt Deum qui salvat sperántes in se. Et consurrexérunt advérsus duos presbýteros. Convícerat enim eos Dániel ex ore suo falsum dixísse testimónium. Fecerúntque eis sicuti male égerant advérsus próximum, et interfecérunt eos. Et salvátus est sanguis innóxius in die illa.

Gradale. Ps. 22 Si ámbulem in médio umbræ mortis: non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine.
℣. Virga tua et báculus tuus: ipsa me consoláta sunt.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 8

In illo témpore, Perréxit Jesus in montem Olivéti: et dilúculo íterum venit in templum, et omnis pópulus venit ad eum, et sedens docébat eos. Addúcunt autem Scribæ et Pharisæi mulíerem in adultério deprehénsam: et statuérunt eam in médio, et dixérunt ei; Magíster, hæc múlier modo deprehénsa est in adultério. In lege autem Móyses mandávit nobis hujúsmodi lapidáre. Tu ergo quid di-

[1] senioribus.—4L. 13. 57.
[2] cujus.—98. V.

cis? Hoc autem dicébant tentántes eum, ut possent accusáre eum. Jesus autem inclínans se deórsum, dígito scribébat in terra. Cum autem perseverárent interrogántes eum, eréxit se et dixit eis; Qui sine peccáto est vestrum, primus in illam lápidem mittat. Et íterum se inclínans, scribébat in terra. Audiéntes autem hæc, unus post unum exíbant, incipiéntes a senióribus: et remánsit solus Jesus, et múlier in médio stans. Erigens autem se Jesus, dixit ei; Múlier, ubi sunt qui te accusábant? nemo te condemnávit? Quæ dixit; Nemo, Dómine. Dixit autem ei Jesus; Nec ego te condemnábo: Vade, et jam ámplius noli peccáre.

Offertorium. Ps. 118 Gressus meos dírige, Dómine, secúndum elóquium tuum: ut non dominétur mei omnis injustítia, Dómine.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat[1]: et intelléctum dat párvulis.

Secreta.

OFFICIÁTUR hæc hóstia, quæsumus, Dómine, solémnibus grata jejúniis; et ut tibi fiat accéptior, purificátis méntibus immolétur. Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 8 Nemo te condemnávit, múlier? Nemo, Dómine. Nec ego te condemnábo: jam ámplius noli peccáre.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut inter ejus membra numerémur, cujus córpori communicávimus et sánguini, Jesu Christi Fílii tui Dómini nostri. Qui tecum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

PRÆTÉNDE, Dómine, fidélibus tuis déxteram cœléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum.

Dominica media Quadragesimæ.

Ad Missam. Officium. Esai. 66

LÆTÁRE Hierúsalem, et convéntum fácite omnes qui dilígitis Dóminum: gaudéte cum lætítia qui in tristítia fuístis: ut exultétis et satiémini ab ubéribus consolatiónis vestræ.

Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.

Oratio.

CONCÉDE quæsumus, omnípotens Deus, ut qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per Dóminum.

Ad Galatas. c. 4

FRATRES, Scriptum est quóniam Abraham duos fílios hábuit: unum de ancílla et unum de líbera. Sed qui de ancílla, secúndum carnem natus est: qui autem de líbera, per repromissiónem. Quæ sunt per allegoríam dicta. Hæc enim sunt duo testaménta. Unum quidem in monte Sina, in servitútem génerans: quæ est Agar: Sina enim mons est in Arábia, qui conjúnctus est ei quæ nunc est Hierúsalem, et servit cum fíliis suis. Illa autem, quæ sursum est Hierúsalem, líbera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim; Lætáre,

[1] me.—92. 98. 4L. 13. Grad.

stérilis, quæ non paris: erúmpe et clama, quæ non párturis: quia multi fílii desértæ, magis quam ejus, quæ habet virum. Nos autem, fratres, secúndum Isaac promissiónis fílii sumus. Sed quómodo tunc [1]is,[1] qui secúndum carnem natus fúerat, persequebátur eum, qui secúndum spíritum: ita et nunc. Sed quid dicit Scriptúra? Ejice ancíllam, et fílium ejus: non enim hæres erit fílius ancíllæ cum fílio líberæ. Itaque, fratres, non sumus ancíllæ fílii, sed líberæ: qua libertáte Christus nos liberávit.

Gradale. Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Dómini íbimus.

℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Tractus. Ps. 124 Qui confídunt in Dómino sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Hierúsalem.

℣. Montes in circúitu ejus: et Dóminus in circúitu pópuli sui: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Abiit Jesus trans mare Galilǽæ, quod est Tiberíadis: et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Súbiit ergo in montem Jesus: et ibi sedébat cum discípulis suis. Erat autem próximum Pascha, dies festus Judæórum. Cum sublevásset ergo óculos Jesus, et vidísset quia multitúdo maxima venit ad eum, dixit ad Philíppum; Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus. Respóndit ei Philíppus; Ducentórum denariórum panes non suffíciunt eis, ut unusquísque módicum quid accípiat. Dixit ei unus ex discípulis ejus, Andréas frater Simónis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeáceos, et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus; Fácite hómines discúmbere. Erat [2]autem[2] fœnum multum in loco. Discubuérunt ergo viri, número quasi quinque míllia. Accépit ergo Jesus panes; et cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus: simíliter et ex píscibus quantum volébant. Ut autem impléti sunt, dixit discípulis suis; Collígite quæ superavérunt fragménta, ne péreant. Collegérunt ergo, et implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum ex quinque pánibus hordeáceis quæ superfuérunt is qui manducáverant. Illi ergo hómines cum vidíssent quod [3]Jesus[3] fécerat signum dicébant: Quia hic est vere prophéta, qui ventúrus est in mundum.

Offertorium. Ps. 134 Laudáte Dóminum quia benígnus est: psállite nómini ejus quóniam [4]suávis[4] est, ómnia quæcúnque vóluit fecit in cœlo et in terra.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus, Dómine, ut et divínis semper solemnitátibus occupémur, et mystériis sacris mente páriter congruámus et córpore. Per.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 121 Hierúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: cujus participátio ejus in idípsum; illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: ad confiténdum nómini tuo, Dómine.

Postcommunio.

Da nobis, quæsumus, miséricors Deus: ut sancta tua quibus incessánter ex-

[1] non habent 92. 97. 98. 15. V.
[2] enim.—92. 97. 98.
[3] non habent 92. 97. 98. 4L. V.
[4] sic 26. etc. suave.—55P. 57.

plémur, sincéris tractémus obséquiis et fidéli semper mente sumámus. Per Dóminum.

Feria secunda post Lætare.

Ad Missam. Officium. Ps. 53

EUS, in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua júdica me; Deus, exáudi oratiónem meam.

Psalmus. Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me: et fortes quæsiérunt ánimam meam.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

Lectio libri Regum. 3 c. 3

IN diébus illis, Venérunt duæ mulíeres meretríces ad regem Salomónem, steterúntque coram eo: quarum una ait; Obsecro, mi dómine: ego et múlier hæc habitabámus in domo una, et péperi apud eam in cubículo. Tértia vero die postquam ego péperi, péperit et hæc: et erámus simul, nullúsque álius in domo nobíscum, excéptis nobis duábus. Mórtuus est autem fílius mulíeris hujus nocte: dórmiens quippe oppréssit eum. Et consúrgens intempéstæ noctis siléntio, tulit fílium meum de látere meo, ancíllæ tuæ dormiéntis, et collocávit in sinu suo: suum autem fílium, qui erat mórtuus, pósuit in sinu meo. Cumque surrexíssem mane ut darem lac fílio meo, appáruit mórtuus: quem diligéntius íntuens clara luce, deprehéndi non esse meum, quem genúeram. Respondítque áltera múlier; Non est ita [1]ut dicis,[1] sed fílius tuus mórtuus est, meus autem vivit. E contrário illa dicébat; Mentíris: fílius quippe meus vivit, et fílius tuus mórtuus est. Atque in hunc modum contendébant coram rege. Tunc rex ait; Hæc dicit, fílius meus vivit, et fílius tuus mórtuus est: et ista respóndit, Non, sed fílius tuus mórtuus est, meus autem vivit. Dixit ergo rex; Afférte mihi gládium. Cumque attulíssent gládium coram rege, ait; Divídite, [2]inquit,[2] infántem vivum in duas partes, et date dimídiam partem uni, et dimídiam partem álteri. Dixit autem múlier, cujus fílius erat vivus ad regem: (commóta sunt quippe víscera ejus super fílio suo): Obsecro, dómine, date illi infántem vivum, et nolíte interfícere eum. E contrário illa dicebat; Nec mihi, nec tibi sit, sed dividátur. Respóndit rex, et ait; Date huic infántem vivum, et non occidátur; hæc est enim mater ejus. Audívit ítaque omnis Israel judícium quod judicásset rex, et timuérunt regem, vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo ad faciéndum judícium.

Gradale. Ps. 30 Esto mihi in Deum protectórem: et in locum refúgii: ut salvum me fácias.

℣. Ps. 70 Deus, in te sperávi; Dómine, non confúndar in ætérnum.

Tractus. Dómine, non secúndum. ut feria secunda post Oculi.

Secundum Johannem. c. 2

IN illo témpore, Prope erat Pascha Judæórum, et ascéndit Jesus Hierosólymam: et invénit in templo vendéntes oves, et boves, et colúmbas, et nummulários sedéntes. Et cum fecísset quasi flagéllum de funículis, omnes ejécit de tem-

[1] non habent 92. 98. 4L.
[2] non habent 92. 98. 4L. 13. 57.

plo, oves quoque, et boves, et nummulariórum effúdit æs, et mensas subvértit; et his, qui colúmbas vendébant, dixit; Auférte ista hinc, et nolíte fácere domum Patris mei domum negotiatiónis. Recordáti vero sunt discípuli ejus quia scriptum est; Zelus domus tuæ comédit me. Respondérunt ergo Judæi, et dixérunt ei; Quod signum osténdis nobis quia hæc facis? Respóndit Jesus et dixit eis; Sólvite templum hoc, et in tribus diébus excitábo illud. Dixérunt ergo Judæi; Quadragínta et sex annis ædificátum est templum hoc, et tu in tribus diébus excitábis illud? Ille autem dicébat de templo córporis sui. Cum ergo resurrexísset a mórtuis, recordáti sunt discípuli ejus, quia hoc dicébat, et credidérunt scriptúræ et sermóni quem dixit Jesus. Cum autem esset Hierosólymis in Pascha in die festo, multi credidérunt in nómine ejus, vidéntes signa ejus, quæ faciébat. Ipse autem Jesus non credébat semetípsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimónium perhibéret de hómine: ipse enim sciébat quid esset in hómine.

Offertorium. Ps. 99 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia; intráte in conspéctu ejus in exultatióne, quia Dóminus ipse est Deus.
℣. Ipse fecit nos et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus et oves páscuæ ejus.

Secreta.

TUIS, Dómine, quæsumus, operáre mystériis; ut hæc tibi múnera dignis méntibus offerámus. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 18 Ab occúltis meis munda me, Dómine: et ab aliénis parce servo tuo.

Postcommunio.

QUOS divínis, Dómine, réficis sacraméntis, tuis, quæsumus, susténta præsídiis: et quos benefíciis temporálibus refoves, pasce perpétuis. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DEPRECATIÓNEM nostram, quæsumus, Dómine, benígnus exáudi: et quibus supplicándi præstas affféctum, tríbue defensiónis auxílium. Per Dóminum.

Feria tertia post Lætare.

Ad Missam. Officium. Ps. 54

EXÁUDI, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me et exáudi me.

Psalmus. Contristátus sum in exercitatióne mea: et conturbátus sum a voce inimíci.[1]

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

SACRÆ nobis, quæsumus, Dómine, observatiónis jejúnia et piæ conversatiónis augméntum et tuæ propitiatiónis contínuum præstent auxílium. Per Dóminum.

Lectio libri Exodi. c. 32

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens; Descénde de monte, quia peccávit pópulus tuus quem eduxísti de terra Ægýpti. Recessérunt cito de via quam ostendísti eis, fecerúntque sibi vítulum conflátilem, et adoravérunt, atque immolántes ei hóstias, dixérunt: Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxérunt de terra Ægýpti. Rursúmque ait Dóminus ad

[1] non dicatur ulterius—94. 97. 98.

Móysen; Cerno quod pópulus iste duræ cervícis sit: dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos, et déleam eos, faciámque te in gentem magnam. Móyses autem orábat Dóminum Deum suum, dicens; Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum, quem eduxísti de terra Ægýpti, in fortitúdine magna et in manu robústa? Ne quæso dicant Ægýptii: Cállide edúxit eos, ut interfíceret in móntibus, et deléret [1]eos[1] de terra: quiéscat ira tua, et esto placábilis super nequítia pópuli tui. Recordáre Abraham, Isaac et Israel, servórum tuórum, quibus jurásti per temetípsum, dicens; Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cœli: et univérsam terram hanc de qua locútus sum, dabo sémini vestro, et possidébitis eam semper. Placatúsque est Dóminus ne fáceret malum quod locútus fúerat advérsus pópulum suum. Et misértus est pópulo suo Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 43 Exúrge, Dómine, fer opem nobis: et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annunciavérunt nobis, opus quod operátus es in diébus eórum: et in diébus antíquis.

Secundum Johannem. c. 7

In illo témpore, Jam die festo mediánte, ascéndit Jesus in templum, et docébat. Et mirabántur Judæi, dicentes; Quomodo hic lítteras scit, cum non didícerit? Respóndit eis Jesus, et dixit; Mea doctrína non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognóscet de doctrína, utrum ex Deo sit an ego a meípso loquar. Qui a semetípso lóquitur, glóriam própriam quærit: qui autem quærit glóriam ejus, qui misit illum, hic verax est, et injustítia in illo non est. Nonne Móyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interfícere? Respóndit ei turba, et dixit; Dæmónium habes: quis te quærit interfícere? Respóndit Jesus, et dixit eis; Unum opus feci, et omnes mirámini. Proptérea Móyses dedit vobis circumcisiónem: (non quia ex Móyse est, sed ex pátribus): et in sábbato circumcíditis hóminem. Si circumcisiónem áccipit homo in sábbato, ut non solvátur lex Móysi, mihi indignámini quia totum hóminem sanum feci in sábbato? Nolíte judicáre secúndum fáciem, sed justum judícium judicáte. Dicébant autem quidam ex Hierosólymis; Nonne hic est, quem quærunt Judæi interfícere? Ecce palam lóquitur et nihil ei dicunt. Numquid vere cognovérunt príncipes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum vénerit, nemo scit unde sit. Clamábat ergo docens in templo Jesus, et dicens; Et me scitis, et unde sim scitis: et a meípso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescítis. Ego autem scio eum: et si díxero, quia néscio eum, ero símilis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit. Quærébant ergo eum apprehéndere: et nemo misit in illum manus, quia nondum vénerat hora ejus. [2]De turba autem multi credidérunt in eum.[2]

Offertorium. Ps. 39 Expéctans expectávi Dóminum, et respéxit me: et exaudívit deprecatiónem meam, et immísit in os meum cánticum novum: hymnum Deo nostro.

℣. Státuit supra petram pedes meos: et diréxit gressus meos.

[1] non habent 92. 97. 98. V.
[2] non habet 92.

Secreta.

FIDÉLIUM tuórum, Dómine, quæsumus, hóstias propítius intuére; ut quod oblátum est per obséquium et devotórum vota famulórum, tua pótius propitiatióne firmétur. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 19 Lætábimur in salutári tuo: et in nómine Dómini Dei nostri magnificábimur.

Postcommunio.

PROSIT nobis, quæsumus, Dómine, sacer cibus potúsque salutáris, qui et temporálem vitam múniat et præstet ætérnam. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

MISERÉRE, quæsumus, Dómine, pópulo tuo, et contínuis tribulatiónibus laborántem propítius respiráre concéde. Per Dóminum.

Feria quarta post Lætare.

Ad Missam. Officium. Ezech. 36

UM sanctificátus fúero in vobis: congregábo vos de univérsis terris: et effúndam super vos aquam mundam: et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris et dabo vobis spíritum novum.

Ps. 33 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Sequitur Oratio sine Dóminus vobíscum, sed tantum cum Orémus et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEUS, qui et justis prémia meritórum, et peccatóribus per jejúnium véniam præbes: miserére supplícibus tuis, ut reátus nostri conféssio indulgéntiam váleat[1] percípere delictórum. Per Dóminum.

Léctio Ezechielis Prophetæ c. 36

HÆC dicit Dóminus Deus, Sanctificábo nomen meum magnum, ut sciant Gentes quia ego Dóminus, cum sanctificátus fúero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de Géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram. Et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri: et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum. Et spíritum [2]novum[2] ponam in médio vestri: et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis et operémini. Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus vestris: et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 33 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.

℣. Accédite ad eum et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

Non repetatur Gradale, sed sequatur Dóminus vobíscum et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet, ut terrénis afféctibus mitigátis, facílius cœléstia capiámus. Per.

[1] omnium.—94. 97.
[2] meum.—92. 98. 4L. 15. V.

Hic dicuntur Memoriæ consuetæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 1

HÆC dicit Dóminus Deus, Lavámini, mundi estóte, auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis: quiéscite ágere pervérse, díscite benefácere: quærite judícium, subveníte oppréssо, judicáte pupíllo, deféndite víduam. Et veníte, et argúite me, dicit Dóminus: si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur: et si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, et audiéritis me, bona terræ comedétis, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 32 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus quem elégit Dóminus in hæreditátem sibi.

℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Tractus. De necessitátibus meis. ut supra feria quarta post Reminiscere.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 9

IN illo témpore, Prætériens Jesus vidit hóminem cæcum a nativitáte: et interrogavérunt eum discípuli ejus; Rabbi, quis peccávit, hic aut paréntes ejus, ut cæcus nascerétur? Respóndit Jesus; Neque hic peccávit neque paréntes ejus: sed ut manifesténtur ópera Dei in illo. Me opórtet operári ópera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operári. Quámdiu in mundo sum, lux sum mundi. [1]Hæc[1] cum dixísset, éxspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linívit lutum super óculos ejus, et dixit ei; Vade, et lava in natatória Sýloe (quod interpretátur Missus.) Abiit ergo, et lavit, et venit videns. Itaque vicíni, et qui víderant eum prius, quia mendícus erat, dicébant; Nonne hic est, qui sedébat et mendicábat? Alii dicébant; Quia hic est. Alii autem; Nequáquam, sed símilis est ejus. Ille vero dicébat; Quia ego sum. Dicébant ergo ei; Quómodo apérti sunt óculi tui? Respóndit; ille homo, qui dícitur Jesus, lutum fecit, et unxit óculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatória Sýloe, et lava. Et ábii, et lavi, et [2]vídeo.[2] Dixérunt ei; Ubi est ille? Ait; Néscio. Addúcunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fúerat. Erat autem sábbatum quando lutum fecit Jesus et apéruit óculos ejus. Iterum ergo interrogábant eum Pharisæi quómodo vidísset. Ille autem dixit eis; Lutum pósuit mihi super óculos, et lavi, et vídeo. Dicébant ergo ex Pharisæis quidam; Non est hic homo a Deo, qui sábbatum non custódit. Alii autem dicébant; Quómodo potest homo peccátor hæc signa fácere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco íterum; Tu quid dicis de eo, qui apéruit óculos tuos? Ille autem dixit; Quia prophéta est. Non credidérunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuísset et vidísset, donec vocavérunt paréntes ejus qui víderat, et interrogavérunt eos, dicéntes; Hic est fílius vester, quem vos dícitis quia cæcus natus est? Quómodo ergo nunc videt? Respondérunt eis paréntes ejus, et dixérunt; Scimus quia hic est fílius noster, et quia cæcus natus est: quómodo autem nunc vídeat, nescímus: aut quis ejus apéruit óculos, nos nescímus; ipsum interrogáte; ætátem habet; ipse de se loquátur. Hæc dixérunt paréntes ejus, quia timébant Judæos: jam enim conspiráverant Judæi, ut si quis eum confiterétur [3]esse[3] Christum, extra synagógam fieret. Proptérea paréntes ejus dixérunt; Quia ætátem habet, ipsum in-

[1] hoc.—4L. 13. 15.
[2] vidi 92. 94. 97. 98. 4L. V.
[3] non habent 92. 97. 98. 57. V.

terrogáte. Vocavérunt ergo rursum hóminem, qui fúerat cæcus, et dixérunt ei; Da glóriam Deo: nos scimus quia hic homo peccátor est. Dixit ergo ille; Si peccátor est, néscio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo vídeo. Dixérunt ergo illi; Quid fecit tibi? aut quómodo apéruit tibi óculos? Respóndit eis; Dixi vobis jam, et audístis: quid íterum vultis audíre? numquid et vos vultis discípuli ejus fieri? Maledixérunt ergo ei; et dixérunt; Tu discípulus illíus sis: nos autem Móysi discípuli sumus. Nos scimus quia Móysi locútus est Deus: hunc autem nescímus unde sit. Respóndit ille homo, et dixit eis; In hoc enim mirábile est, quia vos nescítis unde sit, et apéruit óculos meos: scimus autem quia peccatóres Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntátem ejus facit, hunc exáudit. A sæculo non est audítum quia apéruit quis óculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non póterat fácere quicquam. Respondérunt, et dixérunt ei; In peccátis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecérunt eum foras. Audívit Jesus quia ejecérunt eum foras: et cum invenísset eum, dixit ei; Tu credis in Fílium Dei? Respóndit ille, et dixit; Quis est, Dómine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus; Et vidísti eum, et qui lóquitur tecum, ipse est. At ille ait; Credo, Dómine. Et prócidens adorávit eum.

Offertorium. Ps. 65 Benedícite, gentes, Dóminum Deum nostrum: et obaudíte vocem laudis ejus qui pósuit ánimam meam ad vitam: et non dedit commovéri pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóvit deprecatiónem meam et misericórdiam suam a me.

℣. Jubiláte Deo, omnis terra: psalmum dícite nómini ejus: date glóriam laudi ejus.

Secreta.

SÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, ut his sacrifíciis peccáta nostra mundéntur; quia tunc veram nobis tríbuis et mentis et córporis sanitátem. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 9 Lutum fecit ex sputo Dóminus, et linívit óculos meos: et ábii et lavi et vidi et crédidi Deo.

Postcommunio.

SACRAMÉNTA quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, et spiritálibus nos instruant[1] aliméntis, et corporálibus tueántur auxíliis. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

PÁTEANT aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium, et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi plácita sunt postuláre. Per Dóminum.

Feria quinta post Lætare.

Ad Missam. Officium. Ps. 104

ÆTÉTUR cor quæréntium Dóminum: quærite Dóminum et confirmámini: quærite fáciem ejus semper.

Psalmus. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annunciáte inter gentes ópera ejus.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet, ut terrénis afféctibus mitigátis, facílius cœléstia capiámus. Per Dóminum.

[1] repleant.—13. 26.

Lectio libri Regum. 4 c. 4

In diébus illis, Venit múlier Sunamítis ad Helisæum prophétam in montem Carméli: cumque vidísset eam vir Dei de contra, ait ad Giézi puerum suum; Ecce Sunamítis illa. Vade ergo in occúrsum ejus, et dic ei: Réctene ágitur circa te, et circa virum tuum, et circa fílium tuum? Quæ [1]respóndit;[1] Recte. Cumque venísset ad virum Dei in montem, apprehéndit pedes ejus: et accéssit Giézi ut amovéret eam. Et ait homo Dei; Dimítte eam: ánima enim ejus in amaritúdine est, et Dóminus celávit a me, et non indicávit mihi. Quæ dixit illi; Numquid petívi fílium a dómino meo? numquid non dixi tibi: Ne illúdas me? Et ille ait ad Giézi; Accínge lumbos tuos, et tolle báculum meum in manu tua, et vade. Si occúrrerit tibi homo, non salútes eum: et si salutáverit te quíspiam, non respóndeas illi: et ponas báculum meum super fáciem púeri. Porro mater púeri ait; Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, non dimíttam te. Surréxit ergo, et secútus est eam. Giézi autem præcésserat ante eos, et posúerat báculum super fáciem púeri, et non erat vox neque sensus; reversúsque est Giézi in occúrsum ejus, et nunciávit ei, dicens; Non surréxit puer. Ingréssus est ergo Helisæus domum, et ecce puer mórtuus jacébat in léctulo ejus. Ingressúsque clausit óstium super se et super púerum: et orávit ad Dóminum. Et ascéndit, et incúbuit super púerum: posuítque os suum super os ejus, et óculos suos super óculos ejus, et manus suas super manus ejus: et incurvávit se super eum, et calefácta est caro púeri. At ille revérsus, deambulávit in domo semel huc atque illuc: et ascéndit et incúbuit super púerum: et oscitávit puer sépties, aperuítque óculos suos. At ille vocávit Giézi, et dixit ei; Voca Sunamítem hanc. Quæ vocáta ingréssa est ad eum. Cui ait; Tolle fílium tuum. Venit illa, et córruit ad pedes ejus, et adorávit super terram; tulítque fílium suum, et egréssa est. Helisæus vero revérsus est in Gálgala.

Gradale. Ps. 73 Réspice, Dómine, in testaméntum tuum et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

℣. Exúrge, Dómine, et júdica causam [2]tuam:[2] memor esto oppróbrii servórum tuórum.

Evangelium: Secundum Johannem.

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Pater meus usque modo operátur, et ego óperor. Proptérea ergo magis quærébant eum Judæi interfícere: quia non solum solvébat sábbatum, sed et patrem suum dicébat Deum, æquálem se fáciens Deo. Respóndit ítaque Jesus, et dixit eis; Amen, amen, dico vobis: non potest Fílius a se fácere quicquam, nisi quod víderit Patrem faciéntem: quæcúmque enim ille fécerit, hæc et Fílius simíliter facit. Pater enim díligit Fílium, et ómnia demónstrat ei, quæ ipse facit: et majóra his demonstrábit ei ópera, ut [3]et[3] vos mirémini. Sicut enim Pater súscitat mórtuos, et vivíficat; sic et Fílius quos vult vivíficat. Neque enim Pater júdicat quemquam: sed omne judícium dedit Fílio, ut omnes honoríficent Fílium sicut honoríficant Patrem: qui non honoríficat Fílium, non honoríficat Patrem qui misit illum. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam ætérnam, et in judícium

[1] dixit ei.—92. 97. 98. 57.
[2] ita 15. etc. meam.—97. 8RM.
[3] non habent 92. 97. 98. V.

non [1]venit,[1] sed transiet a morte in vitam. Amen, dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei: et qui audíerint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso: sic dedit et Fílio vitam habére in semetípso: et potestátem dedit ei judícium fácere, quia Fílius Hóminis est. Nolíte mirári hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei: et procédent, qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ: qui vero mala egérunt, in resurrectiónem judícii.

Offertorium. Ps. 39 Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur omnes [2]advérsum me[2] qui cógitant mihi mala.
℣. Expéctans expectávi Dóminum: et [3]respéxit[3] me de lacu misériæ et de luto fæcis.

Secreta.

PURÍFICA nos, miséricors Dens, ut Ecclésiæ tuæ preces quæ tibi gratæ sunt, pia múnera deferéntes, fiant expiátis méntibus gratióres. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 70 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus; Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio.

CŒLÉSTIA dona capiéntibus, quæsumus, Dómine,[4] non ad judícium proveníre patiáris, [5]quæ[5] tuis fidélibus ad remédium providísti. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

PÓPULI tui, Deus, institútor et rector, peccáta quibus impugnátur expélle, ut semper tibi plácitus et tuo munímine sit secúrus. Per Dóminum.

Feria sexta post Lætare.

Ad Missam. Officium. Ps. 18

MEDITÁTIO cordis mei in conspéctu tuo semper: Dómine, adjútor meus et redémptor meus.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEUS, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis; præsta, quæsumus, ut Ecclésia tua ætérnis proficiat institútis et temporálibus non destituátur auxíliis. Per Dóminum.

Lectio libri Regum. 3 c. 17

IN diébus illis, Ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Helíam; Quid mihi et tibi, vir Dei? ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Helías; Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu illíus, et portávit eum in cœnáculum ubi ipse manébat, et pósuit eum super lectum suum, et clamávit ad Dóminum, et dixit; Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum

[1] veniet.—92. 98. 4L. 13.
[2] adversarii mei.—26. 57. non habent 94. 97.
[3] eduxit.—94. 97. 26. 57.
[4] ut.—94. 97. 26. 57.
[5] quod.—94. 97. 26. 57.

tribus vícibus, clamávitque ad Dóminum, et ait; Dómine Deus meus, revertátur oro ánima púeri hujus in víscera ejus. Exaudívit autem Dóminus vocem Helíæ, et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit. Tulítque Helías púerum, et depósuit eum de cœnáculo in inferiórem domum, et trádidit illum matri suæ, et ait illi; En vivit fílius tuus. Dixítque múlier ad Helíam; Nunc in isto cognóvi quóniam vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est.

Gradale. Ps. 117 Bonum est confídere in Dómino: quam confídere in hómine.
℣. Bonum est speráre in Dómino: quam speráre in princípibus.
Tractus. Dómine, non secúndum. ut supra feria sexta post Oculi.

Secundum Johannem. c. 11

In illo témpore, Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ sorórum ejus. (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis: cujus frater Lázarus infirmabátur.) Misérunt ergo soróres ejus ad eum dicéntes; Dómine, ecce quem amas infirmátur. Audiens autem Jesus dixit eis; Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham et sorórem ejus Maríam et Lázarum. Ut ergo audívit quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diébus. Deínde post hæc dixit discípulis suis; Eámus in Judæam íterum. Dicunt ei discípuli; Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, et íterum vadis illuc? Respóndit Jesus; Nonne duódecim sunt horæ diéi? Si quis ambuláverit in die, non offéndit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambuláverit in nocte, offéndit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis; Lázarus amícus noster dormit: sed vado ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus; Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putavérunt quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo dixit eis Jesus manifése; Lázarus mórtuus est: et gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam non eram ibi: sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiscípulos; Eámus et nos, et moriámur cum eo. Venit ítaque Jesus: et invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. Erat autem Bethánia juxta Hierosólymam quasi stádiis quíndecim. Multi autem ex Judæis vénerant ad Martham et Maríam, ut consolaréntur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi: María autem domi sedébat. Dixit ergo Martha ad Jesum; Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus: sed et nunc scio quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Jesus; Resúrget frater tuus. Dixit ei Martha; Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus; Ego sum resurréctio, et vita: qui credit in me, etiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis, qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi; Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Christus fílius Dei [1]vivi[1] qui in hunc mundum venísti. Et cum hæc dixísset, ábiit et vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens; Magíster adest, et vocat te. Illa ut audívit, surréxit cito, et venit ad eum; Nondum enim vénerat Jesus in castéllum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in do-

[1] non habent 92. 97. 98. V.

mo, et consolabántur eam, cum vidíssent Maríam quia cito surréxit et éxiit, secúti sunt eam dicéntes; Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo, cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dixit ei; Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu et turbávit semetípsum, et dixit; Ubi posuístis eum? Dicunt ei; Dómine, veni et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi; Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt; Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut et hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum: erat autem spelúnca: et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus; Tóllite lápidem. Dixit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat; Dómine, jam fœtet, quatriduánus enim est. Dixit ei Jesus; Nonne dixi tibi quóniam si credíderis vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem: Jesus autem elevátis sursum óculis [1]in cœlum[1] dixit; Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi: ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit; Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus; Sólvite eum et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant quæ fecit [2]Jesus,[2] credidérunt in eum.

Offertorium. Ps. 17 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine: et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus, præter te, Dómine?

[1] non habent 92. 98. 4L. V.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. V.

℣. Clamor meus in conspéctu ejus: introívit in aures ejus.

Secreta.

QÚNERA nos, Dómine, quæsumus, obláta purificent: et te nobis fáciant júgiter esse placátum. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Johan. 11 Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum: lacrymátus est coram Judæis et clamábat: Lázare, veni foras; et pródiit ligátis mánibus et pédibus qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Postcommunio.

HÆC nos, quæsumus, Dómine, participátio sacraménti, et a própriis reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscii, de tua pietáte confídimus, sub tua protectióne semper gaudeámus. Per.

Sabbato post Lætare.

Ad Missam. Officium. Esai. 55

SITIÉNTES veníte ad aquas, dicit Dóminus: et qui non habétis prétium: veníte et bibíte cum lætítia.

Ps. 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

FIAT, quæsumus, Dómine, per grátiam tuam fructuósus nostræ devotiónis

afféctus; quia tunc nobis próderunt suscépta jejúnia, si tuæ sint plácita pietáti.[1] Per Dóminum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 49

Hæc dicit Dóminus Deus; In témpore plácito exaudívi te et in die salútis auxiliátus sum tui: et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram et possidéres hereditátes dissipátas: ut díceres his qui vincti sunt: Exíte: et his qui in ténebris: Revelámini. Super vias pascéntur, et in ómnibus planis páscuæ eórum. Non esúrient neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol: quia miserátor eórum reget eos, et ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et sémitæ meæ exaltabúntur. Ecce isti de longe vénient, et ecce illi ab Aquilóne et mari, et isti de terra austráli. Laudáte, cœli, et exúltet terra; jubiláte, montes, laudem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, et páuperum suórum miserébitur. Et dicit Sion; Derelíquit me Dóminus; et Dóminus oblítus est mei. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 9 Tibi, Dómine, derelíctus est pauper: pupíllo tu eris adjútor.
℣. Ut quid, Dómine, recessísti longe: déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne; dum supérbit ímpius, incénditur pauper.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 8

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Dixérunt ergo ei Pharisæi; Tu de teipso testimónium pérhibes: testimónium tuum non est verum. Respóndit Jesus, et dixit eis; Et si ego testimónium perhíbeo de meípso, verum est testimónium meum: quia scio unde veni, et quo vado: vos autem nescítis, unde vénio aut quo vado. Vos secúndum carnem judicátis: ego non júdico quemquam: et si júdico ego, judícium meum verum est, quia solus non sum: sed ego et qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duórum hóminum testimónium verum est. Ego sum, qui testimónium perhíbeo de meípso: et testimónium pérhibet de me, qui misit me, Pater. Dicébant ergo ei; Ubi est Pater tuus? Respóndit Jesus; Neque me scitis, neque Patrem meum: si me scirétis, fórsitan et Patrem meum scirétis. Hæc verba locútus est Jesus in gazophylácio, docens in templo: et nemo apprehéndit eum, quia nondum vénerat hora ejus.

Offertorium. Ps. 17 Factus est Dóminus firmaméntum meum: et refúgium meum et liberátor meus, sperábo in eum.
℣. Pérsequar inimícos meos et comprehéndam illos: et non convértar donec defíciant.

Secreta.

Oblatiónibus, quæsumus, Dómine, placáre suscéptis: et ad te nostras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 22 Dóminus regit me et nihil mihi déerit: in loco páscuæ ibi me collocávit, super aquam refectiónis educávit me.

Postcommunio.

Tua nos, quæsumus, Dómine, quæ súmpsimus sancta purificent; et operatiónis suæ remédio, te nobis fáciant esse placátum. Per Dóminum.

[1] voluntati.—15.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DEUS, qui sperántibus in te miseréri pótius éligis quam irásci; da nobis digne flere mala quæ fécimus, ut tuæ consolatiónis grátiam invenire valeámus. Per Dóminum.

Dominica in Passione Domini.

Ad Missam. Officium. Ps. 42

UDICA me, Deus: et discérne causam meam de gente non sancta, ab hómine iníquo et dolóso éripe me: quia tu es Deus meus et fortitúdo mea.

Psalmus. Emítte lucem tuam et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

Ab hac die usque ad Pascha, non dicitur Glória Patri post Officium ad Missam de temporali: nisi tantum in die Cœnæ quando Episcopus celebrat.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice, ut te largiénte regátur in córpore, et te servánte custodiátur in mente. Per Dóminum.

Ad Hebræos. c. 9

FRATRES, Christus assístens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum sed per próprium sánguinem, introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum aut taurórum et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi testaménti mediátor est: ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub priori testaménto, repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 142 Eripe me, [1]Dómine,[1] de inimícis meis: doce me fácere voluntátem tuam.

℣. Ps. 17 Liberátor meus, Dómine, de géntibus iracúndis, ab insurgéntibus in me exaltábis me: a viro iníquo erípies me.

Tractus. Ps. 128 Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea.

℣. Dicat nunc Israel: Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea.

℣. Etenim non potuérunt mihi: supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres.

℣. Prolongavérunt iniquitátem sibi: Dóminus justus concídet cervíces peccatórum.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 8

IN illo témpore, Dicébat Jesus turbis Judæórum et princípibus sacerdótum; Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico, quare vos non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Proptérea vos non audítis, quia ex Deo

[1] non habent 13. 26.

non estis. Respondérunt ígitur Judǽi, et dixérunt ei; Nonne bene dícimus nos, quia Samaritánus es tu et dæmónium habes? Respóndit Jesus; Ego dæmónium non hábeo: sed honorífico Patrem meum, et vos inhonorástis me. Ego autem non quæro glóriam meam: est qui quærat et júdicet. Amen, amen, dico vobis: si quis sermónem meum serváverit mortem non vidébit in ætérnum. Dixérunt ergo Judǽi; Nunc cognóvimus quia dæmónium habes. Abraham mórtuus est et Prophétæ, et tu dicis: Si quis sermónem meum serváverit, mortem non gustábit in ætérnum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? et prophétæ mórtui sunt. Quem te ipsum facis? Respóndit Jesus; Si ego glorífico meípsum, glória mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dícitis quia Deus vester est. Et non cognovístis eum: ego autem novi eum: Et si díxero quia [1]néscio[1] eum, ero símilis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermónem ejus servo. Abraham pater vester exultávit ut vidéret diem meum: vidit et gavísus est. Dixérunt ergo Judǽi ad eum: Quinquagínta annos nondum habes, et Abraham vidísti? Dixit eis Jesus; Amen, amen, dico vobis, ántequam Abraham fíeret, ego sum. Tulérunt ergo lápides, ut jácerent in eum: Jesus autem abscóndit se, et exívit de templo.

Offertorium. Ps. 110 et 118 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: retríbue servo tuo ut vivam: et custódiam sermónes tuos: vivífica me secúndum verbum tuum, Dómine.

Secreta.

HÓSTIAS fidélium tuórum, omnípotens Deus, propítius intuére; et concéde, ne caténa[2] sǽculi captívos téneat quos passióne Fílii tui in ómnibus líberos esse voluísti. Qui tecum.

Præfatio Quotidiana.

Hac die dum sacerdos se communicat cantetur hæc Communio. 1 Cor. 11

Hoc corpus quod pro vobis tradétur: hic calix novi testaménti est in meo sánguine, dicit Dóminus: hoc fácite quotiescúmque súmitis in meam commemoratiónem.

Postcommunio.

ADÉSTO nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster: et quos tuis mystériis recreásti, perpétuis defénde præsídiis. Per Dóminum.

Feria secunda post Judica.

Ad Missam. Officium. Ps. 55

MISERÉRE mihi, Dómine, quóniam conculcávit me homo: tota die bellans tribulávit me.

Psalmus. Conculcavérunt me inimíci mei tota die: quóniam multi bellántes advérsum me.

Non dicitur Glória Patri.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

SANCTÍFICA, quǽsumus, Dómine, nostra jejúnia: et cunctárum nobis propítius indulgéntiam largíre culpárum. Per Dóminum.

Lectio Jonæ Prophetæ. c. 3

IN diébus illis, Factum est verbum Dómini ad Jonam prophétam secúndo, dicens; Surge, et vade in Níniven civitátem magnam, et prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquar ad te. Et surréxit Jonas, et ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: et Nínive erat cívitas magna itínere diérum trium. Et cœpit Jonas

[1] non scio.—92. 97. 98.
[2] hujus.—94. 97.

introíre in civitátem itínere diéi uníus: et clamávit et dixit; Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Dómino: et prædicavérunt jejúnium, et vestíti sunt saccis a majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive: et surréxit de sólio suo, et abjécit vestiméntum suum a se, et indútus est sacco, et sedit in cínere. Et clamávit et dixit in Nínive ex ore regis et príncipum ejus, dicens; Hómines et juménta et boves et pécora non gustent quicquam nec pascántur, et aquam non bibant; et operiántur saccis hómines et juménta[1] clament ad [2]Deum[2] in fortitúdine, et convertátur vir a via sua mala, et ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur et ignóscat Deus: et revertátur a furóre iræ suæ, et non períbimus? Et vidit Deus opera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala: et misértus est Deus super malítiam, quam locútus fúerat ut fáceret eis, et non fecit. Et misértus est pópulo suo Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 53 Deus, exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe verba oris mei.
℣. Deus in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua [3]júdica[3] me.

Tractus. Dómine, non secúndum. ut supra feria sexta post Oculi.

Secundum Johannem. c. 7

In illo témpore, Misérunt príncipes et Pharisæi minístros ut apprehénderent Jesum. Dixit ergo eis Jesus; Adhuc módicum tempus vobíscum sum: et vado ad eum qui misit me. Quærétis me, et non inveniétis: et ubi sum ego, vos non potéstis veníre. Dixérunt ergo Judæi ad semetípsos; Quo hic itúrus est, quia non inveniémus eum? numquid in dispersiónem Géntium itúrus est, et doctúrus gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quærétis me et non inveniétis: et ubi sum ego, vos non potéstis veníre? In novíssimo autem die magno festivitátis stabat Jesus et clamábat, dicens; Si quis sitit, véniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum.

Offertorium. Ps. 6 Dómine, convértere et éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.
℣. Dómine, ne in ira tua árguas me: neque in furóre tuo corrípias me.

Secreta.

Sacrifícium laudis de perceptióne tuórum, Dómine, deférimus præsidiórum; quæsumus, ut percipiénda secúrius veriúsque sumámus. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 23 Dóminus virtútum: ipse est rex glóriæ.

Postcommunio.

Sacraménti tui, quæsumus, Dómine, participátio salutáris et purificatiónem nobis præbeat et medélam. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo spíritum veritátis et pacis; ut te tota mente cognóscat, et quæ tibi plácita sunt pia devotióne exérceat. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus.

[1] et—V.
[2] Dominum.—13. 26.
[3] libera.—26. 57.

Feria tertia post Judica.

Ad Missam. Officium. Ps. 26

EXPÉCTA Dóminum, viríliter age, et confortétur cor tuum: et sústine Dóminum.

Psalmus. Dóminus illuminátio mea: et salus mea; quem timébo?

Non dicitur Glória Patri.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

NOSTRA tibi, quæsumus, Dómine, sint accépta jejúnia: quæ nos et expiándo grátia tua dignos effíciant, et ad remédia perdúcant ætérna. Per Dóminum.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 14

IN diébus illis, Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixérunt ei; Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit et Dracónem interfécit; alióquin interficiémus te et domum tuam. Vidit ergo rex quod irrúerent in eum veheménter, et necessitáte compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum; et erat ibi sex diébus. Porro in lacu erant leónes septem; et dabántur eis quotídie duo córpora et duæ oves. Et tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem. Erat autem Abachuc prophéta in Judæa; et ipse cóxerat pulméntum, et intríverat panes in alvéolo, et ibat in campum ut ferret messóribus. Dixítque ángelus Dómini ad Abachuc; Fer prándium quod habes in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Abachuc; Dómine, Babylónem non vidi, et lacum néscio. Et apreheńdit eum ángelus Dómini in vértice ejus, et portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylónem super lacum in ímpetu spíritus sui. Et clamávit Abachuc, dicens; Dániel, serve Dei, tolle prándium quod tibi misit Deus. Et ait Dániel; Recordátus enim es mei, Dómine Deus meus, et non dereliquísti diligéntes te. Surgénsque Dániel, comédit. Porro ángelus Dómini restítuit Abachuc conféstim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo ut lugéret Daniélem. Et venit ad lacum et introspéxit; et ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit rex voce magna, dicens; Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu. Illos autem, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, et devoráti sunt in moménto coram eo. Tunc rex ait; Páveant omnes habitántes in univérsa terra Deum Daniélis; quia ipse est liberátor et salvátor, fáciens signa et mirabília in cœlo et in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

Gradale. Ps. 42 Discérne causam meam, Dómine: ab hómine iníquo et dolóso éripe me.

℣. Emítte lucem tuam et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt: et adduxérunt in montem sanctam tuum.

Secundum Johannem. c. 7

IN illo témpore, Ambulábat Jesus in Galilæam, non enim volébat in Judæam ambuláre: quia quærébant eum Judæi interfícere. Erat autem in próximo dies festus Judæórum, Scenopégia. Dixérunt ergo ad eum fratres ejus; Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discípuli tui vídeant ópera tua, quæ facis. Nemo quippe in occúlto áliquid facit, et quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifésta teípsum mundo. Neque enim fratres ejus credébant in eum. Dixit ergo eis Jesus; Tempus meum nondum advénit: tempus autem vestrum semper est parátum. Non potest mundus odísse vos: me autem odit; quia ego testimónium perhíbeo de illo quia ópera ejus mala sunt. Vos ascéndite ad diem festum hunc, ego autem non ascéndam ad diem festum istum: quia tempus

meum nondum implétum est. Hæc cum dixísset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascendérunt fratres ejus, tunc et ipse ascéndit ad diem festum, non maniféste sed quasi in occúlto. Judæi ergo quærébant eum in die festo, et dicébant; Ubi est ille? Et murmur multus erat de eo in turba. Quidam enim dicébant; Quia bonus est. Alii autem dicébant: Non, sed sedúcit turbas. Nemo tamen palam loquebátur de illo propter metum Judæórum.

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino qui hábitat in Sion; quóniam non est oblítus oratiónem páuperum.
℣. Sedes super thronum qui júdicas æquitátem: increpásti gentes et périit ímpius; judicáre pópulum cum justítia, et factus es refúgium páuperum.

Secreta.

HÓSTIAS tibi, Dómine, deférimus immolándas, quæ temporálem consolatiónem nobis impéndant; ut promíssa certius non desperémus ætérna. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 24 Rédime me, Deus Israel: ex ómnibus angústiis meis.

Postcommunio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus; ut quæ divína sunt júgiter exequéntes, donis mereámur cœléstibus propinquáre. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

DA nobis, Dómine, quæsumus, perseverántem in tua voluntáte famulátum, ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Feria quarta post Judica.

Ad Missam. Officium. Ps. 17

IBERÁTOR meus de géntibus iracúndis: ab insurgéntibus in me exaltábis me, a viro iníquo erípies me, Dómine.

Psalmus. Díligam te, Dómine fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum.

Non dicitur ulterius.[1]

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

SANCTIFICÁTO hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illústra: et quibus devotiónis præstas afféctum, præbe supplicántibus pium benígnus audítum. Per Dóminum.

Lectio libri Levitici. c. 19

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Moysen dicens; Lóquere ad univérsum cœtum filiórum Israel, et dices ad eos: Ego Dóminus Deus vester. Non faciétis furtum. Non mentiémini, nec decípiet unusquísque próximum suum. Non perjurábis in nómine meo, nec póllues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Non fácies calúmniam próximo tuo, nec vi óppримes eum. Non morábitur opus mercenárii tui apud te usque mane. Non maledíces surdo, nec coram cæco pones offendículum: sed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego sum Dóminus. Non fácies quod iníquum est, nec injúste judicábis. Non consideres persónam páuperis, nec honóres vultum poténtis. Juste júdica próximo tuo. Non eris criminátor nec susúrro in pópulis. Non stabis contra sánguinem próximi tui. Ego Dóminus.

[1] Gloria Patri—15. 26.

Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed públice árgue eum, [1]ne[1] hábeas super illo peccátum. Non quæras ultiónem inimicórum nec memor eris injúriæ cívium tuórum. Díliges amícum tuum sicut teípsum. Ego Dóminus. Leges meas custodíte. Ego enim sum Dóminus Deus vester.

Gradale. Ps. 29 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me.
℣. Dómine Deus [2]meus,[2] clamávi ad te et sanásti me; Dómine, abstraxísti ab ínferis ánimam meam: salvásti me a descendéntibus in lacum.

Tractus. De necessitátibus. ut supra feria quarta post Reminiscere.

Secundum Johannem. c. 10

In illo témpore, Facta sunt Encænia in Hierosólymis: et hiems erat; et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, et dicébant ei; Quoúsque ánimam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respóndit eis Jesus; Loquor vobis, et non créditis: ópera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt: et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis: et non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est: et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. Sustulérunt [3]ergo[3] lápides Judæi, ut lapidárent eum. Respóndit eis Jesus; Multa bona ópera osténdi vobis ex Patre meo, propter quod eórum opus me lapidátis? Respondérunt ei Judæi; De bono ópere non lapidámus te, sed de blasphémia; et quia tu, homo cum sis, facis teípsum Deum. Respóndit eis Jesus; Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est; et non potest solvi scriptúra; quem Pater sanctificávit et misit in mundum, vos dícitis: quia blasphémas, quia dixi: Fílius Dei sum? Si non fácio ópera Patris mei, nolíte crédere mihi. Si autem fácio: etsi mihi non vultis crédere, opéribus crédite, ut cognoscátis, et credátis quia Pater in me est, et ego in Patre.

Offertorium. Ps. 58 Eripe me de inimícis meis, Deos meus: et ab insurgéntibus in me líbera me, [4]Dómine.[4]
℣. Quia ecce captavérunt ánimam meam, [5]et[5] irruérunt in me fortes.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus, miséricors Deus; ut hóstias placatiónis et laudis sincéro tibi deferámus obséquio. Per.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 25 Lavábo inter innocéntes manus meas: et circuíbo altáre tuum, Dómine; ut áudiam vocem laudis tuæ, et enárrem univérsa mirabília tua.

Postcommunio.

Cæléstis doni benedictióne percépta, súpplices te, Deus omnípotens, deprecámur; ut hoc idem nobis et sacraménti causa sit et salútis. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

[1] ut non—92. 97. 98.
[2] non habent 92. 15. 57.
[3] non habent 92. 97. 98. V.
[4] non habet 4L.
[5] non habent 92. 98. 4L. 13. 15.

Oratio.

ADVÉNIAT, quæsumus, Dómine, misericórdia[1] speráta supplícibus; et eis cœlésti munificéntia tribuátur, quaténus et recte peténda póstulent, et postuláta percípiant. Per Dóminum.

Feria quinta post Judica.

Ad Missam. Officium. Dan. 3

OMNIA quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti; quia peccávimus tibi et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Ps. 47 Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri; in monte sancto ejus.

Non dicitur Glória Patri.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut dígnitas conditiónis humánæ per immoderántiam sauciáta, medicinális parsimóniæ stúdio reformétur. Per Dóminum.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 3

IN diébus illis, Orávit Dániel dicens; Dómine Deus [2]Israel,[2] ne despícias pópulum tuum, neque áuferas misericórdiam tuam a nobis, propter Abraham diléctum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum; quibus locútus es, póllicens quod multiplicáres semen eórum sicut stellas cœli et sicut arénam quæ est in líttore maris. Quia, Dómine, imminúti sumus plus quam omnes gentes, sumúsque húmiles in univérsa terra hódie propter peccáta nostra. Et non est in témpore hoc princeps et prophéta et dux, neque holocáustum neque sacrifícium neque oblátio neque incénsum nec locus primitiárum coram te, ut possímus invenire misericórdiam; sed in ánimo contríto et spíritu humilitátis suscipiámur. Sicut in holocáusto aríetum et taurórum et sicut in míllibus agnórum pínguium, sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi; quia non est confúsio confidéntibus in te. Et nunc, Dómine, séquimur [3]te[3] in toto corde et timémus te et quærimus fáciem tuam. Ne confúndas nos, sed fac nobíscum juxta mansuetúdinem tuam et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. Et érue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo, Dómine, et confundántur omnes qui osténdunt servis tuis mala. Confundántur in omnipoténtia, et robur eórum conterátur. Et sciant quia tu es Dóminus Deus solus, et gloriósus super omnem terram Dómine Deus noster.

Gradale. Ps. 95 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℣. Ps. 28 Revelábit Dóminus condénsa: et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Secundum Johannem. c. 7

IN illo témpore, Cum audíssent quidam de turba sermónes Jesu, dicébant; Hic est vere prophéta. Alii dicébant; Hic est Christus. Quidam autem dicébant; Numquid a Galiláea Christus venit? Nonne Scriptúra dicit: Quia ex sémine David, et de Béthlehem castéllo, ubi erat David, ventúrus est Christus? Disséns io ítaque facta est in turba propter eum. Qui-

[1] tua.—15.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L.
[3] non habent 97. 98. 4L.

dam autem ex ipsis volébant apprehéndere eum: sed nemo misit super illum manus. Venérunt ergo minístri ad Pontífices et Pharisæos. Et dixérunt eis [1]illi;[1] Quare non adduxístis eum? Respondérunt minístri; Numquam sic locútus est homo sicut hic[2] lóquitur. Respondérunt ergo eis Pharisæi; Numquid et vos sedúcti estis? Numquid áliquis ex princípibus crédidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledícti sunt. Dixit Nicodémus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis; Numquid lex nostra júdicat hóminem, nisi prius audíerit ab ipso, et cognóverit quid fáciat? Respondérunt et dixérunt ei; Numquid et tu Galilæus es? Scrutáre Scriptúras, et vide quia prophéta a Galilæa non surgit. Et revérsi sunt unusquísque in domum suam.

Offertorium. Ps. 136 Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui, Sion.

℣. Meménto, Dómine, filiórum Edom: in [3]diem[3] Hierúsalem.

Secreta.

DÓMINE Deus noster, qui in his pótius creatúris quas ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti, tuo quoque nómini múnera jussísti dicánda constítui; tríbue, quæsumus, ut et vitæ nobis præséntis auxílium, et æternitátis effíciant sacraméntum. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 118 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio.

QUOD ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus, et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

ESTO, quæsumus, Dómine, propítius plebi tuæ; ut quæ tibi non placent [4]respuens,[4] tuórum pótius [5]repleátur[5] delectatiónibus mandatórum. Per Dóminum.

Feria sexta post Judica.

Ad Missam. Officium. Ps. 30

MISERÉRE mihi, Dómine, quóniam tríbulor: líbera me et éripe me de mánibus inimicórum meórum: et a persequéntibus me, Dómine, non confúndar quóniam invocávi te.

Psalmus. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me.

Non dicitur Glória Patri.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

CÓRDIBUS nostris, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ benígnus infúnde; ut peccáta nostra castigatióne voluntária cohibéntes, temporáliter pótius macerémur, quam supplíciis deputémur ætérnis. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 17

IN diébus illis, Dixit Hieremías; Dómine, omnes qui te derelínquunt,

[1] non habent 4L. 13. 15.
[2] homo—92. 97. 98. 4L. V.
[3] die—94. 26. 57.
[4] respuentes—13. 15. 26. 57.
[5] repleantur—13. 15. 26.

confundántur: recedéntes a te, in terra scribéntur: quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me; Ubi est verbum Dómini? véniat. Et ego non sum turbátus, te pastórem sequens: et diem hóminis non desiderávi, tu scis. Quod egréssum est de lábiis meis, rectum in conspéctu tuo fuit. Non sis mihi tu formídini, spes mea tu in die afflictiónis. Confundántur qui me persequúntur, et non confúndar ego: páveant illi, et non páveam ego: induc super eos diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

Gradale. Ps. 34 Pacífice loquebántur mihi inimíci mei: et in ira molésti erant mihi.
℣. Vidísti, Dómine Deus meus, ne síleas: ne discédas a me.

Tractus. Dómine, non secúndum. ut supra feria sexta post Oculi.

Secundum Johannem. c. 11

In illo témpore, Collegérunt Pontífices et Pharisæi concílium advérsus Jesum, et dicébant; Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum: et vénient Románi, et tollent nostrum locum et gentem. Unus autem ex ipsis, Cáiphas nómine, cum esset Póntifex anni illíus, dixit eis; Vos nescítis quidquam nec cogitátis; quia éxpedit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Hoc autem a semetípso non dixit: sed cum esset Póntifex anni illíus, prophetávit, quia Jesus moritúrus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed ut fílios Dei qui erant dispérsi, congregáret in unum. Ab illo ergo die cogitavérunt ut interfícerent eum. Jesus ergo jam non in palam ambulábat apud Judæos, sed ábiit in regiónem juxta desértum, in civitátem, quæ dícitur Ephrem, et ibi morabátur cum discípulis suis.

Offertorium. Ps. 118 Benedíctus es, Dómine; doce me justificatiónes tuas: et [1]non[1] tradas calumniántibus me supérbis, et respondébo exprobrántibus mihi verbum.
℣. Vidi non servántes pactum et tabescébam: Dómine, quando fácies de persequéntibus me judícium?

Secreta.

Præsta nobis,[2] miséricors Deus; ut digne tuis servíre semper altáribus mereámur, et eórum perpétua participatióne salvári. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 26 Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas persequéntium me: quia insurrexérunt in me testes iníqui et mentíta est iníquitas sibi.

Postcommunio.

Sumpti sacrifícii, Dómine, perpétua nos tuítio non derelínquat: et nóxia semper a nobis cuncta repéllat. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

Concéde nobis, quæsumus, Dómine, véniam peccatórum et religiónis augméntum; atque ut in nobis tua dona multíplices, tuis fac mandátis promptióres. Per Dóminum.

[1] ne—13. 15.
[2] quæsumus.—94. 97. 26.

Sabbato post Judica.

Ad Missam. Officium. Ps. 30

MISERÉRE mihi, Dómine, quóniam tríbulor: líbera me et éripe me de mánibus inimicórum meórum: et a persequéntibus me, Dómine, non confúndar quóniam invocávi te.

Psalmus. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me.

Non dicitur Glória Patri.

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PROFÍCIAT, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis afféctu; ut sacris actiónibus erudíta, quanto majestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 18

IN diébus illis, Dixérunt ímpii Judæi ad ínvicem; Veníte, cogitémus contra justum cogitatiónes: non enim períbit lex a sacerdóte, neque consílium a sapiénte, nec sermo a prophéta. Veníte, et percutiámus eum lingua, et non attendámus ad univérsos sermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptérea da fílios eórum in famem, et deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eórum absque líberis, et víduæ: et viri eárum interficiántur morte: júvenes eórum confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum: addúces enim super eos latrónem repénte: quia fodérunt fóveam ut cáperent me, et láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum advérsum me in mortem: ne propitiéris iniquitáti eórum, et peccátum eórum a fácie tua non deleátur: fiant corruéntes in conspéctu tuo, in témpore furóris tui, Dómine Deus meus.

Gradale. Ps. 34 Pacífice loquebántur mihi inimíci mei: et in ira molésti erant mihi.
℣. Vidísti, Dómine Deus meus, ne síleas, ne discédas a me.

Secundum Johannem. c. 6

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Amen, Amen, dico vobis: Nisi manducavéritis carnem Fílii Hóminis et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna in deserto, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. Hæc dixit in synagóga, docens sábbato in Caphárnaum. Multi [1]ergo[1] audiéntes ex discípulis ejus, dixérunt; Durus est hic sermo: quis potest eum audíre? Sciens autem Jesus apud semetípsum quia murmurárent de hoc discípuli ejus, dixit eis; Hoc vos scandalízat? Si ergo vidéritis Fílium Hóminis ascendéntem ubi erat prius? Spíritus est qui vivíficat: caro non prodest quicquam: verba quæ ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciébat autem

[1] autem.—13. 26. 57.

ab initio Jesus, qui essent [1]non[1] credéntes, et quis traditúrus esset eum. Et dicébat; Proptérea dixi vobis, quia nemo potest veníre ad me, nisi fúerit ei datum a Patre meo. Ex hoc ergo multi discipulórum ejus abiérunt retro: et jam non cum illo ambulábant. Dixit ergo Jesus ad duódecim; Numquid et vos vultis abíre? Respóndit ergo ei Simon Petrus; Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ ætérnæ habes. Et nos crédimus, et cognóvimus quia tu es Christus Fílius Dei. Respóndit eis Jesus; Nonne [2]ego[2] vos duódecim elégi: et unus ex vobis diábolus es? Dicébat autem de Juda Simónis Scarióthis: hic enim erat traditúrus eum, cum esset unus ex duódecim.

Offertorium. Hierem. 18 Recordáre quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum: et avérterem indignatiónem tuam ab eis.

℣. Ps. 79 Qui regis Israel inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.

Secreta.

SÚSCIPE, Creátor omnípotens,[3] quæ jejunántes de tuæ munificéntiæ largitáte deférimus; et pro temporáli nobis colláta præsídio, ad vitam convérte [4]propitiátus[4] ætérnam. Per Dóminum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 26 Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas persequéntium me: quia insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Postcommunio.

DIVÍNI múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster; ut hujus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

TUEÁTUR, quæsumus, Dómine, déxtera tua pópulum deprecántem; et purificátum dignánter erúdiat, ut et consolatióne præsénti foveátur et ad futúra bona proficiat. Per Dóminum.

[1] non habent 15. 26. 57.
[2] non habent 92. 97. 98.
[3] munera.—92. 94. 97.
[4] propitius.—94. 97. 98.

Dominica in ramis palmarum.

[1]Post aspersionem aquæ benedictæ legatur hæc lectio, ad gradum altaris ex parte australi ab accolito alba induto, super flores et frondes cum suo titulo.

Lectio libri Exodi. c. 15 et 16

In diébus illis, Venérunt fílii Israel, in Helim, ubi erant fontes aquárum duódecim et septuagínta palmæ: et castrametáti sunt juxta aquas. Profectíque sunt de Helim, et venit omnis multitúdo filiórum Israel in desértum Sin, quod est inter Helim et Sínai: quintodécimo die mensis secúndi, postquam egréssi sunt de terra Ægýpti. Et murmurávit omnis congregátio filiórum Israel contra Moysen et Aaron in solitúdine. Dixerúntque ad eos fílii Israel; Utinam mórtui essémus per manum Dómini in terra Ægýpti, quando sedebámus super ollas cárnium, et comedebámus panem in saturitáte: cur induxístis nos in desértum istud, ut occiderétis omnem multitúdinem fame? Dixit autem Dóminus ad Móysen; Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediátur pópulus, et cólligat quæ suffíciunt per síngulos dies: ut tentem eum, utrum ámbulet in lege mea, an non. Die autem [2]sexta[2] parent quod ínferant: et sit duplum quam collígere solébant per síngulos dies. Dixerúntque Móyses et Aaron ad omnes fílios Israel; Véspere sciétis quod Dóminus edúxerit vos de terra Ægýpti: et mane vidébitis glóriam Dómini: audívi enim murmur vestrum contra Dóminum: nos vero quid sumus, quia mussitástis contra nos? Et ait Moyses; Dabit vobis Dóminus véspere carnes édere, et mane panes in saturitáte: eo quod audíerit murmuratiónes vestras quibus murmuráti estis contra eum; nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dóminum. Dixítque Moyses ad Aaron; Dic univérsæ congregatióni filiórum Israel: Accédite coram Dómino: audívit enim murmur vestrum. Cumque loquerétur Aaron ad omnem cœtum filiórum Israel, respexérunt ad solitúdinem: et ecce glória Dómini appáruit in nube.

[3]Statimque sequatur Evangelium; et legatur ubi leguntur evangelia in ferialibus diebus[3] a diacono ad orientem converso, more simplicis festi, post acceptam benedictionem.[4]

Secundum Johannem. c. 12

In illo témpore, Turba multa, quæ convénerat ad diem festum, cum audíssent quia venit Jesus Hierosólymam, accepérunt ramos palmárum, et processérunt óbviam ei, et clamábant: Hosánna, benedíctus qui venit in nómine Dómini, Rex Israel. Et invénit Jesus aséllum, et sedit super eum, sicut scriptum est; Noli timére, fília Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuétus, sedens super pullum ásinæ. Hæc non cognovérunt discípuli ejus primum: sed quando glorificátus est Jesus, tunc re-

[1] Non habet Graduale quæ sequuntur.
[2] sexto.—13. 26. 57. V.
[3] Deinde statim accepta benedictione ibidem legatur Evangelium super lectorium ubi lectio legebatur.—94. 97.
[4] cum Dominus vobiscum et Gloria more solito.—94. 97.

cordáti sunt quia hæc erant scripta de eo: et hæc fecérunt ei. Testimónium ergo perhibébat turba, quæ erat cum eo quando Lázarum vocávit de monuménto, et suscitávit eum a mórtuis. Proptérea et óbviam venit ei turba: quia audíerant eum fecísse hoc signum. Pharisæi ergo dixérunt ad semetípsos; Vidétis quia nihil profícimus? ecce mundus totus post eum ábiit.

Finito Evangelio, sequatur benedictio florum et frondium a sacerdote, induto capa serica rubea, super gradum tertium altaris ad [1]australem[1] converso; positis prius palmis cum floribus supra altare pro clericis; pro aliis vero, super gradum altaris in parte australi.

EXORCÍZO te, creatúra florum vel fróndium; in nómine Dei Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus Sancti: próinde omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, [2]omnísque potéstas inimíci,[2] omnis incúrsio dæmónum, eradicáre et explantáre ab hac creatúra florum vel fróndium; ut ad Dei grátiam festinántium vestígia [3]insidiándo[3] non assequáris. Per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde dicuntur orationes sine Dóminus vobíscum, sed tantum cum Orémus.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui in dilúvii effusióne Noe fámulo tuo per os colúmbæ gestántis ramum olívæ pacem terris rédditam nunciásti, te súpplices [4]deprecámur;[4] ut hanc creatúram florum[5] et fróndium[5] spatulásque palmárum seu frondes arbórum, quas ante conspéctum glóriæ tuæ offérimus, véritas tua sanctí✠ficet, ut devótus pópulus in mánibus suscípiens eas, benedictiónis tuæ grátiam cónsequi mereátur. Per Christum.

Et dicuntur omnes Orationes sub tono lectionis et cum Orémus.

DEUS, cujus Fílius pro salúte géneris humáni de cœlo descéndit ad terras; et appropinquánte hora passiónis suæ Hierosólymam in ásino sedens veníre et a turbis rex appellári ac laudári vóluit; auge fidem in te sperántium, et súpplicum preces cleménter exáudi. Véniat super nos, quæsumus, Dómine, [6]benedíctio[6] tua; et hos palmárum cæterarúmque arbórum ramos bene✠dícere dignáre; ut omnes qui eos latúri sunt, benedictiónis tuæ dono repleántur. Concéde ergo, Dómine, ut sicut Hebræórum púeri Hosánna in excélsis clamántes eídem Fílio tuo Dómino nostro Jesu Christo cum ramis palmárum occurrérunt; ítaque nos arbórum ramos gestántes, cum bonis opéribus occurrámus óbviam Christo, et perveniámus ad gáudium sempitérnum. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

Oratio.

DEUS, qui dispérsa cóngregas et congregáta consérvas; qui pópulis óbviam Christo Jesu ramos palmárum[7] portántibus benedixísti: béne✠dic étiam et hos ramos palmárum cæterarúmque arbórum, quos tui fámuli ad nóminis tui benedictiónem fidéliter suscípiunt: ut in quemcúnque locum introdúcti fúerint,

[1] orientem.—92. 98.
[2] non habent 92. 98.—inimici non habent 4L. 8RM. 13.
[3] non habent 94. 97.
[4] exoramus.—94.
[5] non habent 92. 98.
[6] misericordia.—94. 97. 26. 57.
[7] cæterarumque arborum.—94.

tuam benedictiónem habitatóres illíus loci [1]omnes[1] consequántur: ita ut omni [2]advérsa valitúdine[2] effugáta, déxtera tua prótegat quos redémit. Per eúndem Dóminum.

Hic aspergantur flores et frondes aqua benedicta et thurificentur. Deinde [3]dicitur[3] Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

DÓMINE Jesu Christe, [4]Fili Dei vivi,[4] mundi cónditor et redémptor, qui nostræ liberatiónis et salvatiónis grátia ex summa cœli arce descéndere, carnem súmere, et passiónem subíre dignátus es; quique sponte própria loco ejúsdem passiónis appropínquans, a turbis cum ramis palmárum obviántibus benedíci, laudári, et rex benedíctus [5]véniens[5] in nómine Dómini[6] clara voce appellári voluísti; tu nunc nostræ confessiónis laudatiónem acceptáre; et hos palmárum [7]cæterarúmque arbórum[7] ac florum ramos bene✠dícere et sancti✠ficáre dignéris; ut quicúnque in tuæ virtútis obséquio exínde áliquid túlerit, cœlésti benedictióne sanctificátus, peccatórum remissiónem et vitæ ætérnæ prǽmia percípere mereátur. Per te, Jesu Christe salvátor[8]; qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

His itaque peractis, statim distribuantur palmæ, et interim cantentur hæ sequentes Antiphonæ, Cantore incipiente Antiphonam.

PÚERI Hebræórum, tolléntes ramos olivárum, obviavérunt Dómino clamántes et dicéntes, Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona.

Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via, et clamábant dicéntes, Hosánna Fílio David; Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

✻

Ad lectoris commodum Antiphonas et Responsoria excerpsimus e Processionali secundum usum Sarum anno Dni 1544 excuso.

Antiphona. Prima autem azimórum accessérunt discípuli ad Jesum dicéntes; Ubi vis parémus tibi comédere pascha? At Jesus dixit eis; Ite in civitátem ad quendam, et dícite ei; Magíster dicit, tempus meum prope est, apud te fácio pascha cum discípulis meis. Et fecérunt discípuli sicut præcéperat eis Dóminus, et paravérunt pascha.

Alia Antiphona. Cum appropinquásset Dóminus Hierosólymam misit duos ex discípulis suis dicens; Ite in castéllum quod est contra vos, et inveniétis pullum ásinæ alligátum, super quem nullus hóminum sedit, sólvite et addúcite mihi; siquis vos interrogáverit, dícite, Opus Dómini est. Solvéntes adduxérunt ad Jesum, et imposuérunt illi vestiménta, et sedit super eum.

[1] non habent 92. 94. 98.
[2] adversitate.—94.
[3] dicit sacerdos.—94. 97.
[4] non habent 94. 97.
[5] qui venit.—94. 97. 26. 57.
[6] veniens—94. 97. 26.
[7] non habent 92. 98.
[8] mundi.—94. 97. 26. 57.

Alii prosternébant vestiménta sua in via, álii ramos de arbóribus externébant. Et qui sequebántur clamábant; Hósanna, Benedíctus qui venit in nómine Dómini; benedíctum regnum patris nostri David: Hósanna in excélsis: miserére nobis, fili David.

Alia Antiphona. Cum audísset pópulus quia venit Jesus Hierosólymam, accepérunt ramos palmárum, et exiérunt ei óbviam, et clamábant púeri dicéntes; Hic est qui ventúrus erat pro salúte mundi. Hic est salus nostra, redémptio Israel; quantus est iste cui throni et dominatiónes occúrrunt. Noli timére, fília Sion, ecce Rex tuus venit sedens super pullum ásinæ sicut scriptum est, salve Rex fabricátor mundi, qui venísti redímere nos.

Alia Antiphona. Ante sex dies solemnitátis Paschæ, quando venit Dóminus in civitátem Hierúsalem, occurrérunt ei púeri, et in mánibus portántes ramos palmárum, et clamábant voce magna dicéntes, Hósanna in excélsis.

Alia Antiphona. Ante sex dies passiónis, venit Dóminus in civitátem Hierúsalem, et occurrérunt ei púeri, et in mánibus portábant ramos palmárum, et clamábant voce magna dicéntes; Hósanna in excélsis. Benedíctus qui venísti multitúdine misericórdiæ tuæ. Hósanna in excélsis.

Alia Antiphona. En Rex venit mansuétus tibi, Sion, fília mýstica, húmilis sedens super animália, quem ventúrum jam prædíxit léctio prophética.

Salve, quem Jesum
testátur plebs Hebræórum,
Obvia cum palmis
tibi clamans verba salútis.
Hic est qui de Edom venit
tinctus Bosra véstibus.
In stola sua formósus,
grádiens virtútibus.
Non in equis bellicósis
nec in altis túrribus.
Salve, lux mundi,
rex regum, glória cœli,
Cui manet impérium
laus et decus hic et in ævum.
Hic est ille qui ut agnus
insons morti tráditur.
Mors mortis, inférni morsus,
morte donans vívere.
Ut quondam beáti vates
prompsérunt prophétice.
Salve, nostra salus,
pax vera, redémptio, virtus.
Ultro qui mortis
pro nobis jura subísti.
Dignus es, Dómine Deus noster, accípere
glóriam et honórem.

Antiphona. Occúrrunt turbæ cum flóribus et palmis Redemptóri óbviam, et victóri triumphánti digna dant obséquia Fílio Dei ore gentes prædicant et in laudem Christi voces tonant per núbila Hosánna.

Antiphona. Dóminus Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethániam, ubi fúerat Lázarus mórtuus, Quem suscitávit Jesus.

Versus. Convenérunt autem ibi multi Judæórum ut Lázarum vidérent. Quem.

Alia Antiphona. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum ut et Lázarum interfícerent. Propter quem multi veniébant et credébant in Jesum.

Versus. Testimónium ergo perhibébat turba, quæ erat cum eo, quando Lázarum vocávit de monuménto, et suscitávit eum a mórtuis. Propter.

Glória laus et honor
tibi sit, Rex Christe Redémptor.
Cui pueríle decus
prompsit hosánna pium.
Israel es tu Rex,
Davídis et ínclyta proles.

Nómine qui in Dómini,
Rex benedícte, venis.
Cœtus in excélsis
te laudat cœlicus omnis,
Et mortális homo, et
cuncta creáta simul.
Plebs Hebræa tibi
cum palmis óbvia venit.
Cum prece, voto, hymnis,
ádsumus ecce tibi.

Antiphona. Collegérunt Pontífices et Pharisæi concílium, et dicébant; Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit; si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum. Ne forte véniant Románi et tollant nostrum locum et gentem.

Alia Antiphona. Unus autem ex ipsis, Cáyphas nómine, cum esset Póntifex anni illíus, prophetávit dicens; Expédit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo et non tota gens péreat. Ab illo ergo die cogitavérunt interfícere eum dicéntes. Ne.

Alia Antiphona. Ingrediénte Dómino in sanctam civitátem, Hebræórum púeri resurrectiónem vitæ pronunciántes. Cum ramis palmárum Hosánna clamábant in excélsis.

Versus. Cumque audíssent quia venit Jesus Hierosólymam exiérunt óbviam ei. Cum ramis.

Alia Antiphona. Ave Rex noster, Fili David, Redémptor mundi, quem prophétæ prædixérunt Salvatórem domus Israel esse ventúrum. Te enim ad salutárem víctimam Pater misit in mundum, quem expectábant omnes sancti ab orígine mundi, et nunc. Hosánna Fílio David. Benedíctus qui venit in nómine Dómine. Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona. Circumdedérunt me viri mendáces sine causa, flagéllis cecidérunt me. Sed tu, Dómine Defénsor, víndica me.

Versus. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, Et ab insurgéntibus in me líbera me.

[1]Dum distribuuntur rami, præparetur feretrum cum reliquiis, in quo Corpus Christi in pixide dependeat et ad locum primæ stationis a duobus clericis de secunda forma non procedatur sequendo, sed ad locum primæ stationis obviam veniendo, habitu non mutato; lumen deferatur in laterna præcedente cum cruce denudata, et duobus vexillis præcedentibus. Deinde eat processio usque ad locum primæ stationis. Sintque ministri processionis albis circumamicti absque tunicis, vel casulis induti: ita tamen quod sacerdos sit in capa serica rubea; choro itaque sequente, habitu non mutato. In eundo Antiphona Prima autem. Antiphona Cum appropinquáret. Si autem non sufficiunt hæ duæ Antiphonæ prædictæ usque ad locum primæ stationis: tunc sequantur hæ Antiphonæ, scilicet Antiphona, Cum audísset, Antiphona, Ante sex; Antiphona, Ante sex dies passiónis. Hic fiat prima statio; videlicet ex parte ecclesiæ boreali in extrema parte orientali; et legatur hoc Evangelium, Cum appropinquásset Jesus. Require hoc Evangelium in prima Dominica Adventus Domini; et legatur ab ipso diacono induto ad processionem non juxta crucem, sed

[1] non habent 92. 94. 97. 98. usque ad Sempiterne Deus. fol. 148 sub finem.

ante sacerdotem loco parumper secus stationem illius diaconi mutato. Etiam ipso diacono ad borealem converso: et legatur sicut in festo simplici novem lectionum, benedictione prius accepta more solito.

Finito Evangelio, tres clerici de secunda forma, habitu non mutato, conversi ad populum stantes ante magnam crucem ex parte occidentali, simul cantent ℣. En rex venit. Post singulos vero versus Executor Officii incipiat Antiphonam Salve, conversus ad reliquias; quam prosequatur chorus cum genuflexione osculando terram. Ab ipso autem Executore Officii primo cum choro fiat genuflexio. Clerici ante reliquias ℣. En rex. Senior Antiphonam, Salve quem. Chorus resurgendo prosequatur Testátur. Item clerici ante reliquias, loco non mutato, dicant ℣. Hic est qui de Edom. Item Senior, loco non mutato, dicat ℣. Salve lux mundi. Chorus resurgendo prosequatur, Rex regum. Item Clerici ante reliquias, loco non mutato, dicant ℣. Hic est ille. Item Senior, loco non mutato, dicat Antiphonam, Salve, nostra salus. Chorus resurgendo prosequatur, Pax vera. Deinde eat processio ad locum secundæ stationis; et feretrum cum capsula reliquiarum pariter cum luce in laterna inter subdiaconum et thuribularium deferatur, cum vexillis ex utraque parte; cantore incipiente Antiphonam Dignus es, Dómine. Antiphona Occúrrunt turbæ. Si autem non sufficiunt hæ duæ Antiphonæ ad locum secundæ stationis, tunc cantentur hæc duo Responsoria vel unum eorum, ℟. Dóminus Jesus. ℣. Convenérunt. ℟. Cogitavérunt. ℣. Testimónium. Hic fiat secunda statio, videlicet ex parte ecclesiæ australi, ubi septem pueri in loco eminentiori simul cantent ℣. Glória laus. Chorus idem repetat post unumquemque ℣. Israel es tu. ℣. Cœtus in excélsis. ℣. Plebs Hebræa. Peracta hac statione, eat processio per medium claustri a dextera manu usque ad ostium ecclesiæ occidentale, cantando ℟. Collegérunt. Hic fiat tertia statio, scilicet ante prædictum ostium, ubi tres clerici de superiori gradu in ipso ostio, habitu non mutato, conversi ad populum cantent ℣. Unus autem. Repetitio, Ne forte. His finitis, intrent ecclesiam per idem ostium sub feretro, et capsula reliquiarum ex transverso ostii elevata, cantando ℟. Ingrediénte Dómino. Hic fiat quarta statio, scilicet ante crucem in Ecclesia; et in ipsa statione Executor officii incipiat Antiphonam Ave, cruce jam discooperta; et respondeat chorus Rex noster. cum genuflexione osculando terram. Et sic incipiat Senior Antiphonam ter; singulis vicibus vocem exaltando; una cum choro fiat genuflexio; et post tertiam inceptionem, chorus eandem antiphonam in ipsa statione stando prosequatur. Qua finita, intrent chorum. Omnes cruces per ecclesiam sint discoopertæ usque post vesperas. In introitu chori, ℟. Circumdedérunt me. ℣. Eripe me. ℟. Et ab insurgéntibus. Oratio. Omnípotens sempitérne Deus. Peractis quæ ad processionem pertinent,

Ad Missam. Officium. Ps. 21

DÓMINE, ne longe fácias auxílium tuum a me: ad defensiónem meam áspice; líbera me de ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Psalmus. Deus, Deus meus réspice in me: quare me dereliquísti?

Non dicitur ulterius.[1]

[1] Gloria Patri—15. 26.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti: concéde propítius, ut et patiéntiæ ipsíus habére documénta et resurrectiónis[1] consórtia mereámur. Per eúndem Dóminum.

Ad Philippenses. c. 2

FRATRES, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu: Qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium, et infernórum; et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus noster Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Gradale. Ps. 72 Tenuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me: et cum glória assumpsísti me.
℣. Quam bonus Israel Deus rectis corde: mei autem pene moti sunt pedes, pene effúsi sunt gressus mei: quia zelávi in peccatóribus: pacem peccatórum videns.

Chorus alternatim dicat Tractum. Ps. 21 Deus, Deus meus; réspice in me: quare me dereliquísti?
℣. Longe a salúte mea: verba delictórum meórum.
℣. Deus meus, clamábo per diem, nec exáudies; et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.
℣. Tu autem in sancto hábitas, laus Israel: in te speravérunt patres nostri, speravérunt et liberásti eos.
℣. Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: in te speravérunt et non sunt confúsi.
℣. Ego autem sum vermis, et non homo: oppróbrium hóminum et abjéctio plebis.
℣. Omnes qui vidébant me aspernabántur me: locúti sunt lábiis et movérunt caput.
℣. Sperávit in Dómino, erípiat eum: salvum fáciat eum quóniam vult eum.
℣. Ipsi vero consideravérunt et conspexérunt me: divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.
℣. Líbera me de ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam.
℣. Qui timétis Dóminum laudáte eum: univérsum semen Jacob magnificáte eum.
℣. Annunciábitur Dómino generátio ventúra: et annunciábunt cœli justítiam ejus.
℣. Pópulo qui nascétur quem fecit Dóminus.

Sequitur Passio.[2] Et est notandum quod triplici voce debet cantari aut pronunciari; scilicet voce alta, bassa et media. Quia omnia quæ in passione continentur, aut verba sunt Judæorum vel discipulorum; aut verba sunt Christi; aut Evangelistæ narrantis. Quare scire debes, quod ubi a litteram invenies, verba esse Judæorum vel discipulorum, quæ alta voce sunt proferenda. Ubi vero b invenies, verba sunt Christi, quæ bassa voce pronuncianda sunt. Ubi vero m invenies, verba sunt evangelistæ, quæ mediocri voce legenda aut cantanda sunt. Et hæc omnia in aliis Passionibus observa. Sic incipe,

[1] ejus.—15. 26. 57.
[2] non habent hanc rubricam 92. 94. 97. 98. 4L. 8RM. 13. 57. Alia est in 15. ejusdem significationis. Literæ indicantes cujusdam sint verba inveniuntur in 4L. 13. 57. In 94. 97. verba Domini nostri cruce notantur. Notis omnino caret 92.

m.² Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum. c. 26 et 27

Non dicitur Glória tibi Dómini.

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; b. Scitis quia post bíduum Pascha fiet, et Fílius Hóminis tradétur ut crucifigátur. m. Tunc congregáti sunt príncipes sacerdótum et senióres pópuli in átrium príncipis sacerdótum, qui dicebátur Cáiphas: et consílium fecérunt ut Jesum dolo tenérent et occíderent. Dicébant autem; a. Non in die festo. m. Ne forte tumúltus fíeret in pópulo. Cum autem esset Jesus in Bethánia in domo Simónis leprósi; accéssit ad eum múlier habens alabástrum unguénti pretiósi, et effúdit super caput ipsíus recumbéntis. Videntes autem discípuli, indignáti sunt, dicéntes; a. Ut quid perdítio hæc? Pótuit enim istud venúndari multo, et dari paupéribus. m. Sciens autem Jesus, ait illis; b. Quid molésti estis huic mulíeri? opus enim bonum operáta est in me. Nam semper páuperes habétis vobíscum: me autem non semper habébitis. Mittens enim hæc unguéntum hoc in corpus meum, ad sepeliéndum me fecit. Amen dico vobis, ubicúmque prædicátum fúerit hoc evangélium in toto mundo, dicétur et quod hæc fecit in memóriam ejus. m. Tunc ábiit unus de duódecim, qui dicebátur Judas Scarioth ad príncipes sacerdótum, et ait illis; a. Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? m. At illi constituérunt ei trigínta argénteos. Et exínde quærébat opportunitátem ut eum tráderet. Prima autem die Azymórum accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes; a. Ubi vis parémus tibi comédere Pascha? m. At Jesus dixit; b. Ite in civitátem ad quemdam, et dícite ei; Magíster dicit: Tempus meum prope est, apud te fácio Pascha cum discípulis meis. m. Et fecérunt discípuli sicut constítuit illis Jesus, et paravérunt Pascha. Véspere autem facto, discumbébat cum duódecim discípulis suis. Et edéntibus illis, dixit; b. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditúrus est. m. Et contristáti valde, cœpérunt sínguli dícere; a. Numquid ego sum, Dómine? m. At ipse respóndens ait; b. Qui intíngit mecum manum in parapside, hic me tradet. Fílius quidem Hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi per quem Fílius Hóminis tradétur: bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille. m. Respóndens autem Judas, qui trádidit eum, dixit; a. Numquid ego sum, Rabbi? m. Ait illi; b. Tu díxisti. m. Cœnántibus autem eis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait; b. Accípite et comédite; hoc est corpus meum. m. Et accípiens cálicem grátias egit, et dedit illis, dicens; b. Bíbite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. Dico autem vobis: non bibam ámodo de hoc genímine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobíscum novum in regno Patris mei. m. Et hymno dicto, exiérunt in montem Olivéti. Tunc dixit illis Jesus; b. Omnes vos scándalum patiémini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Postquam autem resurréxero, præcédam vos in Galiláeam. m. Respóndens autem Petrus, ait illi; a. Et si omnes scandalizáti fúerint in te, ego nunquam scandalizábor. m. Ait illi Jesus; b. Amen dico tibi, quia in hac nocte ántequam gallus cantet, ter me negábis. m. Ait illi Petrus; a. Etiamsi oportúerit

me mori tecum, non te negábo. m. Simíliter et omnes discípuli dixérunt. Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dícitur Gethsémani, et dixit discípulis suis; b. Sedéte hic, donec vadam illuc et orem. m. Et assúmpto Petro et duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári et mœstus esse. Tunc ait illis; b. Tristis est ánima mea usque ad mortem; sustinéte hic, et vigiláte mecum. m. Et progréssus pusíllum, prócidit in fáciem suam, orans et dicens; b. Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste: verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu [1]vis.[1] m. Et venit ad discípulos[2] et invénit eos dormiéntes, et dixit Petro sic; b. Non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem. Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma. m. Iterum secúndo ábiit, et orávit dicens; b. Pater mi, si non potest hic calix transíre nisi bibam illum, fiat volúntas tua. m. Et venit íterum, et invénit eos dormiéntes: erant enim óculi eórum graváti. Et relíctis illis, íterum ábiit, et orávit tértio, eúndem sermónem dicens. Tunc venit ad discípulos suos, et dixit illis; b. Dormíte jam et requiéscite: ecce appropinquábit hora, et Fílius Hóminis tradétur in manus peccatórum. Súrgite, eámus: ecce appropinquábit qui me tradet. m. Adhuc eo loquénte, ecce Judas unus de duódecim venit, et cum eo turba multa cum gládiis et fústibus, missi a princípibus sacerdótum et senióribus póputi. Qui autem trádidit eum, dedit illis signum, dicens; a. Quemcúmque osculátus fúero, ipse est, tenéte eum. m. Et conféstim accédens ad Jesum, dixit; a. Ave Rabbi. m. Et osculátus est eum. Dixítque illi Jesus; b. Amíce, ad quid veníisti? m. Tunc accessérunt, et manus injecérunt in Jesum, et tenuérunt eum. Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, exténdens manum, exémit gládium suum, et percútiens servum príncipis sacerdótum, amputávit aurículam ejus [3]déxteram.[3] Tunc ait illi Jesus; b. Convérte gládium tuum in locum suum: omnes enim, qui accéperint gládium, gládio períbunt. An putas, quia non possum rogáre Patrem meum, et exhibébit mihi modo plusquam duódecim legiónes angelórum? Quómodo ergo implebúntur Scriptúræ, quia sic opórtet fíeri? m. In illa hora dixit Jesus turbis; b. Tanquam ad latrónem exístis cum gládiis et fústibus comprehéndere me: quotídie apud vos sedébam docens in templo, et non me tenuístis. m. Hoc autem totum factum est, ut adimpleréntur scriptúræ prophetárum. Tunc discípuli omnes, relícto eo, fugérunt. At illi tenéntes Jesum, duxérunt ad Cáipham príncipem sacerdótum, ubi scribæ et senióres convénerant. Petrus autem sequebátur eum a longe, usque in átrium príncipis sacerdótum. Et ingréssus intro, sedébat cum minístris, ut vidéret finem. Príncipes autem sacerdótum et omne concílium quærébant falsum testimónium contra Jesum, ut eum morti tráderent: et non invenérunt, cum multi falsi testes accessíssent. Novíssime autem venérunt duo falsi testes et dixérunt; a. Hic dixit: Possum destrúere templum Dei, et post tríduum reædificáre illud. m. Et surgens princeps sacerdótum, ait illi; a. Nihil respóndes ad ea quæ isti advérsum te testificántur? m. Jesus autem tacébat. Et princeps sacerdótum ait illi; a. Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Fí-

[1] non habent 94. 97. 98. V.
[2] suos.—92. 97. 26.
[3] non habent 92. 97. 98. 4L. V.

lius Dei ✠vivi.[1] m. Dicit illi Jesus; b. Tu díxisti: verúmtamen dico vobis, ámodo videbítis Fílium Hóminis sedéntem a dextris virtútis Dei, et veniéntem in núbibus cœli. m. Tunc princeps sacerdótum scidit vestiménta sua, dicens; a. Blasphemávit: quid adhuc egémus téstibus? ecce nunc audístis blasphémiam: quid vobis vidétur? m. At illi respondéntes dixérunt; a. Reus est mortis. m. Tunc exspuérunt in fáciem ejus, et cólaphis eum cæderunt, álii autem palmas in fáciem ejus dedérunt, dicéntes; a. Prophetíza nobis, Christe; quis est qui te percússit? m. Petrus autem sedébat foris in átrio; et accéssit ad eum una ancílla, dicens; a. Et tu cum Jesu Galilæo eras. m. At ille negávit coram ómnibus, dicens; a. Néscio quid dicis. m. Exeúnte autem illo jánuam, vidit eum ália ancílla, et ait his qui erant ibi; a. Et hic cum Jesu Nazaréno erat. m. Et íterum negávit cum juraménto: Quia non novi hóminem. Et post pusíllum accessérunt qui ibi stabant, et dixérunt Petro; a. Vere et tu ex illis es: nam et loquéla tua maniféstum te facit. m. Tunc cœpit detestári et juráre, quia non novísset hóminem. Et contínuo gallas cantávit. Et recordátus est Petrus verbi Jesu, quod díxerat: Prius quam gallus cantet, ter me negábis. Et egréssus foras, flevit amáre. Mane autem facto, consílium iniérunt omnes príncipes sacerdótum et senióres pópuli advérsus Jesum, ut eum morti tráderent. Et vinctum adduxérunt eum, et tradidérunt Póntio Piláto præsidi. Tunc videns Judas, qui eum trádidit, quod damnátus esset, pœniténtia ductus rétulit trigínta argénteos princípibus sacerdótum, et senióribus pópuli, dicens; a. Peccávi, tradens sánguinem justum. m. At illi dixérunt; a. Quid ad nos? tu víderis. m. Et projéctis argénteis in templo, recéssit: et ábiens láqueo se suspéndit. Príncipes autem sacerdótum, accéptis argénteis, dixérunt; a. Non licet eos míttere in córbanam: quia prétium sánguinis est. m. Consílio autem ínito, emérunt ex eis agrum fíguli, in sepultúram peregrinórum. Propter hoc vocátus est ager ille, Acheldemach, hoc est, ager sánguinis, usque in hodiérnum diem. Tunc implétum est quod dictum est per Hieremíam prophétam, dicéntem: Et accepérunt trigínta argénteos, prétium appreciáti, quem appreciavérunt a fíliis Israel: et dedérunt eos in agrum fíguli, sicut constítuit mihi Dóminus. Jesus autem stetit ante præsidem et interrogávit eum præses, dicens; a. Tu es Rex Judæórum? m. Dixit illi Jesus: b. Tu dicis. m. Et cum accusarétur a princípibus sacerdótum et senióribus, nihil respóndit. Tunc dicit illi Pilátus; a. Non audis quanta advérsum te dicunt testimónia? m. Et non respóndit ei ad ullum verbum, ita ut mirarétur præses veheménter. Per diem autem solémnem consuéverat præses dimíttere pópulo unum vinctum, quem voluíssent. Habébat autem tunc unum vinctum insígnem, qui dicebátur Barrábas, qui propter homicídium missus fúerat in cárcerem. Congregátis ergo illis, dixit Pilátus; a. Quem vultis dimíttam vobis: Barrábam, an Jesum qui dícitur Christus? m. Sciébat enim quod per invídiam tradidíssent eum. Sedénte autem illo pro tribunáli, misit ad eum uxor ejus, dicens; a. Nihil tibi et justo illi: multa enim passa sum hódie per visum propter eum. m. Príncipes autem sacerdótum et senióres persuasérunt pópulis ut péterent Barrábam, Jesum vero pérderent. Respóndens autem præses, ait illis; a. Quem vultis vobis de duóbus di-

[1] non habent 92. 97. 98. V.

mítti? m. At illi dixérunt; a. Barrábam. m. Dicit illis Pilátus; a. Quid ígitur fáciam de Jesu, qui dícitur Christus? m. Dicunt omnes; a. Crucifigátur. m. Ait illis præses; a. Quid enim mali fecit? m. At illi magis clamábant dicéntes; a. Crucifigátur. m. Videns autem Pilátus quia nihil profíceret, sed magis tumúltus fíeret: accépta aqua, lavit manus suas coram pópulo, dicens; a. Innocens ego sum a sánguine justi hujus: vos vidéritis. m. Et respóndens univérsus pópulus, dixit; a. Sanguis ejus super nos et super fílios nostros. Tunc dimísit illis Barrábam: Jesum autem flagellátum trádidit eis ut crucifigerétur. Tunc mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem: et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei, et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus et arúndinem in déxtera ejus. Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes; a. Ave rex Judæórum. m. Et exspuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus. Et postquam illusérunt ei, exuérunt eum chlámyde, et induérunt eum vestiméntis ejus, et duxérunt eum ut crucifígerent. Exeúntes autem, invenérunt hóminem Cyrenæum, nomine Simónem: hunc angariavérunt ut tólleret crucem ejus. Et venérunt in locum qui dícitur Gólgota, quod est Calváriæ locus. Et dedérunt ei vinum bíbere cum felle mixtum. Et cum gustásset, nóluit bíbere. Postquam autem crucifixérunt eum, divisérunt vestiménta ejus, sortem mitténtes: ut implerétur quod dictum est per Prophétam dicéntem: Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem. Et sedéntes servábant eum. Et imposuérunt super caput ejus causam ipsíus scriptam: Hic est Jesus[1] Rex Judæórum. Tunc crucifíxi sunt cum eo duo latrónes: unus a dextris et unus a sinístris. Prætereúntes autem blasphemábant eum, movéntes cápita sua et dicéntes; a. Vah qui déstruis templum Dei, et in tríduo illud reædíficas: salva temetípsum: si fílius Dei es, descénde de cruce. m. Simíliter et príncipes sacerdótum illudéntes[2] cum scribis et senióribus dicébant; a. Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere: si rex Israel est, descéndat nunc de cruce, et crédimus ei: confídit in Deo: líberet eum nunc, si vult: dixit enim: Quia fílius Dei sum. m. Id ipsum autem et latrónes, qui crucifíxi erant cum eo, improperábant ei. A sexta autem hora ténebræ factæ sunt[3] super univérsam terram[3] usque in horam nonam. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magna, dicens; b. Heloy, Heloy, lama zabatháni; m. hoc est: b. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? m. Quidam autem illic stantes et audiéntes, dicébant; a. Helíam vocat iste. m. Et contínuo currens unus ex eis, accéptam spóngiam implévit acéto et impósuit arúndini, et dabat ei bíbere. Cæteri vero dicébant; a. Sine, videámus an véniet Helías líberans eum. m. Jesus autem íterum clamans voce magna, emísit spíritum.

Hic inclinet se diaconus vel prosternet versus orientem, et dicat privatim Pater noster, Ave Maria, et In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum: redemísti me, Dómine Deus veritátis.[4] Deinde surgat, et postea residuum Passionis legat.[4]

[1] Nazarenus.—92. 98. 4L. 57.
[2] ei.—92. 98 4L. 13. eum.—57.
[3] non habet 26.
[4] non habent 92. 94. 97. 98.

m. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deórsum: et terra mota est, et petræ scissæ sunt. Et monuménta apérta sunt: et multa córpora sanctórum qui dormíerant, surrexérunt. Et exeúntes de monuméntis post resurrectiónem ejus, venérunt in sanctam civitátem et apparuérunt multis. Centúrio autem et qui cum eo erant custodiéntes Jesum, viso terræmótu et his quæ fiébant, timuérunt valde, dicéntes; a. Vere Fílius Dei erat iste. m. Erant autem ibi mulíeres multæ a longe, quæ secútæ erant Jesum a Galiláea, ministrántes ei: inter quas erat María Magdaléne et María Jacóbi et Joseph mater et mater filiórum Zebedæi. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathía, nómine Joseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Hic accéssit ad Pilátum et pétiit corpus Jesu. Tunc Pilátus jussit reddi corpus. Et accépto córpore, Joseph invólvit illud in síndone munda. Et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra. Et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit. Erant autem ibi María Magdaléne et altera María, sedéntes contra sepúlchrum.

Evangelia vero in fine omnium Passionum, etiam in die Parasceves, alta voce legantur, more duplicis festi. Omnes autem Passiones supradicto modo legantur secundum usum Sarum. Tamen in die Parasceve non dicitur Dóminus vobíscum, et sine titulo incipiatur Evangelium.

ALTERA autem die, quæ est post Parascéven, convenérunt príncipes sacerdótum et Pharisæi ad Pilátum, dicentes; Dómine, recordáti sumus, quia sedúctor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resúrgam. Jube ergo custodíri sepúlchrum usque in diem tértium: ne forte véniant discípuli ejus et furéntur eum, et dicant plebi: Surréxit a mórtuis: et erit novíssimus error pejor prióre. Ait illis Pilátus; Habétis custódiam; ite, custodíte sicut scitis. Illi autem abeúntes, muniérunt sepúlchrum, signántes lápidem, cum custódibus.

Offertorium. Ps. 68 Impropérium expectávit cor meum et misériam: et sustínui qui simul contristarétur et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni: et dedérunt in escam meam fel: et in siti mea potavérunt me acéto.

Secreta.

TIBI, Deus Pater omnípotens, immaculáti Agni Paschále offérimus holocáustum; cujus nos sánguine ab exterminatóris vastatióne salvátos ad terram quæsumus tuæ repromissiónis indúcas. Per eúndem.

Præfatio quotidiana.

Communio. Matth. 26 Pater, si non potest hic calix transíre nisi bibam illum: fiat volúntas tua.

Postcommunio.

FIDÉLES tuos, quæsumus, Dómine, benígnus inténde: ut suæ redemptiónis inítia recoléntes, quorum múnere sunt refécti, eórum proficiant increméntis. Per.

Feria secunda post Dominicam in Ramis Palmarum.

Ad Missam. Officium. Ps. 34

AUDICA, Dómine, nocéntes me, expúgna impugnántes me; apprehénde arma et scutum: et exsúrge in adjutórium meum: Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus. Effúnde frámeam: et conclúde advérsus eos qui persequúntur me.

Non dicitur [1]ulterius.[1]

[1] Gloria Patri.—15. 26. 57.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in tot advérsis ex nostra infirmitáte defícimus: intercedénte unigéniti Fílii tui passióne respirémus. Qui tecum.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 50

IN diébus illis, Dixit Esaías; Dóminus Deus meus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco: retrórsum non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus: ídeo pósui fáciem meam ut petram duríssimam, et scio quóniam non confúndar. Juxta est qui justíficat me, quis contradícet mihi? stemus simul. Quis est adversárius meus? accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condémnet me? Ecce omnes quasi vestiméntum conteréntur, tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Deum, áudiens vocem servi sui? quis ambulávit in ténebris, et non est lumen ei? speret in nómine Dómini, et innitátur super Dóminum Deum suum.

Gradale. Ps. 34 Exsúrge, Dómine, et inténde judício meo, Deus meus et Dóminus meus in causam meam.

℣. Effúnde frámeam: et conclúde advérsus eos qui me persequúntur.

Tractus. Dómine, non secúndum. ut supra Feria sexta post Oculi.

Secundum Johannem. c. 12

ANTE sex dies Paschæ venit Jesus Bethániam, ubi fúerat Lázarus mórtuus quem suscitávit Jesus. Fecérunt autem ei cœnam ibi: et Martha ministrábat, Lázarus vero unus erat ex discumbéntibus cum eo. María ergo accépit libram unguénti nardi pístici pretiósi, et unxit pedes Jesu, et extérsit capíllis suis pedes ejus: et domus impléta est ex odóre unguénti. Dixit ergo unus ex discípulis ejus, Judas Scarióthis, qui erat eum traditúrus; Quare hoc unguéntum non [1]véniit[1] tréntis denáriis, et datum est egénis? Dixit autem hoc, non quia de egénis pertinébat ad eum, sed quia fur erat, et lóculos habens ea quæ mittebántur portábat. Dixit ergo Jesus: Sínite illam ut in diem sepultúræ meæ servet illud. Páuperes enim semper habébitis vobíscum, me autem non semper habébitis. Cognóvit ergo turba multa ex Judæis quia illic [2]est;[2] et venérunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lázarum vidérent, quem suscitávit a mórtuis. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum ut et Lázarum interfícerent; quia multi propter illum abíbant ex Judæis et credébant in Jesum. In crastínum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cum audíssent quia venit Jesus Hierosólymam, accepérunt ramos palmárum, et processérunt óbviam ei, et clamábant; Hosánna, benedíctus qui venit in nómine Dómini, Rex Israel. Et invénit Jesus aséllum, et sedit super eum, sicut scriptum est; Noli timére fília Sion: ecce rex tuus venit tibi, sedens super pullum ásinæ. Hæc non cognovérunt discípuli ejus primum: sed quando glorificátus est Jesus, tunc recordáti sunt quia hæc erant scripta de eo: et hæc fecérunt ei. Testimónium ergo perhibébat turba quæ erat cum eo quando Lázarum vocávit de monuménto, et suscitávit eum a mórtuis. Proptérea et óbviam venit ei turba: quia audiérunt eum fecísse hoc signum. Pharisæi ergo dixérunt ad semetípsos; Vidétis quia nihil profícimus? ecce mundus totus post eum ábiit. Erant

[1] venditur.—98. 4L. 57.
[2] esset.—98. 4L. 15. 57.

autem quidam Gentíles ex his qui ascénderant ut adorárent in die festo. Hi ergo accessérunt ad Philíppum, qui erat a Bethsáida Galilǽæ, et rogábant eum, dicéntes; Dómine, vólumus Jesum vidére. Venit Philíppus, et dixit Andréæ: Andréas rursum et Philíppus dixérunt Jesu. Jesus autem respóndit eis, dicens; Venit hora, ut clarificétur Fílius Hóminis. Amen, amen, dico vobis, nisi granum fruménti, cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Nunc ánima mea turbáta est. Et quid dicam? Pater, salvífica me ex hac hora. Sed proptérea veni in horam hanc. Pater, clarífica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo dicens; Et clarificávi, et íterum clarificábo. Turba ergo, quæ stabat et audíerat, dicébat tonítruum factum esse. Alii autem dicébant; Angelus ei locútus est. Respóndit Jesus, et dixit; Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et ego, si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum. Hoc autem dicébat, significans qua morte esset moritúrus. Respóndit ei turba; Nos audívimus ex lege quia Christus manet in ætérnum: et quómodo tu dicis: Opórtet exaltári Fílium Hóminis? [1]Quis est iste Fílius Hóminis? Dixit ergo eis Jesus; Adhuc módicum, lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis, ut non ténebræ vos comprehéndant: et qui ámbulat in ténebris, nescit quo vadat. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Hæc locútus est Jesus: et ábiit, et abscóndit se ab eis.

Offertortum. Ps. 142 Eripe me de inimícis meis: Dómine, ad te confúgi; doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

℣. Exáudi me in tua justítia: et ne intres in judícium cum servo tuo, Dómine.

Secreta.

IPSA majestáti tuæ, Dómine, fidéles pópulos comméndet oblátio: quæ per Fílium tuum Dóminum nostrum Jesum Christum reconciliávit inimícos. Qui tecum vivit.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 34 Erubéscant et revereántur simul qui gratulántur malis meis: induántur pudóre et reveréntia, qui malígna loquúntur advérsum me.

Postcommunio.

SATIÁTI múnere salutári tuam, Dómine, misericórdiam deprecámur: ut hoc eódem sacraménto quo nos temporáliter végetas, effícias vitæ ætérnæ partícipes. Per Dóminum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

ADJUVA nos, Deus salutáris noster: et ad benefícia recolénda, quibus nos instauráre dignátus es, tríbue veníre gaudéntes. Per Dóminum.

[1] et.—13. 26. 57.

Feria tertia post Dominicam in Ramis Palmarum.

Ad Missam. Officium. Gal. 6

Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus.

Ps. 66 Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri.

Non dicitur [1]ulterius.[1]

Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ passiónis sacraménta perágere: ut indulgéntiam percípere mereámur. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 11

In diébus illis, Dixit Hieremías; Dómine, demonstrásti mihi, et ego cognóvi: tu ostendísti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad víctimam: et non cognóvi; quia cogitavérunt super me consília, dicéntes: [2]Mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium, et nomen ejus non memorétur ámplius. Tu autem, Dómine Sábaoth, qui júdicas juste et probas renes et corda, vídeam quæso ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam; Dómine Deus meus.

Gradale. Ps. 34 Ego autem dum mihi molésti essent induébam me cilício: et humiliábam in jejúnio ánimam meam, et orátio mea in sinu meo convertétur.

℣. Júdica, Dómine, nocéntes me; expúgna impugnántes me; apprehénde arma et scutum, et exsúrge in adjutórium mihi.

Sequatur Passio hunc in modum,

m. Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Marcum. c. 14 et 15

In illo témpore, Erat Pascha et Azyma post bíduum: et quærébant summi sacerdótes et scribæ quómodo Jesum dolo tenérent et occíderent. Dicébant autem; a. Non in die festo. m. Ne forte tumúltus fíeret in pópulo. Et cum esset Jesus Bethániæ in domo Simónis leprósi, et recúmberet: venit múlier habens alabástrum unguénti nardi spicáti pretiósi, et fracto alabástro effúdit super caput ejus. Erant autem quidam indígne feréntes intra semetípsos, et dicéntes; a. Ut quid perdítio ista unguénti facta est? Póterat enim unguéntum istud venúndari plus quam trecéntis denáriis, et dari paupéribus. m. Et fremébant in eam. Jesus autem dixit; b. Sínite eam; quid illi molésti estis? Bonum opus operáta est in me. Semper enim páuperes habétis vobíscum: et cum voluéritis, potéstis illis benefácere: me autem non semper habébitis. Quod habuit hæc, fecit: prævénit úngere corpus meum in sepultúram. Amen dico vobis: Ubicúmque prædicátum fúerit Evangélium istud in univérso mundo, et quod fecit hæc narrábitur in memóriam ejus. m. Et Judas Scarióthis, unus de duódecim, ábiit ad summos sacerdótes, ut próderet eum illis. Qui audiéntes gavísi sunt et promisérunt ei pecúniam se datúros. Et quærébat quómodo illum opportúne tráderet. Et primo die Azymórum quando Pascha immolábant, dicunt ei discípuli; a. Quo vis eámus et parémus tibi ut man-

[1] Gloria Patri

[2] Venite—92. 97. 98.

dúces Pascha? m. Et [1]misit[1] duos ex discípulis suis, et dixit eis; b. Ite in civitátem, et occúrret vobis homo lagénam aquæ bájulans; sequímini eum: et quocúmque introíerit, dícite dómino domus, quia magíster dicit: Ubi est reféctio mea, ubi Pascha cum discípulis meis mandúcem? Et ipse vobis demonstrábit cœnáculum grande stratum: et illic paráte nobis. m. Et abiérunt discípuli ejus, et venérunt in civitátem, et invenérunt sicut díxerat illis; et paravérunt Pascha. Véspere autem facto, venit cum duódecim. Et discumbéntibus eis et manducántibus, ait Jesus; b. Amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, qui mandúcat mecum. m. At illi cœpérunt contristári, et dícere ei singulátim; a. Numquid ego? m. Qui ait illis; b. Unus ex duódecim, qui intíngit mecum manum in catíno. Et Fílius quidem Hóminis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem hómini illi, per quem Fílius Hóminis tradétur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille. m. Et manducántibus illis, accépit Jesus panem: et benedícens fregit, et dedit eis, et ait; b. Súmite, hoc est corpus meum. m. Et accépto cálice, grátias agens dedit eis: et bibérunt ex illo omnes. Et ait illis; b. Hic est sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effundétur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de genímine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. m. Et hymno dicto exiérunt in montem Olivárum. Et ait eis Jesus; b. Omnes scandalizabímini in nocte ista: quia scriptum est: Percútiam pastórem, et dispergéntur oves. Sed postquam resurréxero, præcédam vos in Galilæam. m. Petrus autem ait illi; a. Et si omnes scandalizáti fúerint: sed non ego. m. Et ait illi Jesus; b. Amen dico tibi, quia tu hódie in nocte hac, priúsquam gallus bis vocem déderit, ter me es negatúrus. m. At ille ámplius loquebátur; a. Et si oportúerit me simul cómmori tibi, non te negábo. m. Simíliter autem et omnes dicébant. Et véniunt in prædium, cui nomen Gethsémani. Et ait discípulis suis; b. Sedéte hic donec orem. m. Et [2]assúmit[2] Petrum et Jacóbum et Johánnem secum: et cœpit pavére et tædére. Et ait illis; b. Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic, et vigiláte. m. Et cum processísset páululum, prócidit super terram: et orábat, ut si fíeri posset, transíret ab eo hora: et dixit; b. Abba Pater, ómnia tibi possibília sunt, transfer cálicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. m. Et venit, et invénit eos dormiéntes. Et ait Petro; b. Simon, dormis? non potuísti una hora vigiláre[3]? Vigiláte et oráte, ut non intrétis in tentatiónem. Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma. m. Et íterum ábiens orávit, eúndem sermónem dicens. Et revérsus dénuo, invénit eos dormiéntes, (erant enim óculi eórum graváti), et ignorábant quid respondérent ei. Et venit tértio, et ait illis; b. Dormíte jam, et requiéscite. Súfficit: venit hora: ecce tradétur Fílius Hóminis in manus peccatórum. Súrgite, eámus: ecce qui me tradet, prope est. m. Et adhuc eo loquénte, venit Judas Scarióth unus ex duódecim, et cum eo turba multa, cum gládiis et lignis, missi a summis sacerdótibus et senióribus et scribis. Déderat autem tráditor [4]eis[4] signum dicens; a. Quemcúmque osculátus fúero, ip-

[1] mittit—92. 97. 98. V.
[2] assumpsit—97. 15. 26.
[3] mecum.—98. 4L. 57.
[4] ejus.—92. 98. 57. V.

se est; tenéte eum, et dúcite caute. m. Et cum venísset, statim accédens ad eum, ait; a. [1]Rabbi. m. Et osculátus est eum. At illi manus injecérunt in Jesum, et tenuérunt eum. Unus autem de circumstántibus edúcens gládium, percússit servum summi sacerdótis, et amputávit illi aurículam. Et respóndens Jesus, ait illis[2]; b. Tamquam ad latrónem exístis cum gládiis et lignis comprehéndere me? Quotídie eram apud vos in templo docens, et non me tenuístis. Sed ut impleántur Scriptúræ. m. Tunc discípuli ejus relinquéntes eum, omnes fugérunt. Adoléscens autem quidam sequebátur eum amíctus síndone super nudo: et tenuérunt eum. At ille, rejécta síndone, nudus profúgit ab eis. Et adduxérunt Jesum ad summum sacerdótem: et convenérunt omnes sacerdótes et scribæ et senióres. Petrus autem a longe secútus est eum usque intro in átrium summi sacerdótis: et sedébat cum minístris et calefaciébat se ad ignem. Summi vero sacerdótes et omne concílium quærébant advérsus Jesum testimónium, ut eum morti tráderent; nec inveniébant. Multi enim falsum testimónium dicébant advérsus eum: et conveniéntia testimónia [3]illórum[3] non erant. Et quidam surgéntes falsum testimónium ferébant advérsus eum, dicéntes; a. Quóniam nos audívimus eum dicéntem; Ego dissólvam templum hoc manu factum, et post tríduum áliud non manu factum ædificábo. m. Et non erat convéniens testimónium illórum. [4]Exsúrgens autem[4] summus sacérdos in médium interrogávit Jesum, dicens; a. Non respóndes quicquam ad ea quæ tibi objiciúntur ab his? m. Ille autem tacébat, et nihil respóndit. Rursum summus sacérdos interrogábat eum, et dixit ei; a. Tu es Christus fílius Dei benedícti? m. Jesus autem dixit illi; b. Ego sum: et vidébitis Fílium Hóminis sedéntem a dextris virtútis Dei, et veniéntem cum núbibus cœli. m. Summus autem sacérdos scindens vestiménta sua ait; a. Quid adhuc desiderámus testes? Audístis blasphémiam: quid vobis vidétur? m. Qui omnes condemnavérunt eum esse reum mortis. Et cœpérunt quidam conspúere in eum, et veláre fáciem ejus, et cólaphis eum cædere, et dícere ei; a. Prophetíza: m. Et minístri álapis eum cædébant. Et cum esset Petrus in átrio [5]seórsum,[5] venit una ex ancíllis summi sacerdótis: et cum vidísset Petrum calefaciéntem se, aspíciens illum, ait; a. Et tu cum Jesu Nazaréno eras. m. At ille negávit, dicens; a. Neque scio, neque novi quid dicas. m. Et éxiit foras ante átrium, et gallus cantávit. Rursus autem cum vidísset illum ália ancílla, cœpit dícere circumstántibus: Quia hic ex illis est. At ille íterum negávit. Et post pusíllum rursus qui astábant dicébant Petro: a. Vere ex illis es: nam et Galilæus es. m. Ille autem cœpit anathematizáre et juráre: quia néscio hóminem istum, quem dícitis. Et statim íterum gallus cantávit. Et recordátus est Petrus verbi, quod díxerat ei Jesus: Prius quam gallus cantet bis, ter me negábis. Et cœpit flére. Et conféstim mane consílium faciéntes summi sacerdótes cum senióribus et scribis et univérso concílio, vinciéntes Jesum, duxérunt et tradidérunt Piláto. Et interrogávit eum Pilátus;

[1] Ave.—34. 54R 55P.
[2] mitte gladium tuum in vaginam. In illa hora dixit Jesus turbis.—94.
[3] non habent 92. 97. 98. V.
[4] et exsurgens.—92. 98. 4L. 57. V.
[5] deorsum.—92. 97. 98. V.

a. Tu es rex Judæórum? m. At ille respóndens, ait illi; b. Tu dicis. m. Et accusábant eum summi sacerdótes in multis. Pilátus autem rursum interrogávit eum, dicens; a. Non respóndes quicquam? vide in quantis te accúsant. m. Jesus autem ámplius nihil respóndit, ita ut mirarétur Pilátus. Per diem autem festum solébat dimíttere illis unum ex vinctis, quemcúmque petíssent. Erat autem qui dicebátur Barrábas, qui cum seditiósis erat vinctus, qui in seditióne fécerat homicídium. Et cum ascendísset turba, cœpit rogáre, sicut semper faciébat illis. Pilátus autem respóndit eis, et dixit; a. Vultis dimíttam vobis regem Judæórum? m. Sciébat enim quod per invídiam tradidíssent eum summi sacerdótes. Pontífices autem concitavérunt turbam, ut magis Barrabam dimítteret eis. Pilátus autem íterum respóndens, ait illis; a. Quid ergo vultis fáciam regi Judæórum? m. At illi íterum clamavérunt; a. Crucifíge eum. m. Pilátus vero dicébat eis; a. Quid enim mali fecit? m. At illi magis clamábant; a. Crucifíge eum. m. Pilátus autem volens pópulo satisfácere, dimísit illis Barrábam, et trádidit [1]eis[1] Jesum flagéllis cæsum, ut crucifigerétur. Mílites autem duxérunt eum [2]intro[2] in átrium prætórii, et cónvocant totam cohórtem, et índuunt eum púrpura, et impónunt ei plecténtes spíneam corónam. Et cœpérunt salutáre eum; [3]a. Ave, rex Judæórum. m. Et percutiébant caput ejus arúndine: et conspuébant eum, et ponéntes génua, adorábant eum. Et postquam illusérunt ei, exuérunt illum púrpura, et induérunt eum vestiméntis suis: et edúcunt illum ut crucifígerent eum. Et angariavérunt prætereúntem quémpiam Simónem Cyrenæum veniéntem de villa, patrem Alexándri et Ruffi, ut tólleret crucem ejus. Et perdúcunt illum in Gólgotha locum: quod est interpretátum Calváriæ locus. Et dabant ei bíbere myrrhátum vinum: et non accépit. Et crucifigéntes eum, divisérunt vestiménta ejus, mitténtes sortem super eis, quis quid tólleret. Erat autem hora tértia: et crucifixérunt eum. Et erat títulus causæ ejus inscríptus: Rex Judæórum. Et cum eo crucifígunt duos latrónes: unum a dextris et álium a sinístris ejus. Et adimpléta est scriptúra quæ dicit; Et cum iníquis reputátus est. Et prætereúntes blasphemábant eum, movéntes cápita sua, et dicéntes; a. Vah, qui déstruis templum Dei, et in tribus diébus reædíficas [4]illud;[4] salvum fac temetípsum, descéndens de cruce. m. Simíliter et summi sacerdótes illudéntes, ad altérutrum cum scribis dicébant; a. Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere. Christus rex Israel descéndat nunc de cruce, ut videámus et credámus. m. Et qui cum eo crucifíxi erant, conviciabántur ei. Et facta hora sexta, ténebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. Et hora nona exclamávit Jesus voce magna, dicens; b. Heloy, Heloy, lamazabathani? m. Quod est interpretátum; b. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? m. Et quidam de circumstántibus audiéntes, dicébant; a. Ecce Helíam vocat. m. Currens autem unus, et implens spóngiam acéto, circumponénsque cálamo, potum dabat ei, dicens; a. Sínite, videámus si véniat Helías ad deponéndum eum. m. Jesus autem emíssa voce magna exspirávit.

[1] non habent 92. 97. 98. 4L. V.
[2] non habent 97. 15. 26.
[3] dicentes—4L. 13. 15. 57.
[4] non habent 92. 97. 98. V.

[1]Hic fiat genuflexio, dicendo,[1] Pater noster, Ave María, In manus tuas.

m. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deórsum. Videns autem Centúrio, qui ex advérso stabat, quia sic clamans exspirásset, ait; a. Vere hic homo fílius Dei erat. m. Erant autem et mulíeres de longe aspiciéntes: inter quas erat María Magdaléne et María Jacóbi minóris et Joseph mater et Sálome: et cum esset in Galilæa, sequebántur eum et ministrábant ei, et áliæ multæ quæ simul cum eo ascénderant Hierosólymam.

Evangelium.

ET cum jam sero factum esset (quia erat Parascéve, quod est ante sábbatum) venit Joseph ab Arimathía nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur si jam obiísset. Et accersíto centurióne, interrogávit eum si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus síndonem et depónens eum, invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti.

Offertorium. Ps. 139 Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis éripe me, Dómine.

℣. Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Secreta.

DICATÆ tibi plebis, Domine, quæsumus, oblationes sanctifica: ut a terrenæ vetustatis conversatione mundati, cœlestis vitæ profectibus innovemur. Per Dominum.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 68 Advérsum me exercebántur qui sedébant in porta: et in me psallébant qui bibébant vinum: ego vero oratiónem meam ad te, Dómine: tempus benepláciti tui, Deus, in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Postcommunio.

REPLETI, Domine, sacri muneris gratia, supplices exoramus: ut quæ gustu corporeo dulci veneratione contigimus: dulciora mentibus sentiamus. Per Dominum.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

TUA nos misericórdia, Deus, et ab omni surreptióne vetustátis expúrget et capáces sanctæ novitátis effíciat. Per.

Feria quarta post Dominicam in Ramis Palmarum.

Ad Missam. Officium. Phil. 2

IN nómine Dómini omne genu flectátur: cœléstium, terréstrium et infernórum: quia Dóminus factus est obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis: ideo Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Ps. 101 Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat.[2]

Sequatur Oratio sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui nostris excéssibus incessánter afflígimur; per Unigéniti tui passiónem liberémur. Qui tecum.

[1] hanc rubricam non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non dicitur Gloria Patri.—15. 26.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 62 et 63

HÆC dicit Dóminus Deus; Dícite fíliæ Sion: Ecce salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram illo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus retributiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini annuntiábo, super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 68 Ne avértas fáciem tuam a púero tuo: quóniam tríbulor velóciter exáudi me.

℣. Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam; infíxus sum in limo profúndi: et non est substántia.

Sequatur Dóminus vobíscum, Orémus et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEUS, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti: ut inimíci a nobis expélleres potestátem; concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis ejus [1]grátiam[1] consequámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

Hic dicuntur memoriæ consuetæ.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 53

IN diébus illis, Dixit Esaías; Dómine, quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: et non est spécies ei neque decor: et vídimus eum et non erat aspéctus, et desiderávimus eum despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et Dóminus pósuit in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os sum. De angústia et de judício sublevátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et [2]divítem[2] pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus

[1] gloriam.—94.
[2] divites.—13. 15. 26.

dirigétur. Pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit, ut non perírent, dicit Dóminus omnípotens.

Chorus alternatim dicat Tractum, ita quod dum Versus canitur, chorus ex illa parte stare tenetur; alia parte chori interim sedente. Et sic percantetur totus Tractus a choro, quandocunque dicitur Tractus a choro in stallis a Septuagesima usque ad Pascha.

Tractus. Ps. 101 Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat.

℣. Ne avértas fáciem tuam a me: in quacúnque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

℣. In quacúnque die invocávero te: velóciter exáudi me.

℣. Quia defecérunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut in frixório confríxa sunt.

℣. Percússus sum sicut fœnum et áruit cor meum: quia oblítus sum manducáre panem meum.

℣. Tu exsúrgens, Dómine, miseréberis Sion: quia venit tempus miseréndi ejus.

Sequatur Passio hunc in modum,

m. Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo.

Passio Domini nostri Jesu Christi: Secundum Lucam. c. 22 et 23

In illo témpore, Appropinquábat autem dies festus Azymórum, qui dícitur Pascha: et quærébant príncipes sacerdótum et scribæ, quómodo Jesum interfícerent: timébant vero plebem. Intrávit autem Sátanas in Judam, qui cognominabátur Scarioth, unum de duódecim. Et ábiit, et locútus est cum princípibus sacerdótum et magistrátibus, quemádmodum illum tráderet eis. Et gavísi sunt, et pacti sunt pecúniam illi dare. Et spopóndit. Et quærébat opportunitátem ut tráderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymórum, in qua necésse erat occídi pascha. Et misit Petrum et Johánnem, dicens; b. Euntes paráte nobis pascha, ut manducémus. m. At illi dixérunt; a. Ubi vis parémus? m. Et dixit ad eos; b. Ecce introeúntibus vobis in civitátem, occúrret vobis homo [1]ámphoram aquæ portans: sequímini eum in domum in quam intrat, et dicétis patrifamílias domus: Dicit tibi Magíster: Ubi est diversórium, ubi pascha cum discípulis meis mandúcem? Et ipse vobis osténdet cœnáculum magnum stratum, et ibi paráte. m. Eúntes autem invenérunt sicut dixit illis, et paravérunt pascha. Et cum facta esset hora, discúbuit, et duódecim Apóstoli cum eo. Et ait illis; b. Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. m. Et accépto cálice, grátias egit et dixit; b. Accípite et divídite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. m. Et accépto pane, grátias egit et fregit et dedit eis, dicens; b. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem. m. Similiter et cálicem, postquam cœnávit, dicens; b. Hic est calix novum testaméntum in sánguine meo, qui pro vobis fundétur. Verúmtamen ecce manus tradéntis me mecum est in mensa. Et quidem Fílius Hóminis, secúndum quod definítum est, vadit: verúmtamen væ hómini illi, per quem tradétur. m. Et ipsi cœpérunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc factúrus esset. Facta est autem et conténtio inter eos, quis eórum videré-

[1] quidam.—4L. 13. 26. V.

tur esse major. Dixit autem eis; b. Reges Géntium dominántur eórum: et qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Nam quis major est, qui recúmbit an qui minístrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum sicut qui minístrat. Vos autem estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo: et sedeátis super thronos[1] judicántes duódecim tribus Israel. m. Ait autem Dóminus Simóni; b. Simon, ecce Sáthanas expetívit vos ut cribráret sicut tríticum. Ego autem rogávi pro te ut non defíciat fides tua: et tu aliquándo convérsus, confírma fratres tuos. m. Qui dixit ei; a. Dómine, tecum parátus sum et in cárcerem [2]et in mortem[2] ire. m. Et ille dixit; b. Dico tibi, Petre, non cantábit hódie gallus, donec ter ábneges nosse me. m. Et dixit eis; b. Quando misi vos sine sácculo et pera et calceaméntis, numquid áliquid défuit vobis? m. At illi dixérunt; a. Nihil. m. Dixit ergo eis; b. Sed nunc qui habet sácculum, tollat simíliter et peram: et qui non habet, vendat túnicam suam, et emat gládium. Dico enim vobis, quóniam adhuc hoc quod scriptum est opórtet impléri in me: Et [3]cum iníquis deputátus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. m. At illi dixérunt; a. Dómine, ecce gládii duo hic. m. At ille dixit eis; b. Satis est. m. Et egréssus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et cum pervenísset ad locum, dixit illis; b. Oráte ne intrétis in tentatiónem. m. Et ipse avúlsus est ab eis quantum jactus est lápidis: et pósitis génibus orábat, dicens; b. Pater, si vis, transfer cálicem istum a me: verúmtamen non mea volúntas sed tua fiat. m. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agonía, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et cum surexísset ab oratióne, et venísset ad discípulos suos, invénit eos dormiéntes præ tristítia. Et ait illis; b. Quid dormítis? súrgite, oráte, ne intrétis in tentatiónem. m. Adhuc eo loquénte, ecce turba, et qui vocabátur Judas, unus de duódecim, antecedébat eos, et appropinquávit Jesu ut oscularétur eum. Jesus autem dixit illi; b. Juda, ósculo Fílium Hóminis tradis? m. Vidéntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futúrum erat, dixérunt ei; a. Dómine, si percútimus in gládio? m. Et percússit unus ex illis servum príncipis sacerdótum, et amputávit aurículam ejus déxteram. Respóndens autem Jesus, ait; b. Sínite usque huc. m. Et cum tetigísset aurículam ejus, sanávit eum. Dixit autem Jesus ad eos qui vénerant ad se, príncipes sacerdótum et magistrátus templi et senióres; b. Quasi ad latrónem exístis cum gládiis et fústibus, cum quotídie vobíscum fúerim in templo et non extendístis manus in me? sed hæc est hora vestra, et potéstas tenebrárum. m. Comprehendéntes autem eum, duxérunt ad domum príncipis sacerdótum: Petrus vero sequebátur eum a longe. Accénso autem igne in médio átrii, et circumsedéntibus illis, erat Petrus in médio eórum. Quem cum vidísset ancílla quædam sedéntem ad lumen, et eum fuísset intúita, dixit; a. Et hic cum illo erat. m. At ille

[1] duodecim.—4L. 57.
[2] non habet 98.
[3] quod.—98. 57.

negávit eum, dicens; a. Múlier, non novi illum. m. Et post pusíllum álius videns eum, dixit; a. Et tu de illis es. m. Petrus vero ait; a. O homo non sum. m. Et intervállo facto quasi horæ uníus, álius quidam affirmábat, dicens; a. Vere et hic cum illo erat: nam et Galilæus est m. Et ait Petrus; a. Homo, néscio quid dicis. m. Et contínuo adhuc eo loquénte cantávit gallus. Et convérsus Dóminus respéxit Petrum. Et recordátus est Petrus verbi Dómini sicut díxerat: Quia priúsquam gallus cantet, ter me negábis. Et egréssus foras Petrus, flevit amáre. Et viri,[1] qui tenébant [2]illum,[2] illudébant ei, cædéntes. Et velavérunt eum, et percutiébant fáciem ejus: et [3]interrogavérunt[3] eum, dicéntes; a. Prophetíza; quis est qui te percússit? m. Et ália multa blasphemántes dicébant in eum. Et ut factus est dies, convenérunt senióres plebis et príncipes sacerdótum et scribæ, et duxérunt illum in concílium suum, dicéntes; a. Si tu es Christus, dic nobis. m. Et ait illis; b. Si vobis díxero, non credétis mihi: Si autem et interrogávero, non respondébitis mihi, neque dimittétis. Ex hoc autem erit Fílius Hóminis sedens a dextris virtútis Dei. m. Dixérunt autem omnes; a. Tu ergo es Fílius Dei? m. Qui ait; b. Vos dícitis, quia ego sum. m. At illi dixérunt; a. Quid adhuc desiderámus testimónium? ipsi enim audívimus de ore ejus. m. Et surgens omnis multitúdo eórum, duxérunt illum ad Pilátum. Cœpérunt autem accusáre illum, dicéntes; a. Hunc invénimus subverténtem gentem nostram, et prohibéntem tribúta dari Cæsari, et dicéntem se Christum regem esse. m. Pilátus autem interrogávit eum, dicens; a. Tu es rex Judæórum? m. At ille respóndens ait; b. Tu dicis. m. Ait autem Pilátus ad príncipes sacerdótum et turbas; a. Nihil invénio causæ in hoc hómine. m. At illi invalescébant, dicéntes; a. Commovit pópulum docens per univérsam Judæam, incípiens a Galilæa usque huc. m. Pilátus autem áudiens Galilæam, interrogávit si homo Galilæus esset. Et ut cognóvit quod de Heródis potestáte esset, remísit eum ad Heródem, qui et ipse erat Hierosólymis illis diébus. Heródes autem viso Jesu, gavísus est valde: erat enim cúpiens ex multo témpore vidére eum, eo quod audíerat multa de eo, et sperábat signum áliquod vidére ab eo fíeri. Interrogábat autem illum multis sermónibus. At ipse nihil illi respondébat. Stabant autem príncipes sacerdótum et scribæ constánter accusántes eum. Sprevit autem illum Heródes cum exércitu suo: et illúsit indútum veste alba, et remísit ad Pilátum. Et facti sunt amíci Heródes et Pilátus in ipsa die: nam antea inimíci erant ad ínvicem. Pilátus autem convocátis princípibus sacerdótum et magistrátibus et plebe, dixit ad illos; a. Obtulístis mihi hunc hóminem, quasi averténtem pópulum, et ecce ego coram vobis intérrogans, nullam causam invénio in hómine isto ex his in quibus eum accusátis. Sed neque Heródes: nam remísi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendátum ergo illum dimíttam, m. Necésse autem habébat dimíttere eis per diem festum unum. Exclamávit autem simul univérsa turba, dicens; a. Tolle hunc, et dimítte nobis Barrábam. m. Qui erat propter seditiónem quandam factam in civitáte et homicídium missus in cárcerem. Iterum autem Pilátus locútus est ad eos,

[1] illi.—92. 98.
[2] Jesum.—92. 98. 57.
[3] interrogabant.—92. 98. 57. V.

volens dimíttere Jesum. At illi succlamábant, dicéntes; a. Crucifíge, crucifíge eum. m. Ille autem tértio dixit ad illos; a. Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invénio in eo: corrípiam ergo illum, et dimíttam. m. At illi instábant vócibus magnis postulántes ut crucifigerétur: et invalescébant voces eórum. Et Pilátus adjudicávit fíeri petitiónem eórum. Dimísit autem illis eum, qui propter homicídium et seditiónem missus fúerat in cárcerem, quem petébant; Jesum vero trádidit voluntáti eórum. Et cum dúcerent eum, apprehendérunt Simónem quendam Cyrenénsem veniéntem de villa: et imposuérunt illi crucem portáre post Jesum. Sequebátur autem illum multa turba pópuli et mulíerum, quæ plangébant et lamentabántur eum. Convérsus autem ad illas Jesus, dixit; b. Fíliæ Hierúsalem, nolíte flere super me, sed super vos ipsas flete et super fílios vestros. Quóniam ecce vénient dies in quibus dicent: Beátæ steriles, et ventres qui non genuérunt, et úbera quæ non lactavérunt. Tunc incípient dícere móntibus: Cádite super nos: et cóllibus: Operíte nos. Quia si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? m. Ducebántur autem et álii duo nequam cum eo, ut interficeréntur. Et postquam venérunt in locum qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt eum, et latrónes, unum a dextris et álterum a sinístris. Jesus autem dicébat; b. Pater, dimítte illis: non enim sciunt quid fáciunt. m. Dividéntes vero vestiménta ejus, misérunt sortes. Et stabat pópulus expéctans, et deridébant eum príncipes cum eis, dicéntes; a. Alios salvos fecit, se salvum fáciat si hic est Christus Dei eléctus. m. Illudébant autem ei et mílites, accedéntes et acétum [1]offeréntes ei,[1] dicéntes; a. Si tu es rex Judæórum, salvum te fac. m. Erat autem superscríptio scripta super eum lítteris Græcis et Latínis et Hebráicis: Hic est rex Judæórum. Unus autem de his qui pendébant latrónibus, blasphemábat eum, dicens; a. Si tu es Christus, salvum fac teípsum et nos. m. Respóndens autem alter increpábat eum, dicens; a. Neque tu times Deum, qui in eádem damnatióne es? Et nos quidem juste; nam digna factis recípimus: hic vero nihil mali gessit. m. Et dicébat ad Jesum; a. Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. m. Et dixit illi Jesus; b. Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso. m. Erat autem fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in univérsam terram usque in horam nonam. Et obscurátus est sol, et velum templi scissum est médium.

Et cum dixerit diaconus, Velum templi scissum est, velum [2]ante[2] altare cadere permittatur.

Et clamans voce magna Jesus ait; b. Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum. m. Et hæc dicens, exspirávit.

Hic fiat genuflexio dicendo Pater noster. Ave Maria. In manus tuas.

Videns autem Centúrio quod factum fúerat, glorificávit Deum, dicens; a. Vere hic homo justus erat. m. Et omnis turba eórum qui simul áderant ad spectáculum istud, et vidébant quæ fiébant, percutiéntes péctora sua revertebántur. Stabant autem omnes noti ejus a longe: et mulíeres quæ secútæ erant eum a Galiléa hæc viděntes.

Evangelium.

Et ecce vir nómine Joseph, qui erat decúrio, vir bonus et justus, (hic non consénserat consílio et áctibus eórum,) ab Arimathía civitáte Judææ, qui exspectábat

[1] offerebant illi.—92. 98. 57.
[2] inter chorum et.—Grad.

et ipse regnum Dei. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu: et depósitum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto excíso; in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

Offertorium. Ps. 101 Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te pervéniat.

℣. Ne avértas fáciem tuam a me: ne avértas fáciem tuam a me.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, munus oblátum, et dignánter operáre, ut quod passiónis Fílii tui Dómini nostri mystério gérimus, piis afféctibus consequámur. Per eúndem.

Præfatio. Qui corporáli jejúnio.

Communio. Ps. 101 Potum meum cum fletu temperábam, quia élevans allisísti me, et ego sicut fœnum árui: tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, tu exsúrgens miseréberis Sion: quia venit tempus miseréndi ejus.

Postcommunio.

LARGÍRE sénsibus nostris, omnípotens Deus, ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúndem.

Super populum. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

RÉSPICE, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium et crucis subíre torméntum. Qui tecum.

Feria quinta[1] in Cœna Domini.

Imprimis fiat reconciliatio pœnitentium, hoc modo. Nona cantata, pergat excellentior sacerdos ad ostium ecclesiæ occidentale, indutus vestibus sacerdotalium in capa serica rubea, cum duobus diaconis, albis cum amictibus indutis, absque subdiacono et sine cruce: per medium chori præcedente vexillo cilicino; sintque præsentes in atrio ecclesiæ qui reconciliandi sunt. Et si episcopus adest, principalis archidiaconus ex parte pœnitentium scilicet extra ostium ecclesiæ in capa serica[2] legat hanc lectionem.

ADEST, O venerábilis póntifex, tempus accéptum, dies propitiatiónis divínæ et salútis humánæ: qua mors intéritum et vita accépit ætérna princípium; quando in vínea Dómini Sábaoth sic novórum pálmitum plantátio faciénda est, ut purgétur excæcátio vetustátis. Quamvis enim a divítiis bonitátis Dei nihil témporis vacet; nunc tamen et lárgior est per indulgéntiam remíssio peccatórum, et copiósior per grátiam assúmptio renascéntium. Augémur regenerándis; crescimus revérsis. Lavant aquæ; lavant lácrymæ. Inde est gáudium de assumptióne vocatórum; hinc lætítia de absolutióne pœniténtium. Inde est quod súpplices tui posteáquam in várias formas críminum negléctu mandatórum cœléstium et morum probabílium transgressióne cecidérunt, humiliáti atque prostráti prophética ad Deum voce clamant, dicéntes; Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus; miserére nostri, Dómine, vocem evangélicam non frustratória aure capiéntes; beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Manducavérunt, sicut scriptum est, panem dolóris, lácrymis stratum rigavérunt, cor suum luctu, corpus jejúniis afflixérunt, ut animárum recíperent quam perdíderant sanitátem. Unicum est ítaque pœniténtiæ suffrágium, quod et síngulis prodest et ómnibus in commúne succúrrit. Redíntegra ergo in eis, apostólice póntifex, quicquid diábolo suadénte, sæviénte, scindénte, corrúptum est; et oratiónum tuárum patrocinántibus méritis, per divínæ reconciliatiónis grátiam fac hómines próximos Deo: ut qui ántea in suis perversitátibus displicébant, nunc jam placére se Dómino in regióne vivórum, devícto mortis suæ auctóre, gratuléntur.

Quæ Lectio non legatur episcopo absente.

Finita Lectione, incipiat episcopus Antiphonam, Veníte, veníte, infra prædictum ostium, conversus ad borealem; signum faciendo cum manu quasi vocando. Deinde diaconus ex parte pœnitentium, scilicet extra ostium, dicat, Flectámus génua.[3] Alius diaconus ex parte episcopi dicat Leváte; et ita fiat tribus vicibus. Ita tamen quod post tertiam repetitionem Antiphonæ non dicitur, Flectámus génua, sed chorus prosequatur totam Antiphonam, cantore incipiente, Fílii audíte me, timórem

[1] expleta reconciliatione pœnitentium, redeat processio in chorum more solito; deinde prosternant se omnes et dicant.—92. 94. 98. vide in fol. 169 sub finem. ['Deinde prosternant se omnes']

[2] alba et stola indutus.—26. Grad.

[3] corruant pœnitentes ad pedes executoris officii.—Grad.

Dómini docébo vos. Psalmus Benedícam. Totus Psalmus dicitur cum Glória Patri. Et post unumquemque Versum repetatur Antiphona. Dum Psalmus canitur a choro cum Antiphona, semper manuatim pœnitentes ab aliquo presbytero de choro, habitu non mutato, reddantur sacerdoti executori officii; et ab ipso restituantur Ecclesiæ gremio. Tamen si episcopus præsens fuerit, pœnitentes a presbytero reddantur archidiacono, et ab ipso reddantur episcopo, et ab ipso restituantur Ecclesiæ gremio. Quibus expletis, processio more solito in chorum redeat. Deinde prosternant se omnes; et dicant clerici in choro septem Psalmos pœnitentiales cum Glória Patri et Sicut erat. Sacerdos vero cum suis ministris dicat per se septem Psalmos cum Glória Patri et Sicut erat, et Antiphonam Ne reminiscáris cum Kýrie eléyson. Christe eléyson. Kýrie eléyson. Pater noster. [1] [2]ante altare,[1] sicut in die Cinerum prænotatum est. Deinde erigens se sacerdos,[2] conversus ad [3]australem[3] coram dextero cornu altaris [4]sine nota[4] dicat.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. Sed líbera nos a malo.

Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas. Deus meus, sperántes in te.

Convértere, Dómine, úsquequo. Et deprecábilis esto super servos tuos.

Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. Et de Sion tuére eos.

Adjuva nos, Deus salutáris noster. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos; et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Dómine, exáudi oratiónem meam. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris; et me, qui étiam misericórdia tua primus indígeo, cleménter exáudi: et quem non electióne mériti sed dono grátiæ tuæ constituísti óperis hujus minístrum: da fidúciam tui múneris exsequéndi, et ipse in nostro ministério quod tuæ pietátis est operáre. Per Christum.

Et dicantur omnes Orationes; et terminantur sub tono lectionis; et omnes Orationes dicantur cum Orémus. Non dicitur Dóminus vobíscum, nisi ante primam Oratiónem tantum.

Alia Oratio.

DEUS, humáni géneris benigníssime cónditor et misericordíssime reformátor, qui hóminem invídia diáboli ab æternitáte dejéctum, Unici Fílii tui sánguine redemísti: vivífica hos fámulos tuos quos tibi nullaténus mori desíderas: et qui non derelínquis dévios, assúme corréctos. Móveant pietátem tuam, quæsumus, Dómine, horum famulórum tuórum lacrymósa suspíria. Tu eórum medére vulnéribus, tu jacéntibus manum pórrige salutárem; ne Ecclésia tua áliqua sui córporis portióne vastétur; ne grex tuus detriméntum sustíneat; ne de famíliæ tuæ damno inimícus exsúltet; ne renátos lavácro salutári mors secúnda possídeat. Tibi ergo, Dómine, súpplices preces [5]offérimus, tibi[5] cordis fletum effúndimus. Tu parce confi-

[1] non habent 92. 94. 98.

[2] et hæc omnia sine nota dicuntur, tam a sacerdote cum suis ministris quam a toto choro. Deinde erigat se sacerdos cum suis ministris, et dicat super populum—Grad.

[3] orientem—92. 94. 98.

[4] non habent 92. 94. 98.

[5] et.—92. 94. 98. 4L. 57.

téntibus; ut sic in hac mortalitáte peccáta sua te adjuvánte défleant; quaténus in treméndi judícii die senténtiam ætérnæ damnatiónis evádant: et nésciant, piíssime Pater, quod terret in ténebris, quod stridet in flammis; atque ab erróris sui via ad iter revérsi justítiæ, nequáquam ultra vulnéribus sauciéntur, sed intégrum sit eis atque perpétuum, et quod grátia [1]tua[1] cóntulit et quod misericórdia reformávit. Per eúndem Christum.

Alia Oratio.

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, qui vúlnera nostra curáre dignátus es; te súpplices rogámus ac pétimus nos húmiles tui sacerdótes ut précibus nostris aures tuæ pietátis inclináre dignéris, atque ad pœniténtiam confessióne moveáris; remittásque ómnia crímina, et peccáta univérsa condónes; desque his fámulis tuis, Dómine, pro supplíciis véniam, pro mœróre lætítiam, pro morte vitam; ut qui ad tantam spem cœléstis ápicis devolúti sunt de tua misericórdia confidéntes, ad bona [2]pacífici[2] præmii tui atque ad cœléstia dona perveníre mereántur. Per Christum.

Hic non dicitur Orémus, sed sacerdos ad populum conversus, manu extensa, sine nota dicat Absolutionem.

ABSÓLVIMUS vos vice beáti Petri apostolórum príncipis, cui [3]colláta est a Dómino potéstas ligándi atque solvéndi;[3] et, quantum ad vos pértinet accusátio et ad nos remíssio, sit vobis omnípotens Deus vita et salus et ómnium peccatórum vestrórum pius indúltor. Qui vivit.

Et sic surgant omnes a prostratione, osculantes formulas vel terram, sacerdote dicente, Qui vivit. Et si episcopus adest, dicat benedictionem.

Deinde incipiatur Missa sollemniter sine regimine chori.

Officium. Gal. 6

NOS autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus.

Ps. 66 Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri.

Si episcopus celebret, dicitur Glória Patri.[4] Et sive episcopus celebret sive non, dicitur cantus de Conditor Kyrie,[5] absque versibus. Si episcopus celebret dicitur Glória in excélsis; aliter non. Sequatur Orémus sine Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

DEUS, a quo et Judas próditor reátus sui pœnam et confessiónis suæ latro prǽmium sumpsit, concéde nobis[6] tuæ propitiatiónis effectum; ut sicut in passióne sua Jesus Christus Dóminus noster divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum; ita nobis, abláto vetustátis erróre, resurrectiónis suæ grátiam largiátur. Qui tecum.

Ad Corinthios. I c. II

FRATRES, Conveniéntibus vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit: álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad mandu-

[1] non habet 26.
[2] paciferi.—92. 94. 97. 98.
[3] Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit.—94.
[4] aliter non.—26.
[5] sic 4L. 57. Grad. Kyrie eleyson.—cæteri.
[6] quæsumus.—13. 26.

cándum et bibéndum? aut ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit et dixit: Accípite et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens; Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite quotiescúnque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúnque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annunciábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit: non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

Hæc prædicta Epistola legatur in pulpito; et ibidem cantetur Gradale a duobus [1]pueris[1] in superpelliciis.

Gradale. Phil. 2 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis.

℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Repetatur Gradale [2]nisi[2] episcopus celebret. Evangelium legatur in pulpito, more dominicali.

Secundum Johannem. c. 13

Ante diem festum paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexísset suos qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Et cœna facta, cum diábolus jam misísset in cor ut tráderet eum Judas Simónis Scarióthis; sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit: surgit a cœna, et ponit vestiménta sua: et cum accepísset línteum, præcínxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et cœpit laváre pedes discipulórum suórum, et extérgere línteo quo erat præcínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum. Et [3]dixit[3] ei Petrus; Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei; Quod ego fácio, tu nescis modo, scies autem póstea. [4]Dicit[4] ei Petrus; Non lavábis mihi pedes in ætérnum. Respóndit ei Jesus; Si non lávero te, non habébis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus; Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Dicit ei Jesus; Qui lotus est, non índiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciébat enim quisnam esset qui tráderet eum: proptérea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eórum,[5] accépit vestiménta sua, et cum recubuísset íterum, dixit eis; Scitis quid fécerim vobis? Vos vocátis me, Magíster et Dómine: et bene dícitis: sum étenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dóminus et Magíster: et vos debétis alter altérius la-

[1] clericis.—15. Grad.
[2] ubi.—Grad.
[3] dicit.—92. 98. 4L. 57. V.
[4] dixit.—13. 26. et sic postea.
[5] et.—92. 98. 4L. 57. V.

váre pedes. Exémplum enim dedi vobis, ut quemádmodum ego feci vobis, ita et vos faciátis.

[1]Et legatur in pulpito more dominicali sine Credo, nisi episcopus celebraverit; tunc enim legatur Evangelium more duplicis festi, et dicitur Credo.[1]

Offertorium. Ps. 117 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Ponantur a [2]subdiacono[2] tres hostiæ ad consecrandum; quarum duæ reserventur in crastinum, una ad percipiendum a sacerdote; reliqua ut ponatur cum cruce in sepulchro.

Secreta.

Ipse tibi, quæsumus, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, sacrifícium nostrum reddat accéptum, qui discípulis suis in sui commemoratiónem hoc fíeri hodiérna traditióne monstrávit, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Præfatio quotidiana.

Hac die Sanctus solemniter cantetur, licet episcopus defuerit. Infra Canonem Communicántes et Hanc ígitur et Qui prídie; et dicuntur tam a sacerdote quam ab episcopo. Tres pueri ante olei consecrationem simul cantent hunc hymnum [3]in superpelliciis,[3] O Redémptor.

O Redémptor, sume carnem
temet concinéntium.
Audi judex mortuórum,
una spes mortálium.
Audi voces proferéntum,
dona pacis prǽmium.
(Assit flamen sacrosánctum,
olim per dilúvium
Qui ramum tulit olívæ
ad archam Ecclésiæ.—*Process.*)
Arbor fœta alma luce
hoc sacrándum prótulit,
Fert hoc prona præsens turba
Salvatóri sǽculi.
Consecráre tu dignáre,
Rex perénnis pátriæ,
Hoc [4]óleum[4] signum vivum
contra jura dǽmónum.
Ut novétur sexus omnis
unctióne chrismátis,
Et medétur sauciáta
dignitátis glória.
Stans ad aram, immo supplex,
infulátus póntifex
Débitum persólvat omne
consecráto chrismáte;
Sit hæc dies festa nobis
sǽculórum sǽculis;
Sit sacráta laude digna
nec senéscat témpore;
Laus perénnis Deo Patri
gloriáque Fílio,
Honor, virtus ac potéstas
ambórum Paráclito.—*Grad.*

[1] sine Credo in unum. Si episcopus celebraverit, legatur Evangelium, more duplicis festi cum Credo.—4L, 8RM. 57. Non habetur in 92. 98.
[2] diacono.—92.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] olivum, *Process.*

Chorus idem repetat post unumquemque versum. Hac die non dicitur Agnus Dei, nec Pax detur, nisi episcopus celebraverit; tunc enim dicitur Agnus Dei, solemniter more duplicis festi, et sacri Chrismatis ampulla pro Pace deosculetur.

Communio. Johan. 13 Dóminus Jesus postquam cœnávit cum discípulis suis, lavit pedes eórum et ait illis: Scitis quid fécerim vobis: ego Dóminus et magíster exémplum dedi vobis, ut et vos ita faciátis.

Cantata Communione, statim incipiantur Vesperæ festivæ sine regimine chori et sine Deus in adjutórium. Ab aliquo de superiori gradu incipiatur Antiphona, Cálicem.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino: pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea; tibi sacrificábo hóstiam laudis: et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: in átriis domus Dómini, in médio tui Hierúsalem.

Non dicitur Glória Patri sed repetatur Antiphona.

Cálicem salutáris accípiam: et nomen Dómini invocábo.

[1]Et cæteri Psalmi cum suis Antiphonis dicuntur simili modo sine Gloria.[1] [2]

Psalmus 119.

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi; et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis: et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ: cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est; habitávi cum habitántibus Cedar: multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Antiphona. Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: cum loquébar illis impugnábant me gratis.

Psalmus 139.

Eripe me, Dómine, ab hómine malo: a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntes: venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: abscondérunt supérbi láqueum mihi:

[1] non habent 92. 94. 97. 98.

[2] In Graduali sic habentur:—Antiphona, Calicem. Psalmus, Credidi. Antiphona, Cum his. Psalmus, Ad Dominum. Antiphona, Ab hominibus. Psalmus, Eripe. Antiphona, Custodi. Psalmus, Domine, clamavi. Antiphona, Considerabam. Psalmus, Voce mea.

Omnes Psalmi dicuntur sine Gloria Patri. Finita quinta Antiphona, statim incipiatur Antiphona, Cœnantibus, Psalmus, Magnificat. Repetita etc.

Et funes extendérunt in láqueum: juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino; Deus meus es tu: exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ:

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: obumbrásti super caput meum in die belli.

Non tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: in miséríis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis: et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo: et habitábunt recti cum vultu tuo.

Antiphona. Ab homínibus iníquis líbera me, Dómine.

Psalmus 140.

Dómine, clamávi ad te, exáudi me: intende voci meæ, cum clamávero ad te:

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo: et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ: ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me: óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt: sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus infernum: quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi: et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: singuláriter sum ego donec tránseam.

Antiphona. Custódi me a láqueo quem statuérunt mihi: et a scándalis operántium iniquitátem.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dóminum clamávi: voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam: et tribulatiónem meam ante ipsum pronúncio.

In deficiéndo ex me spíritum meum: et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac qua ambulábam: abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam: et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me: et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, dixi; Tu es spes mea: pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me: quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Antiphona. Considerábam ad déxteram et vidébam: et non erat qui cognósceret me.

Finita hac quinta Antiphona, statim incipiatur Antiphona Cœnántibus.

Canticum Beatæ Mariæ

Magníficat: ánima mea Dóminum.

Et exsultávit spíritus meus: in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies: timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede: et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum: recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros: Abraham et sémini ejus in sæcula.

Antiphona. Matth. 26 Cœnántibus autem accépit Jesus pánem: benedíxit ac fregit, dedit discípulis suis.

Repetita Antiphona post Magníficat, dicat sacerdos Postcommunionem cum Dóminus vobíscum et Orémus more solito.

Postcommunio.

Refécti vitálibus aliméntis, quæsumus, Dómine Deus noster, ut quod témpore nostræ mortalitátis [1]exséquimur, immortalitátis tuæ múnere consequámur. Per Dóminum.

Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur, diacono dicente Ite, missa est, si episcopus celebret; si vero non, Missa et Vesperæ simul finiantur cum Benedicámus Dómino. Propter solemnitatem vero Cœnæ diaconus et subdiaconus dalmatica et tunica induantur, licet episcopus non celebraverit.[2]

Post prandium conveniant clerici ad ecclesiam, ad altaria abluenda, et ad Mandatum faciendum, et ad Completorium dicendum.

Imprimis benedicatur aqua more solito extra chorum privatim. Deinde præparentur duo sacerdotes excellentiores cum diacono et subdiacono de secunda forma et ceroferario de prima forma, qui omnes sint albis cum amictibus induti,[3] et incipiant a majori altari, et abluant illud, infundentes vinum et aquam; et interim cantetur Responsorium In monte Olivéti[4] a toto choro coram altari cum suo Ver-

[1] cultu.—92. 98.

[2] non habent quæ sequuntur 92. 94. 97. 98. usque ad fol. 177 col. 1.

[3] et duobus clericis vinum et aquam deferentibus.—15. 26. Grad.

[4] In monte Oliveti oravi ad Patrem; Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Fiat voluntas tua.

℣. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Fiat.

Circumdederunt me viri mendaces; sine causa flagellis ceciderunt me. Sed tu, Domine defensor, vindica me.

℣. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Sed tu.

Hæc sunt responsoria ex historia In monte Oliveti.

Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic et vigilate mecum; nunc videbitis turbam quæ circumdabit me. Vos fugam capietis et ego vadam immolari pro vobis.

℣. Ecce appropinquabit hora et Filius Hominis tradetur in manus peccatorum. Vos fugam.

Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, aspectus ejus in eo non est, hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolens; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse abstulit, et infirmitates nostras ipse portavit. Cujus.

Unus ex discipulis meis tradet me hodie; væ illi per quem tradar ego. Melius illi erat si natus non fuisset.

su, et dicitur sine Glória Patri. Quo finito dicitur Versus et Oratio de sancto in cujus honore consecratum est altare, ab excellentiore sacerdote, modesta voce, item sine nota. Quæ terminetur sic Per Christum, nec præcedat nec subsequatur Dóminus vobíscum, sed tantum Orémus ante Orationem. [1]Eodem modo omnia altaria in ecclesia abluantur cum Responsoriis et Versibus sicut ordinatim sunt in prædicta historia; scilicet In monte Olivéti et cum Versu et Oratione de sanctis, ut supra dictum est. Ita quod nullum Responsorium incipiatur nisi tantum coram altari: et ibi totum cantabitur, ut supra diximus. Et semper in extrema ablutione cantetur Responsorium Circumdedérunt cum suo versu. Et si plura fuerint altaria in ecclesia quam Responsoria in prædicta historia: tunc reincipiatur historia, ordine prædicto servato; sed quod Responsorium Circumdedérunt semper ultimo loco cantetur. Post ablutionem [2]altaris,[2] intrent capitulum; et diaconus legat Evangelium Ante diem festum, sicut ad Missam lectum est. Deinde dicitur sermo.[3] Quo finito, surgant duo prædicti sacerdotes, et incipiendo a majoribus, lavent omnium pedes unus ex una parte et alter ex altera parte chori; et ipsi invicem sibi lavent pedes. Et interim cantentur hæ sequentes Antiphonæ cum suis Psalmis a toto choro interim sedente. Antiphona, Mandátum novum.[4] Psalmus Deus misereátur

℣. Qui intingit manum mecum in paropside, hic me traditurus est in manus peccatorum. Melius.

Judas mercator pessimus osculo petiit Dominum; ille ut agnus innocens non negat (negavit *Brev.*) Judæ osculum. Denariorum numero Christum Judæis tradidit.

℣. Avaritiæ inebriatus veneno, dum sitit lucrum pervenit ad laqueum. Denariorum.

Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me? Vel Judam non videtis quomodo non dormit sed festinat tradere me Judæis.

℣. Dormite jam et requiescite, ecce appropinquabit qui me traditurus est. Vel Judam?

Seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Cum gladiis et fustibus exierunt tanquam ad latronem.

℣. Cogitaverunt iniquitatem sibi et egrediebantur foras. Cum.

O Juda, qui dereliquisti consilium pacis, et cum Judæis consiliatus es triginta argenteis, vendidisti sanguinem justum. Et pacis osculum ferebas, quam (quod *Brev.*) in pectore non habebas.

℣. Os tuum abundavit malitia et lingua tua concinnabat dolos. Et pacis osculum.

Revelabunt cœli iniquitatem Judæ, et terra adversus eum consurget, et manifestum erit peccatum illius, in die furoris Domini. Cum eis qui dixerunt Domino Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

℣. In die perditionis salvabitur et ad diem ultionis ducetur. Cum.

Circumdederunt me viri mendaces, sine causa flagellis ceciderunt me. Sed tu, Domine defensor, vindica me.

℣. Quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. Sed tu.—*Process.*

[1] Et postea deosculetur altare ab executore officii et aliis clericis consequenter.—Grad.

[2] altarium.—26.

[3] si placuerit.—Grad.

[4] Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, dicit Dominus.

Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est, et qui diligit fratrem suum ex Deo natus est et videt Deum.

In diebus illis mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

Maria ergo unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. Postquam

nostri. Totus Psalmus dicitur sine Glória Patri, et post unumquemque Versum repetatur Antiphona. Et hoc modo dicuntur omnes Antiphonæ cum suis Psalmis quæ sequuntur. Antiphona, Diligámus nos. Psalmus Ecce quam bonum. Antiphona, In diébus illis. Psalmus Miserére. Antiphona, María ergo. Psalmus Beáti immaculáti. Antiphona, Postquam. Psalmus Audíte hæc, omnes gentes. Hæ sequentes Antiphonæ, si necesse fuerit, cantentur; sin autem, omnino prætermittantur. Antiphona, Vos vocátis. Antiphona, Si ego Dóminus. Antiphona, Ante diem. Antiphona, Venit ad Petrum.

Peracta ablutione pedum, dicto sermone accipiant charitatis potum. Quibus rite peractis, unus sacerdos dicat preces hoc modo. [1]

Pss. 47, 118, 132 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam. In médio templi tui.

Tu mandásti. Mandáta tua custodíri nimis.

Ecce quam bonum et quam jucúndum. Habitáre fratres in unum.

Dómine, exáudi oratiónem meam. Et clamor meus ad te véniat. Dominus vobíscum. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Adésto, quæsumus, Dómine, offício servitútis nostræ; et quia tu pedes laváre dignátus es tuis discípulis, ne despícias ópera mánuum tuárum quæ nobis retinénda mandásti: sed sicut exterióra hic abluúntur inquinaménta córporum; sic a te ómnium [2]nostrum[2] interióra mundéntur peccáta. [3]Quod ipse præstáre dignéris,[3] Qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus. Per.

Si vero nullus adsit clericus sermonem faciens, cæteris ut prius peractis, post ablutionem pedum dicuntur preces prædictæ. Deinde legatur sequens Evangelium[4] a quodam diacono de secunda forma in superpellicio sine titulo; benedictione prius petita ab executore officii; et legatur more lectionis,[4] fratribus interim caritatis potum sumentibus; et legatur usque ad illum finem, Súrgite, eámus hinc. Et ita recedant.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 13 et 14

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen, amen, dico vobis: Non est servus major dómino suo: neque apó-

surrexit Dominus a cœna, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum, hoc exemplum reliquit eis. *Process.*

Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis, sum etenim; si ego lavi vestras pedes dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Si ego dominus et magister vester lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia hora ejus venit, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, et cœna facta, surrexit, linteo præcinxit se, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum. Venit ad Petrum; dicit ei Petrus, Non lavabis mihi pedes in æternum; respondens Jesus dixit, Si non lavero te, non habebis partem mecum; Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.—Grad. (*non habentur in Process.*)

[1] Post ablutionem pedum dictoque sermone; accipiant charitatis potum. Quibus (omnibus 97. 98.) rite peractis, unus sacerdotum dicat has preces.—92. 94. 97. 98. vide in fol. 175 col. 2

[2] sic 34. 54. 55 P.—nostrorum.—cæteri cum 26.

[3] non habent 92. 98.

[4] non habent 92. 94. 97. 98.

stolus major eo qui misit illum. Si hæc scitis, beáti éritis si fecéritis ea. Non de ómnibus vobis dico: ego scio quos elégerim: sed ut adimpleátur Scriptúra: Qui mandúcat mecum panem, levábit contra me calcáneum suum. [1]Amodo[1] dico vobis, priúsquam fiat: ut cum factum fúerit, credátis, quia ego sum. Amen, amen, dico vobis: Qui áccipit si quem mísero, me áccipit: qui autem me áccipit, áccipit eum qui me misit. Et cum hæc dixísset Jesus, turbátus est spíritu: et protestátus est, et dixit; Amen, amen, dico vobis: Quia unus ex vobis me tradet. Aspiciébant ergo ad ínvicem discípuli, hæsitántes de quo díceret. Erat autem recúmbens unus ex discípulis ejus in sinu Jesu, quem diligébat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei; Quis est, de quo dixit? Itaque cum recubuísset ille supra pectus Jesu, dixit ei; Dómine, quis est? Respóndit Jesus; Ille est, cui ego intínctum panem porréxero. Et cum intinxísset panem, dedit Judæ Simónis Scarióthis. Et post buccéllam, introívit in illum Sáthanas. Et [2]dixit[2] ei Jesus; Quod facis, fac cítius. Hoc autem nemo scivit discumbéntium ad quid díxerit ei. Quidam autem putábant, quia lóculos habébat Judas, quod dixísset ei Jesus: Eme ea, quæ nobis opus sunt ad diem festum; aut egénis ut áliquid daret. Cum ergo accepísset ille buccéllam, exívit contínuo. Erat [3]autem[3] nox. Cum ergo exísset, [4]dixit[4] Jesus; Nunc clarificátus est Fílius Hóminis et Deus clarificátus est in eo. Si Deus clarificátus est in eo, et Deus [5]clarificávit[5] eum in semetípso: et contínuo [6]clarificábit[6] eum. Filíoli, adhuc módicum vobíscum sum. Quærétis me, et sicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non potéstis veníre, et vobis dico modo. Mandátum novum do vobis, ut diligátis ínvicem; sicut diléxi vos, ut et vos diligátis ínvicem. In hoc cognóscent omnes quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. Dixit ei Simon Petrus; Dómine, quo vadis? Respóndit Jesus; Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequéris autem póstea. Dixit ei Petrus; Quare non possum te sequi modo? ánimam meam pro te ponam. Respóndit [7]ei[7] Jesus; Animam tuam pro me pones? Amen, amen, dico tibi: Non cantábit gallus, donec ter [8]me negábis.[8] Et ait discípulis; Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Créditis in Deum, et in me crédite: in domo Patris mei mansiónes multæ sunt: si quóminus, dixíssem vobis; quia vado paráre vobis locum. Et si abíero et præparávero vobis locum: íterum véniam et accípiam vos ad meípsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis. Dixit ei Thomas; Dómine, nescímus quo vadis: et quómodo póssumus viam scire? Dicit ei Jesus; Ego sum via, véritas, et vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis: et ámodo cognoscétis eum, et vidístis eum. Dicit ei Philíppus; Dómine, osténde nobis Patrem, et suffícit nobis. Dicit ei Jesus; Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíp-

[1] Amen, amen.—92. 97. 98. 4L.
[2] dicit.—97. 98. 4L. 57. V.
[3] enim.—92. 98. 4L. 57.
[4] dicit.—98. 4L. 57. V.
[5] sic 55 P. etc. clarificabit.—97. 13. 15. 26.
[6] sic 55 P. etc. clarificavit.—13. 15. 26.
[7] non habent 92. 98. 4L. 57. V.
[8] neges me.—92. 98. 4L. 57. me neges.—97. me ter neges.—V.

pe, qui videt me, videt et Patrem meum. Et quómodo tu dicis: Osténde nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a meípso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit ópera. Non créditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alióquin propter ópera ipsa crédite. Amen, amen, dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio, et ipse fáciet, et majóra horum fáciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam: ut glorificétur Pater in Fílio. Si quid petiéritis[1] in nómine meo, hoc fáciam. Si dilígitis me: mandáta mea servváte. Et ego rogábo Patrem et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, Spíritum veritátis, quem mundus non potest cápere, quia non videt eum nec scit eum: vos autem cognoscétis eum: quia apud vos manébit, et in vobis erit. Non relínquam vos órphanos: véniam ad vos. Adhuc módicum: et mundus me jam non videt. Vos autem vidébitis me: quia ego vivo, et vos vivétis. In illo die vos cognoscétis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandáta mea, et servat ea, ille est qui díligit me. Qui autem díligit me, diligétur a Patre meo, et ego díligam eum, et manifestábo ei meípsum. Dicit ei Judas, non ille Scarióthis; Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es teípsum nobis, et non mundo? Respóndit Jesus, et dixit ei; Si quis díligit me, sermónem meum servábit; et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus: qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus sed ejus qui misit me Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, et súggeret vobis ómnia, quæcúmque díxero vobis. Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado et vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis útique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobíscum: venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognóscat mundus quia díligo Patrem, et sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio. Súrgite, eámus hinc.

[1] me.—92. 98. 57.

Feria sexta in die Parasceves.

Dicta hora nona, accedat sacerdos ad altare, indutus vestibus sacerdotalibus, in casula rubea, cum diacono et subdiacono et cæteris ministris altaris, qui omnes sint albis cum amictibus induti.[1] [2] Statim procedat acolytus alba indutus ad legendum hanc lectionem ad gradum chori sine titulo, hoc modo.

Osee. c. 6

In tribulatióne sua mane consúrgent ad me; Veníte et revertámur ad Dóminum, quia ipse cepit, et sanábit nos: percútiet, et curábit nos. Vivificábit nos post duos dies: in die tértia suscitábit nos, et vivémus in conspéctu ejus. Sciémus, sequemúrque ut cognoscámus Dóminum; quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus, et véniet quasi imber nobis temporáneus et serótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraim? quid fáciam tibi, Juda? misericórdia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertránsiens. Propter hoc dolávi in prophétis, et occídi eos in verbis oris mei, et judícia mea quasi lux egrediéntur. Quia misericórdiam volui, et non sacrifícium, et sciéntiam Dei plusquam holocáustum.

Chorus alternatim dicat Tractum sequentem.

Tractus. Abachuc c. 3 Dómine, audívi audítum tuum, et tímui: considerávi ópera tua et expávi.

℣. In médio duum[3] animálium innotescéris: dum appropinquáverint anni cognoscéris, dum advénerit tempus ostendéris.

℣. In eo dum conturbáta fúerit ánima mea: in ira misericórdiæ memor eris.

℣. Deus a Líbano véniet: et Sanctus de monte umbróso et condénso.

℣. Opéruit cœlos majéstas ejus: et laudis ejus plena est terra.

Sequatur Oratio sine Dóminus vobíscum, sed tantum cum Orémus et Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

Deus, a quo et Judas próditor reátus sui pœnam et confessiónis suæ latro prǽmium sumpsit; concéde nobis tuæ propitiatiónis efféctum; ut sicut in passióne sua Jesus Christus Dóminus noster divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum: ita nobis abláto vetustátis erróre, resurrectiónis suæ grátiam largiátur. Qui tecum vivit et regnat.

Subdiaconus legat hanc lectionem ad gradum chori sine titulo, hoc modo.[4]

Dixit Dóminus ad Moysen et Aaron in terra Ægýpti; Mensis iste vobis princípium ménsium: primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israel, et dícite eis: Décima die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias ac domos suas. Sin autem minor est númerus ut suffícere possit ad vescéndum agnum, assúmat vicínum suum qui junctus[5] est dómui ejus, juxta númerum animárum quæ suffícere possint

[1] sine tunicis, dictaque Oratione Dominica.—97. 13. 15. 26. Grad.
[2] ante altare.—Grad.
[3] duorum.—92. 94. 98. 4L. 57. Grad.
[4] Exod. c. 12
[5] conjunctus.—13. 16. 26.

ad esum agni. Erit enim agnus absque mácula, másculus annículus: juxta quem ritum tollétis et hœdum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus: immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperum. Suméntque de sánguine [1]Agni[1] ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domórum in quibus cómedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, et ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni: caput cum pédibus ejus et intestínis vorábitis. Et os ejus non confringétis nec remanébit ex eo quidquam usque mane: si quid resíduum fúerit, igne comburétis. Sic autem comedétis illum: Renes vestros accingétis, et calceaménta habébitis in pédibus, teneńtes báculos in mánibus, et comedétis festinánter: est enim Phase id est tránsitus Dómini.

Chorus alternatim dicat Tractum sequentem.

Tractus. Ps. 139 Eripe me, Dómine, ab hómine malo: a viro iníquo líbera me.
℣. Qui cogitavérunt malítias in corde: tota die constituébant prælia.
℣. Acuérunt linguam suam sicut serpéntes: venénum áspidum sub lábiis eórum.
℣. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis líbera me.
℣. Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: abscondérunt supérbi láqueum mihi.
℣. Et funes extendérunt in láqueum pédibus meis: juxta iter scándalum posuérunt mihi.
℣. Dixi Dómino; Deus meus es tu: exáudi, Dómine, vocem oratiónis meæ.
℣. Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: [2]obumbrásti[2] caput meum in die belli.
℣. Ne tradas me a desidério meo peccatóri: cogitavérunt advérsum me, ne derelínquas me, ne unquam exalténtur.
℣. Caput circúitus eórum: labor labiórum ipsórum opériet eos.
℣. Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo: et habitábunt recti cum vultu tuo.

Sequatur Passio sine Dóminus vobíscum et sine titulo, hoc modo. m.[3]

EGRÉSSUS est Jesus cum discípulis suis trans torréntem Cedron, ubi erat hortus in quem introívit ipse et discípuli ejus. Sciébat autem et Judas, qui tradébat eum, locum: quia frequénter Jesus convénerat illuc cum discípulis suis. Judas [4]ergo[4] cum accepísset cohórtem, et a Pontifícibus et Pharisæis minístros, venit illuc cum latérnis et fácibus et armis. Jesus ítaque sciens ómnia quæ ventúra erant super eum, processit et dixit eis; b. Quem quæritis? m. Respondérunt ei; a. Jesum Nazarénum. m. [5]Dixit[5] eis Jesus; b. Ego sum. m. Stabat autem et Judas qui tradébat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abiérunt retrórsum et cecidérunt in terram. Iterum ergo interrogávit eos; b. Quem quæritis? m. Illi autem dixérunt; a. Jesum Nazarénum. m. Respóndit Jesus; b. Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sínite hos abíre. m. Ut implerétur sermo quem dixit: Quia quos dedísti mihi, non pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium edúxit eum: et percússit pontíficis servum: et

[1] ejus.—92. 98. V.
[2] obumbra.—92. 94. 97. 98. Grad.
[3] secundum Johannem c. 18 et 19
[4] autem.—92. 98. 4L. 57.
[5] dicit.—92. 97. 98. 4L. V.

abscídit aurículam ejus déxteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro; b. Mitte gládium tuum in vagínam. Cálicem, quem dedit mihi Pater, non [1]vis ut[1] bibam illum? m. Cohors ergo et tribúnus et miníslri Judæórum comprehendérunt Jesum et ligavérunt eum: et adduxérunt eum ad Annam primum: erat enim socer Cáiphæ qui erat Póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas qui consílium déderat Judæis: Quia éxpedit, unum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autem Jesum Simon Petrus et álius discípulus. Discípulus autem ille erat notus pontífici, et introívit cum Jesu in átrium pontíficis. Petrus autem stabat ad óstium foris. Exívit ergo discípulus álius qui erat notus pontífici, et dixit ostiáriæ, et introdúxit Petrum. Dixit ergo Petro ancílla ostiária; a. Numquid et tu ex discípulis es hóminis istíus? m. Dicit ille; a. Non sum. m. Stabant autem servi et miníslri ad prunas, quia frigus erat et calefaciébant se: erat autem cum eis et Petrus stans et calefáciens se. Póntifex ergo interrogávit Jesum de discípulis suis et doctrína ejus. Respóndit ei Jesus; b. Ego palam locútus sum mundo: ego semper dócui in synagóga et in templo, quo omnes Judæi convéniunt: et in occúlto locútus sum nihil. Quid me intérrogas? intérroga eos qui audiérunt, quid locútus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ díxerim ego. m. Hæc autem cum dixísset, unus assístens ministrórum dedit álapam Jesu, dicens; a. Sic respóndes pontífici? m. Respóndit ei Jesus; b. Si male locútus sum, testimónium pérhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? m. Et misit eum Annas ligátum ad Cáipham pontíficem. Erat autem Simon Petrus stans et calefáciens se. Dixérunt ergo ei; a. Numquid et tu ex discípulis ejus es? m. Negávit ille, et dixit; a. Non sum. m. Dixit ei unus ex servis pontíficis, cognátus ejus cujus abscídit Petrus aurículam; a. Nonne ego te vidi in horto cum illo? m. Iterum ergo negávit Petrus: et statim gallus cantávit. Addúcunt ergo Jesum a Cáipha in Prætórium. Erat autem mane: et ipsi non introiérunt in prætórium ut non contaminaréntur sed [2]manducárent Pascha. Exívit ergo Pilátus ad eos foras, et dixit; a. Quam accusatiónem affértis advérsus hóminem hunc? m. Respondérunt et dixérunt ei; a. Si non esset hic malefáctor, non tibi tradidissémus eum. m. Dixit ergo eis Pilátus; a. Accípite eum vos, et secúndum legem vestram judicáte eum. m. Dixérunt ergo ei Judæi; a. Nobis non licet interfícere quemquam. m. Ut sermo Jesu implerétur quem dixit, significans qua morte esset moritúrus. Introívit ergo íterum in prætórium Pilátus, et vocávit Jesum et dixit ei; a. Tu es rex Judæórum? m.[3] Respóndit Jesus; b. A temetípso hoc dicis, an álii tibi dixérunt de me? m. Respóndit Pilátus; a. Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontífices tradidérunt te mihi: quid fecísti? m. Respóndit Jesus; b. Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, miníslri mei útique decertárent ut non tráderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. m. Dixit ítaque ei Pilátus; a. Ergo rex es tu? m. Respóndit Jesus; b. Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritá-

[1] non habent 98. 4L. V.
[2] ut.—4L. 13. 15.
[3] et.—92. 98. 4L. 57. V.

ti: omnis qui est ex veritáte, audit [1]vocem meam.[1] m. [2]Dixit[2] ei Pilátus; a. Quid est véritas? m. Et cum hoc dixísset, íterum exívit ad Judæos et dixit eis; a. Ego nullam invénio in eo causam. Est autem consuetúdo vobis ut unum dimíttam vobis in Pascha: vultis ergo dimíttam vobis regem Judæórum? m. Clamavérunt rursum omnes, dicéntes; a. Non hunc, sed Barrábam. m. Erat autem Barrábas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus: et veste purpúrea circumdedérunt eum, et veniébant ad eum, et dicébant; a. Ave, rex Judæórum: m. Et dabant ei álapas. Exívit íterum Pilátus foras, et [3]dixit[3] eis; a. Ecce addúco eum vobis foras, ut cognoscátis quia in eo nullam causam invénio. m. Exívit ergo Jesus portans spíneam corónam et purpúreum vestiméntum: Et dixit eis Pilátus; a. Ecce homo. m. Cum ergo vidíssent eum Pontífices et minístri, clamábant, dicéntes; a. Crucifíge, crucifíge eum. m. Dixit eis Pilátus; a. Accípite eum vos, et crucifígite: ego enim non invénio in eo causam. m. Respondérunt ei Judæi; a. Nos legem habémus, et secúndum legem debet mori, quia Fílium Dei se fecit. m. Cum ergo audísset Pilátus hunc sermónem, magis tímuit. Et ingréssus est prætórium íterum, et dixit ad Jesum; a. Unde es tu? m. Jesus autem respónsum non dedit ei. [4]Dicit[4] ergo ei Pilátus; a. Mihi non lóqueris? nescis quia potestátem hábeo crucifígere te, et potestátem hábeo dimíttere te? m. Respóndit Jesus; b. Non habéres potestátem advérsum me ullam, nisi tibi datum esset désuper. Proptérea qui trádidit me tibi, majus peccátum habet. m. Et exínde quærébat Pilátus dimíttere eum. Judæi autem clamábant dicéntes; a. Si hunc dimíttis, non es amícus Cæsaris: omnis enim, qui se regem facit, contradícit Cæsari. m. Pilátus ergo, cum audísset hos sermónes, addúxit foras Jesum: et sedit pro tribunáli, in loco qui dícitur Lichóstratos, Hebráice autem Gábatha. Erat autem parascéve Paschæ, hora quasi sexta, et dixit Judæis; a. Ecce rex vester. m. Illi autem clamábant; a. Tolle, tolle, crucifíge eum. m. Dixit eis Pilátus; a. Regem vestrum crucifígam? m. Respondérunt Pontífices; a. Non habémus Regem, nisi Cæsarem. m. Tunc ergo trádidit eis illum ut crucifigerétur. Suscepérunt autem Jesum, et eduxérunt. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum qui dícitur Calváriæ locum, Hebráice autem Gólgotha: ubi crucifixérunt eum, et cum eo álios duos hinc et hinc, médium autem Jesum. Scripsit autem et títulum Pilátus: et pósuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarénus, Rex Judæórum. Hunc ergo títulum multi legérunt Judæórum: quia prope civitátem erat locus, ubi crucifíxus est Jesus: et erat scriptum Hebráice, Græce, et Latíne. Dicébant ergo Piláto Pontífices Judæórum; a. Noli scríbere, Rex Judæórum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæórum. m. Respóndit Pilátus; a. Quod scripsi, scripsi. m. Mílites ergo cum crucifixíssent eum, accepérunt vestiménta ejus, et fecérunt quatuor partes, unicuíque míliti partem, et túnicam. Erat autem túnica inconsútilis, désuper contéxta per totum. Dixérunt ergo ad ínvicem: a. Non scindámus eam, sed sortiámur de illa cujus sit. m. Ut Scriptúra

[1] meam vocem.—92. 98. 57.
[2] dicit.—97. 98. 4L. 57. V.
[3] dicit.—97. 98. 4L. 57. V.
[4] dixit.—92. 15. 26. 57.

implerétur, dicens: Partíti sunt vestiménta mea sibi,

Hic accedant duo ministri in superpelliciis,[1] unus ad dextrum et alius ad sinistrum cornu altaris; et inde duo linteamina [2]amoveant[2] quæ ad hoc super altare fuerunt apposita.

et in vestem meam misérunt sortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dixit matri suæ; b. Múlier, ecce fílius tuus. m. Deínde dixit discípulo; b. Ecce mater tua. m. Et ex illa hora accépit eam discípulus in suam. Póstea sciens Jesus quia jam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit; b. Sítio. m. Vas ergo pósitum erat acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit; b. Consummátum est. m. Et inclináto cápite trádidit spíritum.

Sequatur Pater noster. Ave María. In manus tuas.

m. Judæi ergo quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, (erat enim magnus dies ille sábbati) rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura. Sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credátis. Facta sunt enim hæc ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Evangelium.

Post hæc autem rogávit Pilátum Joseph ab Arimathía, eo quod esset discípulus Jesu, occúltus autem propter metum Judæórum, ut tólleret corpus Jesu. Et permísit Pilátus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nichodémus, qui vénerat ad Jesum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ et áloes, quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus Jesu, et ligavérunt eum línteis cum aromátibus, sicut mos Judæis est sepelíre. Erat autem in loco ubi crucifíxus est, hortus: et in horto monuméntum novum, in quo nondum quisquam pósitus erat. Ibi ergo propter Parascéven Judæórum, quia juxta erat monuméntum, posuérunt Jesum.

Sequuntur Orationes solemnes: et ad unamquamque illarum dicitur Flectámus génua; nisi ad eam qua oratur pro Judæis.[3]

Oratio.

Orémus, dilectíssimi nobis, in primis pro Ecclésia sancta Dei; ut eam Deus et Dóminus noster pacificáre et custodíre dignétur toto orbe terrárum, subjíciens ei principátus et potestátes; detque nobis quiétam et tranquíllam vitam degéntibus glorificáre Deum Patrem omnipoténtem.

[4]Deinde dicat sacerdos,[4] Orémus. [5]Deinde dicat diaconus,[5] Flectámus génua. Leváte.

[1] ad gradum chori.—Grad.
[2] ammoveant.—98. 4L. 26.
[3] Et primo pro universali statu Ecclesiæ.—26.
[4] non habent 92. 94. 97. 98.
[5] non habent 92. 94. 97. 98.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus revelásti; custódi, quæsumus, ópera misericórdiæ tuæ; ut Ecclésia tua, toto orbe diffúsa, stábili fide in confessióne tui nóminis persevéret. Per eúndem Dóminum nostrum Jesum.

[1]Chorus respondeat, Amen, et omnes Orationes finiantur sub tono prædicto.[1]

[2]Oratio.

ORÉMUS et pro beatíssimo Papa nostro N; ut Deus et Dóminus noster, qui elégit eum in órdine Episcopátus, salvum atque incólumem custódiat Ecclésiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, cujus judício univérsa fundántur; réspice propítius ad preces nostras: et eléctum nobis Antístitem tua pietáte conserva; ut Christiána plebs, quæ tali gubernátur auctóre, sub tanto Pontífice credulitátis suæ méritis augeátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit et regnat Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

[3]Oratio.

ORÉMUS et pro ómnibus Epíscopis Presbýteris, Diacónibus, Subdiacónibus, Acólythis, Exorcístis, Lectóribus, Ostiáriis, Confessóribus, Virgínibus, Víduis, et pro omni pópulo sancto Dei.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur; exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes: ut grátiæ tuæ múnere ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit. In unitáte ejúsdem.

[4]Oratio.

ORÉMUS et pro christianíssimo Rege nostro N; ut Deus et Dóminus noster súbditas illi fáciat omnes bárbaras natiónes ad nostram perpétuam pacem.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes et ómnium jura regnórum; réspice ad Christianórum benígnus impérium: ut Gentes quæ in sua feritáte confídunt, poténtiæ tuæ déxtera comprimántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

[5]Oratio.

ORÉMUS et pro Catechúmenis nostris; ut Deus et Dóminus noster adapériat aures præcordiórum ipsórum januámque misericórdiæ suæ; ut per lavácrum regeneratiónis accépta remissióne ómnium peccatórum, et ipsi digni inveniántur in Christo Jesu Dómino nostro.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fecúndas; auge fidem et intelléctum Cate-

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] Pro Papa.—26.
[3] Pro universis ordinibus.—26.
[4] Pro rege.—26.
[5] Pro catechumenis.—26.

chúmenis nostris: ut renáti fonte Baptísmatis, adoptiónis tuæ fíliis aggregéntur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

[1]Oratio.

ORÉMUS, dilectíssimi nobis, Deum Patrem omnipoténtem: ut cunctis mundum purget erróribus, morbos áuferat, famem depéllat, apériat cárceres, víncula dissólvat; peregrinántibus réditum, infirmántibus sanitátem, navigántibus portum salútis indúlgeat.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, mœstórum consolátio, laboántium fortitúdo; pervéniant ad te preces de quacúnque tribulatióne clamántium; ut omnes sibi in necessitátibus suis misericórdiam tuam gáudeant affuísse. Per Dóminum.

[2]Oratio.

ORÉMUS et pro Hæréticis et Schismáticis, ut Deus et Dóminus noster Jesus Christus éruat eos ab erróribus univérsis: et ad sanctam matrem Ecclésiam Cathólicam atque Apostólicam revocáre dignétur.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui salvas omnes hómines et néminem vis períre; réspice ad ánimas diabólica fraude decéptas: ut omni hærética pravitáte depósita, erántium corda resipíscant, et ad veritátis tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum.

[3]Oratio.

ORÉMUS et pro pérfidis Judæis: ut Deus et Dóminus noster áuferat velámen de córdibus eórum: ut et ipsi agnóscant Jesum Christum Dóminum nostrum.

Orémus.

Non dicitur hic Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui etiam Judáicam perfídiam a tua misericórdia non repéllis; exáudi preces nostras, quas pro illíus pópuli obcæcatióne deférimus; ut ágnita veritátis tuæ luce, quæ Christus est, a suis ténebris eruátur. Per eúndem.

[4]Oratio.

ORÉMUS et pro Pagánis: ut Deus omnípotens áuferat iniquitátem de córdibus eórum; ut relíctis idólis suis, convertántur ad Deum vivum et verum, et únicum Fílium ejus Jesum Christum Deum et Dóminum nostrum. Cum quo vivit et regnat cum Spíritu Sancto Deus. Per ómnia sæcula sæculórum.

Orémus. Flectámus génua. Leváte.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui non vis mortem peccatórum, sed vitam semper inquíris; súscipe propítius oratiónem nostram: et líbera eos ab idolórum cultúra; et ággrega Ecclésiæ tuæ sanctæ ad laudem et glóriam nóminis tui. Per Dóminum.

Finitis Orationibus, exuat sacerdos casulam, et [5]in sede sua juxta altare se reponat[5] cum diacono et subdiacono; et interim alii

[1] Pro quacunque tribulatione.—26.
[2] Pro hæreticis.—26.
[3] Pro perfidis Judæis.—26.
[4] Pro paganis.—26.
[5] illam in sede sua juxta altare reponat.—94. 97.

duo presbyteri de superiori gradu, nudatis pedibus, albis induti absque [1]paruris,[1] tenentes crucem coopertam super brachia solemniter inter eos retro magnum altare in dextera parte [2]canant[2] hos Versus, Pópule meus. Duo diaconi de secunda forma in capis suis nigris ad gradum chori ad altare conversi dicant Agyos. Chorus respondeat cum genuflexione osculando formulas tribus vicibus in una responsione, unaquaque vice resurgendo, Sanctus Deus. Sacerdotes vero tenentes crucem retro altare, et diaconi ad gradum chori dicentes Agyos semper sint stantes. Item sacerdotes, loco non mutato, dicant Versum, Quia edúxi. Diaconi, Agyos. Chorus, Sanctus Deus. Item sacerdotes, loco non mutato, dicant Versum, Quid ultra. Diaconi, Agyos. Chorus, Sanctus Deus.

Deinde sacerdotes discooperientes crucem juxta altare in dextera parte, canant hanc Antiphonam, Ecce lignum. Chorus cum genuflexione osculando formulas respondeat [3]Antiphona,[3] Crucem tuam. Psalmus, Deus misereátur nostri. Totus Psalmus dicatur sine Glória Patri, a toto choro; et post unumquemque Versum repetatur Antiphona similiter a toto choro cum genuflexione; et interim deponatur crux solemniter super [4]tertium gradum ab altari juxta quam[4] sedeant prædicti sacerdotes, unus a dextris et alius a sinistris.

Deinde procedant clerici ad crucem adorandam nudatis pedibus, incipientes a majoribus.

Finito Psalmo cum Antiphona, cantetur sequens hymnus a duobus sacerdotibus interim sedentibus juxta crucem modo supradicto.

Hymnus, Crux fidélis. Chorus eundem repetat post unumquemque Versum interim sedendo. Item sacerdotes dicant Pange lingua. ℣. De paréntis. ℣. Hoc opus. ℣. Quando venit. ℣. Lustra sex. ℣. Hic acetum. [5]℣. Flecte ramos. ℣. Sola digna.[5] ℣. Glória et honor.

His finitis, deportetur crux per medium chori a prædictis duobus sacerdotibus ubi a populo adoretur ante aliquod altare; et interim cantetur hæc sequens Antiphona in choro cum suo Versu a toto choro interim sedente. Cantor incipiat Antiphonam, Dum fabricátor. ℣. O admirábile. Aperto.

Antiphona Popule meus *etc., et Hymnus* Pange Lingua *e Graduali excerpto.*

Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi; quia edúxi te de terra Egýpti, parásti crucem Salvatóri tuo.

Agyos O Theos, Agyos Iskyros, Agyos Athánatos, Eléyson ymas.

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortális, miserére nobis.

Quia edúxi te per desértum quadragínta annis, et manna cibávi te, et introdúxi in terram satis bonam, parásti crucem Salvatóri tuo.

[1] parutis.—13. 15. Grad. paratis.—97. 26.
[2] cantent.—13. Grad.
[3] hoc modo.—Grad.
[4] gradum altaris juxta quem.—Grad.
[5] non habent 92. 94. 98. 4L. 8RM. 57. Grad. neque Processionalia quæ vidimus.

Quid ultra débui fácere tibi, et non feci? ego quidem plantávi te, vínea mea, fructu decóra, et tu facta es mihi nimis amára; acéto namque mixto cum felle sitim meam potásti, et láncea perforásti latus Salvatóris tui.

Ecce lignum crucis in quo salus mundi pepéndit, veníte adorémus.

Crucem tuam adorámus, Dómine, et sanctam resurrectiónem tuam laudámus et glorificámus; ecce enim propter crucem venit gáudium in univérso mundo.

CRUX fidélis inter omnes
arbor una nóbilis
Nulla sylva talem profert
fronde, flore, gérmine;
Dulce lignum, dulces clavos,
dulce pondus sústinet.

PANGE, lingua, gloriósi
prælium certáminis,
Et super crucis trophæum
dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor orbis
immolátus vícerit.

De paréntis protoplásti
fraude facta cóndolens,
Quando pomi noxiális
morte morsu córruit,
Ipse lignum tunc notávit
damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
ars ut artem fálleret;
Et medélam ferret inde
hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
natus orbis cónditor,
Atque ventre virginíali
caro factus pródiit.

Lustra sex qui jam perácta
tempus implens córporis,
Se volénte natus ad hoc
passióni déditus,
Agnus in cruce levátur
immolándus stípite.

Hic acétum, fel, arúndo,
sputa, clavis, láncea;
Mite corpus perforátur,
sanguis unda prófluit;
Terra, pontus, astra, mundus,
quo lavántur flúmine.

Glória et honor Deo
usquequo altíssimo;
Una Patri Filióque
ínclito Paráclito
Cui laus est et potéstas
per ætérna sæcula.

Dum fabricátor mundi mortis supplícium paterétur in cruce, clamans voce magna trádidit spíritum, et ecce velum templi scissum est, monuménta apérta sunt, terræ motus enim factus fúerat magnus, quia mortem Fílii Dei clamábat mundus se sustinére non posse.

Apérto ergo mílitis láncea látere crucifíxi Dómini, exívit sanguis et aqua, in redemptiónem salútis nostræ.

O admirábile prétium cujus póndere captívitas redémpta est mundi, tártarea confrácta sunt claustra inférni, apérta est nobis jánua regni. Apérto ergo.

⁂

Adorata cruce et finita Antiphona prædicta cum suo Versu; prædicti sacerdotes ea reverentia qua crucem antea [1]exportaverunt,[1] per medium chori usque ad summum altare iterum reportent.

Tunc conveniant omnes clerici [2]de choro ad altare,[2] et reinduat sacerdos casulam quam prius exuerat, et accedat ad gradum altaris cum diacono et subdiacono, et dicat Confíteor et Misereátur et Absolutiónem cum Precibus et Oratione Aufer a nobis, Dómine, more solito: tamen hic non detur osculum pacis.

Deinde sacrificio super altare more solito deposito et incensato cum aquæ et vini infusione in calicem; scilicet post ablutionem manuum, dicat cum humiliatione coram altari, In spíritu humilitátis, et cætera, osculando altare et benedicendo sacrificium; et vertat se dicendo, Oráte fratres, more solito.

Postea dicat statim humili voce sine nota Orémus. Præcéptis salutáribus cum Oratione dominicali, scilicet Pater noster. Chorus respondeat, Sed líbera nos a malo. Deinde dicat, Líbera nos, quæsumus et Da propítius. In qua Oratione, [3]dum dicitur Per eúndem,[3] frangat corpus Domini sicut solet fieri cæteris diebus. Deinde dicat modesta voce, videlicet sine nota, Per ómnia sæcula sæculórum. Chorus respondeat, Amen.

Postea demittat in calicem, sicut solet, partem hostiæ.

Non dicitur Pax Dómini, nec Agnus Dei, nec Pax detur; sed statim communicet se sacerdos, dicendo, Corpus Dómini *etc*. Ad corpus et sanguinem. Corpus et sanguis Dómini nostri Jesu Christi custódiat nos in vitam ætérnam. Amen, nulla præcedente Oratione.

Deinde [4]post lotionem manuum[4] dicant Vesperas, non cantando: sed bini et bini privatim coram altari hoc modo; Antiphona, Cálicem. Psalmus, Crédidi propter quod, et cæteræ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in die Cœnæ. Antiphona, Cœnántibus autem. Psalmus, Magníficat. Deinde [5]stando[5] dicitur Pater noster cum Psalmo Miserére mei. Quo finito, dicat sacerdos in audientia, sed sine nota, Postcommunionem sine Dóminus vobíscum et sine Orémus, hoc modo incipiens, Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam, sine Qui tecum. Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur.

Non dicitur Dóminus vobíscum nec Benedicámus Dómino nec Ite, missa est.

Finitis Vesperis, exuat sacerdos casulam; et assumens secum unum de prælatis in superpelliciis, amborum pedibus nudatis, reponat crucem in sepulchrum pariter cum Corpore Dominico; scilicet in pixide; incipiens ipse solus Responsorium, Æsti-

[1] asportaverunt.—94. 97.
[2] in choro.—Grad.
[3] non habent 92. 94. 98.
[4] non habent 92. 94. 98.
[5] statim.—26.

mátus sum,[1] genuflectendo cum suo socio. Quo incepto, statim surgant. Similiter fiat in Responsorio, Sepulto Domino.[2] Chorus prosequatur cum suo Versu, genuflectendo continue usque in finem servitii.

Deinde incensato sepulchro et clauso ostio incipiat idem sacerdos Responsorium, Sepulto. Chorus cantet cum suo Versu. Ad istas tres Antiphonas genuflectent duo prædicti sacerdotes continue. Sacerdos incipiat Antiphonam, In Pace.[3] Chorus prosequatur, in idipsum. Item sacerdos Antiphonam, In pace factus est. Chorus prosequatur, locus ejus. Item sacerdos Antiphonam, Caro mea. Chorus prosequatur requiescet in spe.[2] [3]

His finitis, et dictis Orationibus ad placitum secrete ab omnibus cum genuflexione, omnibus aliis ad libitum recedentibus, ordine non servato, reinduat sacerdos casulam, et eodem ordine quo accessit in principio servitii cum diacono et subdiacono et cæteris ministris altaris abscedat.

Exinde ardebit continue unus cereus ad minus ante sepulchrum usque ad processionem quæ fit in Resurrectione Dominica in die Paschæ. Ita tamen quod dum Psalmus Benedíctus canitur et cætera quæ sequuntur in sequenti nocte, extinguatur. Similiter extinguatur in Vigilia Paschæ dum benedicitur novus ignis usque dum accendatur Cereus Paschalis xxxvi. pedes continens in longitudine.

[1] Ps. 87 Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.
℣. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis. Factus.—Grad.

[2] Sepulto Domino signatum est monumentum. Volventes lapidem ad ostium monumenti. Ponentes milites qui custodirent illud. ℣. Ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis. Ponentes. Et chorus prosequatur totum Responsorium cum suo Versu. Ibidem dicat sacerdos Antiphonam, In pace in idipsum. Chorus respondeat, Dormiam et requiescam. Sacerdos dicat Antiphonam, In pace factus est. Chorus prosequatur, Locus ejus, et in Syon habitatio ejus. Sacerdos dicat Antiphonam, Caro mea. Chorus, Requiescet in spe. Ad istas Antiphonas genuflectent prædicti duo sacerdotes continue.—Grad.

[3] Antiphona, In pace factus est. Antiphona, Caro meo—92. 94. 97. 98.

Sabbato Sancto in Vigilia Paschæ.

[1] [2]Primo fiat benedictio ignis[2] ab executore officii induto vestibus sacerdotalibus cum capa serica; diaconus dalmatica et subdiaconus tunica induantur, cum cæteris ministris altaris albis [3]cum amictibus[3] indutis, sine lumine, [4]cum[4] cereis et sine cruce et sine igne in thuribulo. Quidam etiam de prima forma in superpellicio cereum extinctum super hastam quandam deferens et [5]processionem[5] præcedens post portitorem aquæ benedictæ per medium chori ad novum ignem benedicendum processionaliter eat, choro sequente habitu non mutato; et ad columnam ex parte australi juxta fontem ubi sacerdos executor officii ignem benedicat qui accendatur ibidem; scilicet in medio inter duas columnas. In eundo vero dicitur iste Psalmus, Dóminus illuminátio, sine nota et sine Glória Patri.

[6]Hoc modo fiat statio ad ignem. Sacerdos juxta ignem stet, ad orientem conversus, et ad sinistrum ejus stet diaconus; subdiaconus vero ad sinistrum diaconi. Ceroferarius unus stet sacerdoti oppositus; ad dexteram ceroferarii puer tenens librum proximior sacerdoti. Alius autem ceroferarius stet retro sacerdotem. Ad dextrum ejusdem ceroferarii stet portitor aquæ proximior sacerdoti, et ultimo loco retro omnes a parte occidentali stet portitor hastæ cum cereo. Et ex parte ignis australi stet thuribularius ad accipiendum ignem in thuribulari post benedictionem; omnibus istis ministris ad sacerdotem conversis, interim choro circumstante, videlicet ex parte boreali. Sequatur benedictio ignis solemniter a sacerdote, ita dicente[6] Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

DÓMINE Deus noster, [7]Pater[7] omnípotens, lumen indeficiens, cónditor ómnium lúminum; exáudi nos fámulos tuos, et béne✠dic hunc ignem qui tua sanctificatióne [8]ac[8] benedictióne consecrátur: tu illúminans omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, illúmina consciéntias cordis nostri igne tuæ charitátis; ut [9]tuo igne igníti,[9] tuo lúmine illumináti, expúlsis a córdibus nostris peccatórum ténebris, ad vitam te illustránte perveníre mereámur ætérnam; [10]et sicut illumináisti ignem Moysi fámulo tuo per colúmnam ignis ambulántem in mari rubro; ita illústra nostrum lumen, et candéla quæ de eo fúerit accénsa; in honóre majestátis tuæ semper persevéret benedícta; et quicúmque lumen ex eo portáverit, sit

[1] Congregatis clericis in choro dictaque hora nona.—97. 13. 26. Grad.
[2] Inprimis eat processio usque ad locum ubi novus ignis benedicendus est.—Grad.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] in.—92. 94. 97. 98.
[5] processio.—92. 98. 4L. 13. 57. Grad.
[6] Omnibus ministris rite dispositis circa ignem, executor officii dicat.—92. 94. 98.
[7] non habent 92. 94. 97. 98.
[8] atque.—92. 94. 97. 98.
[9] non habet 98.
[10] non habent 92. 97. 98.

illuminátus lúmine grátiæ spiritális.[10] Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium qui tecum vivit et regnat Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Et omnes Orationes dicuntur cum Orémus, sub tono lectionis. Hic aspergatur aqua benedicta super ignem. Deinde dicatur, Dóminus vobíscum. Orémus.

Oratio.

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, bene✠dícere et sancti✠ficáre dignéris istum ignem; quem nos indígni per invocatiónem unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi bene✠dícere præsúmimus. Tu, clementíssime [1]Pater,[1] eum tua bene✠dictióne sanctífica; et ad proféctum humáni géneris [2]pervenire[2] concéde. Per eúndem.

Oratio.

CŒLÉSTI lúmine, quæsumus, Dómine, semper [3]hic[3] et ubíque nos præveni; ut mystérium, cujus nos partícipes esse voluísti, et puro cernámus intúitu et digno percipiámus efféctu. Per Dóminum.

Sequatur Benedictio Thymiamatis sive incensi hoc modo.

EXORCÍZO te, immundíssime spíritus et omne phantásma inimíci, in nómine Dei Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu Christi Fílii ejus, et in virtúte Spíritus Sancti; ut éxeas et recédas ab hac creatúra thymiamátis sive incénsi cum omni fallácia atque nequítia tua; ut sit hæc creatúra sancti✠ficáta in nómine[4] Dómini nostri Jesu Christi; ut omnes gustántes, tangéntes, sive odoránte eam, virtútem et auxílium percípiant Spíritus Sancti; ita ut ubicúnque hoc incénsum vel thymiáma fúerit, ibídem nullaténus appropinquáre áudeas nec advérsa inferre præsúmas; sed quicúnque, spíritus immúnde, es, cum omni versútia tua procul inde fúgias atque discédas, adjurátus per nomen et virtútem Dei Patris omnipoténtis et Fílii [5]ejus[5] Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est in Spíritu Sancto judicáre vivos et mórtuos et te prævaricatórem et sæculum per ignem.

Respondeatur, Amen.[6]

Oratio.

ÆTÉRNAM ac justíssimam pietátem tuam deprecámur, [7]Dómine, sancte Pater,[7] omnípotens ætérne Deus; ut bene✠dícere [8]et sancti✠ficáre[8] dignéris hanc thymiamátis vel incénsi spéciem; ut sit incénsum majestáti tuæ in odórem suavitátis accéptum; sit a te spécies hæc bene✠dícta, sit per invocatiónem sancti nóminis tui [9]sancti✠ficáta[9]; ita ut ubicúmque fumus ejus pervénerit, extricétur et effugétur omne genus dæmoniórum, sicut [10]incénsum[10] jécoris piscis quem Ráphael archángelus Thóbiam fámulum tuum dócuit cum ascéndit ad Saræ liberatiónem. [11]Per Christum.[11]

Orémus.

[1] non habent 92. 98.
[2] provenire.—92. 94. 98. 4L. 57.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] ejusdem.—92. 94. 98. 4L. 57.
[5] ejusdem—92. 98. 4L. 15. 57.
[6] Oremus.—97. 13. 26.
[7] non habent 92. 98.
[8] non habent 92. 94. 97. 98.
[9] non habent 92. 98.
[10] sic 26. etc. incenso.—34. 55P.
[11] non habent 92. 98.

Oratio.

Descéndat bene✠díctio tua, Dómine, super hanc spéciem incénsi et thymiamátis, sicut in illo de quo David prophéta tuus cécinit, dicens, Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: sit nobis odor consolatiónis, suavitátis et grátiæ; ut fumo isto effugétur omne phantásma [1]inimíci[1] mentis et córporis; ut simus, Pauli apóstoli voce, bonus odor Deo. Effúgiat a fácie incénsi hujus sive thymiamátis omnis dæmónum incúrsus, sicut pulvis a fácie venti et sicut fumus a fácie ignis; et præsta hoc, piíssime Pater, boni odóris incénsum ad opus Ecclésiæ tuæ ob causam religiónis júgiter permanére, ut mýstica nobis significatióne spirituálium virtútum fragrans osténdat odor suavitátem. Tua ergo, quæsumus, omnípotens Deus, [2]imménsa[2] majestátis tuæ déxtera hanc creatúram bene✠dícere ex diversárum rerum commixtióne [3]conféctam[3] dignáre; ut in virtúte sancti nóminis tui omnes immundórum spirítuum phantásticos incúrsus effugáre, omnésque morbos réddita sanitáte expéllere; [4]ut[4] ubicúmque fumus aromátum ejus effláverit, mirabíliter possit, atque in odóre fragrantíssimo tibi perpétua suavitáte redolére. Per Dóminum.

[5]Post benedictionem incensi, impleatur thuribulum de carbonibus cum incenso, et incensetur novus ignis.[5] Postea accendatur [6]solus[6] cereus super hastam de novo igne, cæteris luminaribus ecclesiæ prius extinctis,[7] [8]et impleatur thuribulum de novo igne.[8] [9] [10]Deinde[10] redeat processio more solito in chorum. In redeundo autem, duo clerici de secunda forma in superpelliciis canant Inventor rutili.

Invéntor rútili dux bone lúminis,
Qui certis vícibus témpora dividis,
Merso sole chaos íngruit hórridum,
Lucem redde tuis Christe fidélibus.

Chorus idem repetat post unumquemque versum, ita tamen dum dicti clerici cantant versum, stent gradibus fixis, choro interim eunte, et dum chorus primum versum prosequitur procedant: quod etiam observetur dum canitur Rex sanctorum cum suis Versibus.

Quamvis innúmero sídere régia (regiam),
Lunaríque polum lámpade pínxeris,
Incússu sílicis lúmina nos tamen
Monstras saxígeno sémine quærere.

Ne nescíret homo spem sibi lúminis
In Christi sólido córpore cónditam,
Qui dici stábilem se vóluit Petram,
Nostris ignículis unde genus venit.

Splendet ergo tuis munéribus, Pater,
Flammis mobílibus scílicet átria,
Absentémque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lácero victa fugit peplo,

[1] non habent 92. 98.
[2] immensæ.—92. 94. 97. 98. 57.
[3] infectam.—92. 94. 98. 4L. 57.
[4] non habent 94. 97. 26.
[5] non habent 92. 94. 98.
[6] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.
[7] Post benedictionem incensi, impleatur thuribulum de carbonibus cum incenso, et incensetur novus ignis.—4L. 15. 57.
[8] sic 92. 94. 98. Grad.—non habent 26. etc.
[9] et deferatur in processione ad locum ubi Cereus Paschalis benedictus est.—97. 13. 26. Grad.
[10] et.—92. 94. 97. 98.

Per quem splendet honor, laus, sapiéntia,
Majéstas, bónitas et piétas tua,
Regnum contíneant Númine tríplici,
Texens perpétuis sæcula sæculis.—Grad.

Chorus idem repetat post unumquemque versum. Deinde sequatur Benedictio Cerei Paschalis ab ipso diacono, induto ad processionem, ad borealem converso ad gradum presbyterii; ceroferariis diacono assistentibus, uno a dextris, reliquo a sinistris, ad eum conversis, cereis extinctis. Subdiaconus vero stet ei oppositus, juxta quem stet portitor hastæ eodem modo conversus. Post diaconum stet thuribularius, diacono canente.





in-tra le-vi-ta-rum nu-me-rum ag-
gre-ga-re dig-na - tus est, lu-mi-nis
su - i gra-ti - a in-fun-den-te, ce-
re - i hu-i-us lau - dem im-ple-re
per - fi - ci - at.

Per Domi-num nos-trum Je-sum
Chris-tum Fi-li - um [1] su - um, qui
cum e - o [1] vi -vit et reg-nat, De - us,
in u- ni - ta - te Spi-ri-tus San-cti,
Per om-ni -a sæ - cu-la sæ-cu -lo -
rum. A-men.

Do-mi-nus vo - bis - cum.

Et cum spi-ri- tu tu - o.

Sur - - - sum cor - da.

Ha-be-mus ad Do-mi-num.

Gra - ti - as a - ga - mus Do-
mi- no De - o nos-tro.

Dig - num et jus-tum est.

Ve - re qui- a dig-num et jus-
tum est, in-vi-si-bi-lem De-um om-
ni-po- tentem Pa-trem Fi-li - um -
que e- jus u - ni - ge - nitum Domi-
num nostrum Je-sum Christum cum
San-cto Spi- ri -tu to-to cor-dis ac
men-tis af - - fec-tu et vo-cis minis-
te - ri - o per - so - na - - re.

Qui pro no-bis æ-ter-no Patri

[1] tuum qui tecum.—15.

Adæ de-bi-tum sol-vit, et ve-teris
pi-a-cu-li cau-ti-o-nem pi-o cru-
o--re de-ter--sit.

Hæc sunt e-nim fes-ta pas-
cha-li-a, in quibus ver-us il-le
agnus oc--ci-di-tur e-jus-que san-
guine pos-tes con-se-cran--tur.

Hæc nox est in qua
primum pa-tres nos-tros fi-li-os
Is-ra-el e-duc-tos de Æ-gyp-to
Ru-brum Ma-re sic-co vesti-gi-o
trans-i--re fe-cis-ti.

Hæc i-gi-tur nox est quæ
pecca-to-rum te-ne-bras co-lumnæ
il-lu-mi-na-ti-o-ne pur-
ga---vit.

Hæc nox est quæ
ho-di-e per u-ni-versum mundum in
Chris-to cre-den-tes, a vi-ti-is
sæ-cu-li se-gre-gatos et ca-li-gi-ne
pec-ca-to-rum, red-dit gra-ti-æ,
so-ci-at sancti-ta--ti.

Hæc
nox est in qua destructis vincu-lis
mortis Christus ab in-fe-ris vic-tor
a-scen-dit.

Ni-hil e-nim no-bis nas-ci
pro-fu-it ni-si re-di-mi pro-
fu-is--set.


O mi - ra cir-ca nos

tu - æ pi - e - ta - tis dig- na - -
ti - o.


O in -es - ti - ma - bi-


lis di-lecti - o ca- ri - ta -tis, ut ser-
vum re-dime-res Fi - li - um tra-

di- dis - - ti.


O cer-te ne- ces-sa ri - um


Adæ pec - - ca - tum et nostrum
quod Chris-ti mor-te de - le - -


tum est.

O fe-lix cul-pa quæ ta-lem


ac tan -tum me -ru - it ha bo -re

re- dempto - - - rem.

O cer-te be - a-ta

nox quæ so-la me-ru -it sci-re tempus


et ho-ram in qua Christus ab in-


fe - - ris re - sur-rex - - it.


Hæc nox est


de qua scriptum est et nox ut di-es

il-lu-mi-na-bi-tur et nox il-lu-mi-na-


ti - o me - a in de-li - ci - is

me - - is.


Hu - i- us i - gi-tur sancti-


fi-ca- ti- o noctis fu - gat sce-


le-ra, culpas la-vat et reddit inno-


cen-ti-am lap-sis et mæs-tis læ-


ti- ti -am, fu - gat o-di - a, concor-



Hic ponatur incensum a diacono in cereum vel in candelabrum in modum crucis. [1]Similiter et in parvum cereum, portitore accedente.[1]





Hic accendatur cereus de novo igne, [2]nec extinguatur usque post Completorium diei sequentis. Et ardebit cereus Paschalis continue per hebdomadam Paschalem ad Matutinas et ad Missam et ad Vesperas. Similiter fiat in Octavis Paschæ. Omnibus vero Dominicis ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, ad Missam tantum accendatur, etiam in festo sancti Marci Evangelistæ, Apostolorum Philippi et Jacobi ad Missam tantum. In Annunciatione beatæ Mariæ et in Inventione sanctæ Crucis, sicut in Octavis Paschæ accendatur.[2] Hic ceroferarii cereos suos accendant per ecclesiam.



[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

lampa-dis apis ma - ter e - dux-it.

O

be- a - ta nox quæ exspo- li -a-vit Æ-

gypti - os, di-ta-vit Hebræ-os : nox

in qua ter-re- nis cœ - les- ti - a

jungun - tur.

O - - - - ra - - mus te

Do - - mi - ne ut ce-re - us is - te in

ho- no - - rem nominis tu - i con-

se - cra - tus ad noc-tis hu - jus

ca-li-gi-nem destru-en-dam in - de- fi-

ci - ens per- se - ve - - - ret.

In o - do - rem su - a - vi - ta -tis

[1]ac-cep - tus[1] su-per - nis lu-mi-na-

ri - bus mis - ce - a - - tur.

Flam-mas ej - us Lu - ci-fer ma-

tu- ti - - nus in -ve - - ni - at.

Il - le in-quam Lu - ci-fer qui

nescit oc - ca - - sum.

Il - - - - le qui regres-sus ab

in- fe-ris hu- ma- no ge-ne- ri se-re-

nus il - lux - - it.

Pre - - - ca - mur er - go te

Do - mi - ne ut nos fa- mu-los tu-

os om -nem cle-rum et de-vo-tis-si-

mum po-pulum u -na cum pa - tre

[1] accensus.—97. 26.





[1]Finita benedictione cerei Paschalis, sacerdos completurus Officium, indutus casula, ad altare [2]autentica[2] assumpta, cum suis ministris, ad altare accedat, confessione jam non dicta, sed tantum Pater noster; et osculando altare cum suis ministris eat sessum; abscedat cereus super hastam; minister vero qui alium cereum defert ad sinistrum cornu altaris, stet supra gradum ad austrum conversus, quousque finiatur Septiformis Letania.[1] [3]Debet autem candelabrum cum Cereo Paschali amoveri feria sexta post Ascensionem Domini.[3] Postea legantur lectiones absque titulis a dignioribus personis ad gradum chori.

Lectio prima.
Gen. 1 et 2

In princípio creávit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ erant super fáciem abýssi: et Spíritus Dómini ferebátur super aquas. Dixítque Deus; Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem Diem, et ténebras Noctem: factúmque est véspere et mane dies unus. Dixit quoque Deus; Fiat firmaméntum in médio aquárum: et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas quæ erant sub firmaménto ab his quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Cœlum: et factum est véspere et mane dies secúndus. Dixit vero Deus; Congregéntur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum

[1] habentur hæc in 94. 97. 13. 26.
[2] sic Missalia; rectius autem Processionale *autenticum*.
[3] non habent 92. 94. 98. Grad.

unum, et appáreat árida. Factúmque est ita. Et vocávit Deus áridam Terram, congregationésque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait; Gérminet terra herbam viréntem et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem, et afferéntem semen juxta genus suum, lignúmque fáciens fructum et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum; factúmque est véspere et mane dies tértius. Dixit autem Deus; Fiant luminária in firmaménto cœli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora et dies et annos: ut lúceant in firmaménto cœli, et illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna: lumináre majus ut præésset diéi et lumináre minus ut præésset nocti, et stellas. Et pósuit eas in firmaménto cœli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane dies quartus. Dixit étiam Deus; Próducant aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cœli. Creávitque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum; benedixítque eis, dicens; Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris, avésque multiplicéntur super terram. Et factum est véspere et mane dies quintus. Dixit quoque Deus; Prodúcat terra ánimam vivéntem in génere suo, juménta et reptília et béstias terræ secúndum spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta spécies suas, juménta et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum; et ait; Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram: et præsit píscibus maris, et volatílibus cœli, et béstiis, [1]universæque terræ,[1] omníque réptili quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem et similitúdinem suam: ad imáginem Dei creávit illum: másculum et féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, et ait; Créscite et multiplicámini, et repléte terram et subjícite eam, et dominámini píscibus maris et volatílibus cœli, et univérsis animántibus quæ movéntur super terram. Dixítque Deus; Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérsa ligna quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam: cunctis animántibus terræ, omníque volúcri cœli, et univérsis quæ movéntur in terra et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. Et factum est véspere et mane dies sextus. Igitur perfécti sunt cœli et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: et requiévit die séptimo ab univérso ópere suo quod patrárat.

Omnes Orationes sine Dóminus vobíscum et sine Flectámus génua. Leváte dicuntur, sed tantum cum Orémus.

Oratio.

DEUS, qui mirabíliter creásti hóminem et mirabílius redemísti; da nobis quæsumus, contra oblectaménta peccáti mentis ratióne persístere, ut mereámur ad gáudia ætérna perveníre. Per.

[1] universæque creaturæ.—57. terræ universæque creaturæ.—97. 26.

Lectio secunda.
Exod. 14 et 15

FACTUM est in vigília matutína, et ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per colúmnam ignis et nubis, interfécit exércitum eórum: et subvértit rotas cúrruum, ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægýptii: Fugiámus Israélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Moysen: Exténde manum tuam super mare, et revertántur aquæ ad Ægýptios super currus et équites eórum. Cumque extendísset Moyses manum contra mare, revérsum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibúsque Ægýptiis occurrérunt aquæ, et invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversæque sunt aquæ, et operuérunt currus et équites cuncti exércitus Pharaónis, qui sequéntes ingréssi fúerant mare: nec unus quidem supérfuit ex eis. Fílii autem Israel perrexérunt per médiam sicci maris, et aquæ erant eis quasi pro muro a dextris et a sinístris: liberavítque Dóminus in die illa Israel de manu Ægyptiórum. Et vidérunt Ægýptios mórtuos super littus maris, et manum magnam quam exercúerat Dóminus contra eos: metuítque pópulus Dóminum, et credidérunt Dómino et Móysi servo ejus. Tunc cécinit Moyses et fílii Israel carmen hoc Dómino, et dixérunt.

Omnes Tractus dicuntur a choro alternatim, præter ultimum Tractum, scilicet Laudáte.[1]

Tractus. Exod. 15 Cantémus Dómino, glorióse enim honorificátus est; equum et ascensórem projécit in mare; adjútor et protéctor factus est mihi in salútem.

℣. Hic Deus meus et honorificábo eum: Deus Patris mei et exaltábo eum.

℣. Dóminus cónterens bella; Dóminus nomen est illi.

Orémus. Oratio.

DEUS cujus antíqua mirácula étiam nostris sæculis coruscáre sentímus; dum quod uni pópulo a persecutióne Ægyptíaca liberándo déxteræ tuæ poténtiam contulísti, id ad salútem géntium per aquam regeneratiónis operáris: præsta, quæsumus, ut et in Abrahæ fílios et in Israelíticam dignitátem totíus mundi tránseat plenitúdo. Per.

Lectio tertia.
Esai. 4

APPREHÉNDENT septem mulíeres virum unum in die illa, dicéntes; Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátio his qui salváti fúerint de Israel. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Hierúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Hierúsalem. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Hierúsalem láverit de médio ejus in spíritu judícii et spíritu ardóris. Et creávit Dóminus super omnem locum Montis Sion, et ubi invocátus est, nubem per diem, et fumum et splendórem ignis flammántis in nocte. Super omnem enim glóriam protéctio; et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, et in securitátem et absconsiónem a túrbine et a plúvia.

[1] Ita quod primus Tractus incipiatur ex parte chori legentis Lectionem. Deinde incipiatur alternatim.—94. 97. 13. 26.

Tractus. Esai. 5 Vínea facta est dilécto[1] in cornu in loco úberi.
℣. Et macériam circúmdedit, et circumfódit, et plantávit víneam Soreth, et ædificávit turrim in médio ejus.
℣. Et tórcular fodit in ea: vínea enim Dómini Sábaoth domus Israel est.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui nos ad celebrándum Paschále sacraméntum, utriúsque testaménti páginis imbuísti: da nobis intellígere misericórdias tuas, ut ex perceptióne præséntium múnerum, firma sit exspectátio futurórum. Per Dóminum.

Lectio quarta.
Deut. 31

SCRIPSIT Móyses cánticum, et dócuit fílios Israel. Præcepítque Dóminus Jósue fílio Nun, et ait; Confortáre, et esto robústus: tu enim introdúces fílios Israel in terram quam pollícitus sum pátribus eórum, et ego ero tecum. Postquam ergo scripsit Móyses verba legis hujus in volúmine atque complévit: præcépit Levítis qui portábant arcam fœderis Dómini, dicens; Tóllite librum istum, et pónite illum in látere arcæ fœderis Dómini Dei nostri: ut sit contra te ibi in testimónium. Ego enim scio contentiónem tuam, et cervícem tuam duríssimam. Adhuc vivénte me et ingrediénte vobíscum, semper contentióse egístis contra Dóminum: quanto magis cum mórtuus fúero? Congregáte ad me omnes majóres natu per tribus vestras atque doctóres, et loquar audiéntibus eis sermónes istos, et invocábo contra eos cœlum et terram. Novi enim quod post mortem meam iníque agétis, et declinábitis cito de via quam præcépi vobis: et occúrrent vobis mala in extrémo témpore, quando fecéritis malum in conspéctu Dómini, ut irritétis eum per ópera mánuum vestrárum. Locútus est ergo Móyses audiénte univérso cœtu filiórum Israel, verba cárminis hujus, et ad finem usque complévit.

Tractus. Deut. 32 Atténde cœlum et loquar: et áudiat terra verba ex ore meo.
℣. Expectétur sicut plúvia elóquium meum: et descéndant sicut ros verba mea: sicut imber super grámina.
℣. Et sicut nix super fœnum: quia nomen Dómini invocábo.
℣. Date magnitúdinem Deo nostro: Deus verax ópera ejus: et omnes vias ejus judícia.
℣. Deus fidélis in quo non est iníquitas: justus et sanctus Dóminus.

Sequatur Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam semper géntium vocatióne multíplicas: concéde, propítius, ut quos aqua baptísmatis ábluis, contínua protectióne tueáris. Per Dóminum.

Hanc Orationem non sequatur Lectio sed Tractus.

Ps. 41 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.
℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum, quando véniam et apparébo ante fáciem Dei mei.
℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus.

Deinde sequantur duæ Orationes sub uno Per Dominum et sub uno Orémus.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui festa Paschália ágimus, cœléstibus desidériis accénsi, fontem vitæ

[1] meo.—92. 98.

sitiámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, réspice propítius ad devotiónem pópuli renascéntis, qui sicut cervus aquárum éxpetit fontem: et concéde propítius, ut fídei ipsíus sitis baptísmatis mystério ánimam corpúsque sanctíficet. Per Dóminum.

Deinde sequatur Septiformis Letania, quæ in medio chori a septem pueris in superpelliciis dicitur; et interim exuat sacerdos casulam et sumat capam sericam rubeam adhuc stando ante altare, donec percantetur Letania etc. ut in Processionalibus continetur.

❊

Postea sequatur Septiformis Letania quæ in medio chori a septem pueris in superpelliciis dicitur, et interim Kýrie eléyson. Christe eléyson. Christe, audi nos. Sancta María, ora pro nobis. Finita hac Letania, statim incipiant Quinquepartita Letania quæ a quinque Diaconis dicantur in superpeliciis. Cum qua eat processio ad fontes benedicendos. Completa Benedictione Fontium, tres clerici de superiori gradu in capis sericis cantent hanc Letaniam. Chorus idem repetat post unumquemque versum. Clerici versus.

REX sanctórum angelórum,
totum mundum ádjuva.
Ora primum tu pro nobis,
Virgo mater Gérminis.
Et minístri Patris summi
Ordines angélici.
SUPPLICÁTE Christo regi
Cœtus apostólici.
Supplicétque permagnórum
sanguis fusus mártyrum.
IMPLORÁTE confessóres
consonæque vírgines.
Quo donétur magnæ nobis
tempus indulgéntiæ.
OMNES sancti atque justi,
nos precámur cérnui,
Ut purgétur crimen omne
vestro sub orámine.
HUJUS, Christe Pastor alme,
plebis vota súscipe,
Qui plasmásti protoplástum
et genus gignéntium.
PRÆSTA Patris atque Nati
compar Sancte Spíritus,
Ut te solam semper omni
diligámus témpore.—*Grad.*

Ad lectoris commodum, Letaniæ et Benedictio Fontium exhibentur e Processionalibus.

Kýrie eléyson.
Christe eléyson.
Christe audi nos.
Sancta María, Ora pro nobis
Sancta Dei génetrix, . . .
Sancta Virgo vírginum, . . .
Sancte Míchael, . . .
Sancte Gábriel, . . .
Sancte Ráphael, . . .
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte . . .
Sancte Johánnes Baptísta, ora . . .
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte . . .
Sancte Petre, ora . . .
Sancte Andréa, . . .
Sancte Johánnes, . . .
Sancte Jacobe, . . .
Sancte Philíppe, . . .
Sancte Bartholomæe, . . .
Sancte Mathæe, . . .

Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte . . .
Sancte Stéphane, ora . . .
Sancte Line, . . .
Sancte Clete, . . .
Sancte Laurénti, . . .
Sancte Vincénti, . . .
Sancte Sixte, . . .
Sancte Dionýsi cum sóciis, . . .
Omnes sancti mártyres, oráte . . .
Sancte Sylvéster, ora . . .
Sancte Gregóri, . . .
Sancte Hílari, . . .
Sancte Martíne, . . .
Sancte Remígi, . . .
Sancte Audoene, . . .
Sancte Augustíne, . . .
Omnes sancti confessóres, oráte . . .
Sancta María Magdaléna, ora . . .
Sancta Felícitas, . . .
Sancta Perpétua, . . .
Sancta Agatha, . . .
Sancta Agnes, . . .
Sancta Cæcília, . . .
Sancta Scolástica, . . .
Omnes sanctæ vírgines, oráte pro nobis.
Omnes sancti, oráte pro nobis.

Si episcopus præsens fuerit, indutus capa serica stet in sede sua dum prædicta Letania canitur.

Finita hac Letania, statim incipiatur Quinquepartita Letania, quæ a quinque diaconis (quinto diacono 23) in medio chori in superpelliciis (superpellicio 23) de secunda forma dicatur, et finiatur sub tono supradicto. Cum perventum fuerit ad hanc prolationem Sancta María, statim eat processio ad fontes benedicendos, hoc ordine. In primis acolitus crucem ferens, alba et tunica indutus; post eum vero duo ceroferarii in albis cum amictibus; deinde thuribularius in simili habitu; post eum vero duo pueri in superpelliciis, pariter incedentes, unus ferens librum, alius a dextris ejus ferens cereum ad fontes benedicendos; deinde duo diaconi de secunda forma albis cum amictibus induti pariter incedentes, unus ferens oleum, alius a dextris ejus ferens chrisma; deinde subdiaconus tunica; et deinde subdiaconus in dalmatica; deinde Sacerdos in capa serica rubea: clero itaque sequente habitu non mutato; ex australi latere ecclesiæ procedendo ad fontes veniant, prædictis diaconis Letaniam canentibus, de singulis ordinibus quinque in medio clericorum de secunda forma post executorem officii, hoc modo. Sequatur Letania.

Kýrie eléyson.
Christe eléyson.
Christe audi nos.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei génetrix, . . .
Sancta virgo vírginum, . . .
Sancte Míchael, . . .
Sancte Gábriel, . . .
Sancte Ráphael, . . .
Omnes sancti Angeli et Archángeli Dei oráte . . .
Sancte Johánnes Baptísta, ora . . .
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ oráte . . .
Sancte Paule, ora . . .
Sancte Jacobe, . . .
Sancte Thoma, Sancte Symon, . . .
Sancte Thaddǽe, . . .
Omnes sancti apóstoli et evangelístæ, oráte . . .
Sancte Clemens, ora . . .
Sancte Cornéli, . . .
Sancte Cypriáne, . . .
Sancte Sebastiáne, . . .
Sancte Maurici cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Omnes sancti mártyres, oráte . . .
Sancte Benedícte, ora . . .

Sancte Nicholáe, . . .
Sancte Germáne, . . .
Sancte Románe, . . .
Sancte Adélme, . . .
Sancte Augustíne, . . .
Omnes sancti confessóres, oráte . . .
Sancta Lúcia, ora . . .
Sancta Petronílla, . . .
Sancta Katherína, . . .
Sancta Christína, . . .
Sancta Brigítta, . . .
Omnes sanctæ vírgines, oráte . . .
Omnes sancti, . . .

In his duabus Letaniis non dicatur Pater de cœlis neque Fili Redémptor mundi Deus neque Spíritus Sancte Deus neque Sancta Trinitas, unus Deus.

Item Gelasius Papa ostendit dicens; Quia ipse qui Pater et Filius et Spiritus Sanctus, una persona in Trinitate (Unitate 23) et tres personæ in Unitate, et in sepulchro se custodiri mittitur, omnino dicit adhuc surrexerat a mortuis qui voluit prophetiam implere, sed jacuit in sepulchro usque ad tertium diem, quod bene istæ prædictæ quatuor clausulæ in his Letaniis possent prætermitti.

Hoc modo fiat statio ad fontes ex parte occidentali, donec percantetur Letania, scilicet ad gradum fontis ex parte occidentali stet sacerdos, retro quem stent quinque diaconi Letaniam cantantes, deinde ad alium gradum fontis ex parte orientali puer librum ferens, deinde diaconus, deinde subdiaconus, deinde oleum et chrisma, deinde portitor cerei fontis, deinde thuribularius, deinde oleum, ceroferarius, exinde duo acoliti crucem ferentes, omnibus ad orientem conversis.

Executor officii, conversus ad orientem, fontes benedicendo, assistat minister juxta fontem circumstans ordinate scilicet a dextris, juxta sacerdotem stet diaconus, subdiaconus vero a sinistris; qui fert chrisma stet juxta diaconum, qui vero fert crucem stet sacerdoti opposito ad eum conversus, juxta quem eodem modo stent ceroferarii duo, post ceroferarium et thuribularium, qui vero fert cereum inter diaconum et chrisma, puer autem ferens librum stet inter diaconum (sic 28, 55, 193. subdiaconum 23) et oleum; episcopus tamen, si præsens fuerit, a tergo canentium Letaniam ut in aliis Processionibus semper in fine ultimum locum tenet.

Deinde executor officii ad fontes incipiat ut sequitur.

Dóminus vobíscum. Chorus. Et cum spíritu tuo. Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, adésto magnæ pietátis mystériis, adésto sacraméntis, et ad recreándos novos pópulos quos tibi fons baptismátis partúrit, Spíritum adoptiónis emítte, ut quod nostræ humilitátis geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur prosequatur ut sequitur efféctu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus.

Per ómnia sæcula sæculórum.
Amen.
Dóminus vobíscum.
Et cum spíritu tuo.
Sursum corda.
Habémus ad Dóminum.
Grátias agámus Dómino Deo nostro.
Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, qui invisíbili poténtia sacramentórum tuórum mirabíliter operáris efféctum.

Et licet nos tantis mystériis exsequéndis

simus indígni, tu tamen grátiæ tuæ dona non déserens, étiam ad nostras preces aures tuæ pietátis inclínes.

Deus, cujus Spíritus super aquas inter ipsa mundi primórdia ferebátur, ut jam tunc virtútem sanctificatiónis aquárum natúra concíperet:

Deus, qui nocéntis mundi crímina per aquas ábluens regeneratiónis spéciem in ipsa dilúvii effusióne signásti, ut uníus ejusdémque eleménti mystério, et finis esset vítiis et orígo virtútibus:

Réspice, quæsumus, Dómine, in fáciem Ecclésiæ tuæ, et multíplica in ea regeneratiónes tuas. Qui grátiæ tuæ affluéntis ímpetu lætíficas civitátem tuam, fontémque baptismátis áperis toto orbe terrárum géntibus invocándis, ut tuæ majestátis império sumat Unigéniti tui grátiam de Spíritu Sancto. Hic dividat aquam manu sua in modum crucis dicens,

Qui hanc aquam regenerándis homínibus præparátam arcána sui lúminis admixtióne fecúndet, ut sanctificatióne concépta ab immaculáto divíni fontis útero in novam renátam creatúram progénies cœléstis emérgat. Et quos, aut sexus in córpore, aut ætas discérnit in témpore, omnes in unam páriat grátia mater infántiam. Procul ergo hinc jubénte te, Dómine, omnis spíritus immúndus abscédat, procul tota nequítia diabólicæ fraudis absístat. Nihil hic loci hábeat contrárias virtútis admíxtio, non insidiándo circúmvolet, non laténdo surrépat, non inficiéndo corrúmpat.

Sit hæc sancta et ínnocens creatúra líbera ab omni impugnatóris incúrsu, et totíus nequítiæ purgáta discéssu. Sit fons ✠[1] vivus, aqua ✠[1] regénerans, unda ✠[1] purificans. Ut omnes hoc lavácro salutífero diluéndi, operánte in eis Spíritu Sancto, perféctæ purgatiónis indulgéntiam consequántur.

Unde benedíco te, creatúra aquæ per ✠ Deum vivum, per ✠ Deum verum, per ✠ Deum sanctum, per Deum qui te in princípio verbo separávit ab árida, cujus Spíritus super te ferebátur, qui te de paradíso manáre fecit, et in quátuor flumínibus totam terram rigáre præcépit.

Hic sacerdos ejiciat sua manu aquam de fonte in modum crucis in quatuor partes.

Qui te in deserto amáram suavitáte índita fecit esse potábilem, et sitiénti pópulo de petra prodúxit.

Bene✠díco te per Jesum Christum Fílium ejus únicum Dóminum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirábili sua poténtia convértit in vinum.

Qui pédibus super te ambulávit, et a Johánne in Jordáne in te baptizátus est. Qui te una cum sánguine de látere suo prodúxit, et discípulis suis jussit ut credéntes baptizaréntur in te dicens, Ite docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Pa†tris et Fílii† et Spíri†tus Sancti. Hic mutet vocem quasi legendo. Hæc nobis præcépta servántibus, tu Deus omnípotens et clemens adésto, tu benígnus aspíra. Hic aspiret in fontem ter in modum crucis. Tu has súpplices (*al.* simplices) aquas tuo ore bene✠dícito; ut præter naturálem emundatiónem quam lavándis possint adhibére corpóribus, sint etiam purificándis méntibus efficáces. Hic stillet de cereo in fontem in modum crucis, postea dicat. Descéndat in hanc plenitúdinem fontis virtus Spíritus Sancti totámque hujus aquæ substántiam regenerándi fecúndet efféctu (effectum *edd.*) Hic mittat ce-

[1] Hæc crucis signa desiderantur in edd. Processionalis in quibus ad locum infra notatum (scil. fol. 207 ad †) eadem typographi inseruerunt.

reum in medio fontis, crucem faciens, et postea prosequatur.

Hic ómnium peccatórum máculæ deleántur, hic natúra ad imáginem tui cóndita et ad honórem sui reformáta princípii, cunctis vetustátis squalóribus emundétur. Hic extrahatur cereus a fonte ita dicendo. Ut omnis homo hoc sacraméntum regeneratiónis ingréssus in veræ innocéntiæ novam infántiam renascátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum. Amen. Consecratis fontibus non infundetur oleum neque Chrisma, nisi fuerit aliquis baptizandus.

℣

Finita Letania, scilicet, Rex sanctórum, incipiatur Missa solemniter a cantore, sine regimine chori, sic Kýrie eléyson, et dicitur cantus de Lux et orígo absque Versibus; et interim[1] sacerdos assumpta casula ad altare dicat[1] Confíteor, Misereátur et Absolutiónem, cum [2]Precibus,[2] et Oratione Aufer a nobis, Dómine, more solito: tamen hic non detur osculum pacis. Deinde thurificet altare, et postea incipiat Glória in excélsis Deo. Tunc omnes genuflectant exuentes capas nigras,[3] et tunc pulsentur omnes campanæ in [4]classicum[4], [5]choro canente Et in terra pax.[5] Sequatur Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem glória Domínicæ resurrectiónis illústras, conserva in nova famíliæ tuæ progénie adoptiónis spíritum quem dedísti; ut córpore et mente renováti, puram tibi exhíbeant servitútem. Per. eúndem. In unitáte ejúsdem.

Sequens Epistola legatur in pulpito: Ad Colossenses. c. 3

Fratres, si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens; quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, et vita vestra abscóndita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparúerit, vita vestra: tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

Lecta Epistola, duo clerici de [6]secunda forma[6] in capis sericis in pulpito cantent hoc Allelúya. Chorus idem repetat, et prosequatur, et clerici Versum.

Ps. 117 Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Chorus finiat cum neuma. Item clerici reincipiant Allelúya sine neuma. Deinde sequatur Tractus, qui a duobus de secunda forma in capis[7] nigris ad gradum chori totus et integer cantetur, choro interim sedente.

[1] dicat sacerdos.—92. 98. Grad.
[2] versu.—94. 97.
[3] et statim surgant.—94. 97.
[4] clasitum.—92. 98.
[5] non habent 92. 98. 4L. 13. 57.
[6] superiori gradu.—Grad.
[7] suis.—94. 97.

Tractus. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli.
℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Interim vero procedat diaconus cum subdiacono per medium chori more solito, sine cruce, ad legendum Evangelium; quem præcedant duo ceroferarii cereis extinctis: et legatur in pulpito more dominicali.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. c. 28

VÉSPERE autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et altera María, vidére sepúlchrum. Et ecce terræmótus factus est magnus. Angelus autem Dómini descéndit de cœlo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Erat autem aspéctus ejus sicut fulgur, et vestiménta ejus sicut nix. Præ timóre autem ejus extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui. Respóndens autem ángelus dixit muliéribus; Nolíte timére vos: scio enim, quod Jesum qui crucifíxus est, quæritis. Non est hic: surréxit enim, sicut dixit: veníte et vidéte locum, ubi pósitus erat Dóminus. Et cito eúntes, dícite discípulis ejus quia surréxit: et ecce præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis. Ecce prædíxi vobis.

Non dicitur Credo, sed post Evangelium dicitur Dóminus vobíscum et Orémus.

Non dicitur Offertorium.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum: ut Paschálibus initiátæ mystériis, ad æternitátis nobis medélam te operánte proficiant. Per Dóminum.

Præfatio. Et te quidem omni témpore, sed in hac potíssimum nocte, et Communicántes et noctem sacratíssimam et Hanc ígitur.

Hæc Præfatio dicitur per totam hebdomadam Paschæ et in omnibus Dominicis usque ad Ascensionem Domini quando de Resurrectione agitur.[1] Communicántes vero et Hanc ígitur per hebdomadam et in Octavis Paschæ tantum dicuntur. Hac die dicitur Sanctus solemniter. Sacerdote vero dicente Pax Dómini sit semper vobíscum, et choro respondente, Et cum spíritu tuo. Non dicitur Agnus Dei nec Pax detur, sed facto intervallo incipiantur Vesperæ festivæ sine regimine chori, sine campanarum pulsatione, et sine Deus in adjutórium, a quodam de superiori gradu ex parte chori; sic,

Allelúya.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri et Fílio: et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.

Tota dicitur Antiphona.

Allelúya, Allelúya, Allelúya, Allelúya.

Qua dicta, statim incipiatur Antiphona super Magníficat ab excellentiore post eum qui celebraverit, sed non percantetur a choro ante Psalmi intonationem. Non thurificetur altare, neque chorus.

Antiphona. Matth. 28

Véspere autem sábbati quæ lucéscit in prima sábbati: venit María Magdaléne et altera María vidére sepúlchrum. Allelúya.

Psalmus. Magníficat.

[1] de Dominica sive de Pascha dicitur missa.—Grad.

Repetita Antiphona dicat sacerdos Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

SPÍRITUM nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde; ut quos sacraméntis Paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum. [1]In unitáte ejúsdem.[1]

Et sic Missa et Vesperæ simul finiantur, dicente diacono, Ite missa est, cum nota de Allelúya.[2]

✻

Antiphonæ etc. in die Paschæ e Processionali.

Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur; mors illi ultra non dominábitur: quod enim vivit, vivit Deo, allelúya, allelúya.
℣. Dicant nunc Judæi, quómodo mílites custodiéntes sepúlchrum perdiderunt regem ad lápidis positiónem, quare non servábant petram justítiæ; aut sepúltum reddant, aut resurgéntem adorent, nobíscum dicéntes, Chorus respondeat ut sequitur, Allelúya, allelúya.

SALVE, festa dies,
toto venerábilis ævo,
Qua Deus infernum
vicit, et astra tenet.

Ecce renascéntis
testátur grátia mundo, (mundi)
Omnia cum Dómino
dona redísse suo.
Qui crucifíxus erat
Deus ecce per ómnia regnat,
Dant Creatóri
cuncta creáta precem.
Sollícitam te (tu) redde
fidem, precor, alma potéstas,
Tértia lux rédiit,
surge, sepúlte Deus.
Non decet ut húmili
túmulo tua membra tegántur,
Ne prétium mundi
vília saxa premant.

[1] non habet 26.

[2] In die Paschæ et ab hinc omnibus dominicis diebus usque ad festum Sanctæ Trinitatis in aspersione aquæ benedictæ cantetur hæc Antiphona.

Vidi aquam egrediéntem de templo a látere dextro, allelúya.
Et omnes ad quos pervénit aqua ista salvi facti sunt. Et dicent allelúya, allelúya.
Psalmus. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.
Vidi aquam. Glória Patri. Sicut erat. Et omnes.
Versus. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam.
Orémus.
Exáudi nos.

Post aspersionem aquæ benedictæ eodem modo fit processio per omnia sicut in die Nativitatis Domini. Excepto quod hac die dicitur versus Crucifíxum in carne in statione ante crucem. Ad processionem tres clerici de superiore gradu in capis sericis in eundo hanc Prosam cantantibus, et cantetur primus versus ab eisdem in medio chori antequam exeat processio, hoc modo: Salve, festa dies. Procedat processio, choro repetente, Salve. Deinde clerici stantes dicant Versum Ecce renascéntis. In redeundo, Antiphonam Sedit ángelus. Tres clerici de superiore gradu, in pulpito, conversi ad populum, dicant Versum Crucifíxum. In introitu chori Antiphonam Christus resúrgens, Versum Dicant nunc, Versum Surréxit Dóminus de sepúlchro, Orationem Deus, qui hodiérna die.—Grad.

Indígnum est cujus
claudúntur cuncta púgillo,
Ut tegat inclúsum
rupe vetánte lapis.
Líntea tolle, precor,
sudária linque sepúlchro,
Tu satis es nobis,
et sine te nihil est.
Fúneris exséquias
passus vitæ auctor et orbis,
Intrans mortis iter,
dando salútis opem.
Redde tuam fáciem,
vídeant ut sæcula lucem,
Redde diem, quem nos
te moriénte fugit.
Eripis innúmerum
pópulum de cárcere mortis,
Et séquitur liber
quo suus auctor abit
Tristi accessérunt (Tristia cesserunt?)
inférni víncula legis
Expavítque chaos
lúminis ore premi.

Sedit ángelus ad sepúlchrum Dómini stola claritátis coopértus; vidéntes eum mulíeres nímio terróre pertérritæ, astitérunt a longe; tunc locútus est ángelus, et dixit eis; Nolíte metúere, dico vobis, quia ille quem quæritis mórtuum, jam vivit, et vita hóminum cum eo surréxit. allelúya.

℣. Crucifíxum in carne laudáte, et sepúltum propter vos glorificáte, resurgentémque a morte adoráte. Nolíte.

In die sancto Paschæ, quæ est Resurrectionis Dominicæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 138

ESURRÉXI et adhuc tecum sum, allelúya: posuísti super me manum tuam, allelúya: mirábilis facta est sciéntia tua, allelúya, allelúya.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Glória Patri.

Glória in excélsis.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum devícta morte reserásti: vota nostra quæ præveniéndo aspíras, étiam adjuvándo prosé-quere. Per eúndem.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1 c. 5

FRATRES, Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur: non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis, et veritátis.

Gradale. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

℣. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Allelúya. ℣. 1 Cor. 5 Pascha nostrum immolátus est Christus.

[1]Istud Allelúya dicitur in loco Gradalis in Octavis [2]Pentecostes[2] et omnibus Dominicis ab hinc usque ad Ascensionem Domini, ad Missam de Resurrectione.[1]

Sequentia.

FULGENS præclara rutilat per orbem hodie dies, in qua Christi lucida narrantur ovanter prælia.

De hoste superbo quem Jesus triumphavit, pulchre castra illius perimens teterrima.

Infelix culpa [3]Evæ,[3]
qua caruimus omnes vita.

Felix proles Mariæ,
qua epulamur modo una.

Benedicta sit celsa Regina illa,
Generans Regem spoliantem tartara,
Pollentem jam in æthera.

Rex in æternum suscipe benignus
præconia nostra
sedule tibi canentia,
Patris sedens ad dexteram,
Victor ubique morte superata,
atque triumphata,
polorum possidens gaudia.

O [4]magna,[4] O celsa, O pulchra,
clementia Christi
luciflua, O alma.

Laus tibi honorque ac virtus,
qui nostram antiquam
leviasti sarcinam.

Roseo cruore Agni
benignissimi empta
florida micat hæc aula.

Potenti virtute nostra
qui lavit facinora
tribuens dona fulgida.

[1] non habent 92. 94. 98. 15. 57. Grad.
[2] sic 97. 13. Paschæ.—26.
[3] Eva.—94. 98. 57.
[4] alma.—92. 97. 98. 13. Grad.

Stupens valde in memet jam
miror hodierna.
Tanta indignis pandere
nobis sacramenta.
Stirpe Davitica
ortus, de tribu Juda
Leo potens surrexisti in gloria,
Agnus visus es in terra.
[1]Fundens[1] olim arva,
regna petis supera,
justis reddens præmia, in sæcula
dignanter ovantia.
Dic, impie Zabule,
quid valet nunc fraus tua,
Igneis nexus loris
a Christi victoria?
Tribus, linguæ, admiramini,
quis audivit talia miracula!
Ut mors mortem sic superaret,
rei perciperent talem gratiam.
Judæa incredula,
cur manes adhuc inverecunda?
Perspice Christicolas,
qualiter læti canunt inclyta
Redemptori carmina.
Ergo, pie Rex Christe,
nobis dans præmia,
Solve nexorum vincula.
Electorum agmina
Fac tecum resurgere
ad beatam gloriam,
Digna rependens merita.
Paraclyti Sancti consolationem piam
Expectamus, secundum promissionem tuam,
Peracta Ascensionis
sacra solemnia.
Qua es regressus ad cœlos
nube tectus clara,
Pollens laude æterna.

[1] fundans.—92. 97. 98.

Evangelium: Secundum Marcum. c. 16

In illo témpore, María Magdaléne et María Jacóbi et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. Et dicébant ad ínvicem; Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti? Et respiciéntes, vidérunt revolútum lápidem. Erat quippe magnus valde. Et introeúntes in monuméntum, vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt. Qui dixit illis; Nolíte expavéscere: Jesum quæritis Nazarénum crucifíxum: surréxit, non est hic; ecce locus ubi posuérunt eum. Sed ite, dícite discípulis ejus et Petro, quia præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis. Credo.

Offertorium. Ps. 75 Terra trémuit et quiévit dum resúrgeret in judício Deus, allelúya.

Secreta.

Súscipe, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum, ut paschálibus initiátæ mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, proficiant. Per Dóminum.

Præfatio. Et te quidem. Infra Canonem. Communicántes et Hanc ígitur.

Communio. 1 Cor. 5 Pascha nostrum immolátus est Christus, allelúya: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis, allelúya, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Spíritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde; ut quos sacraméntis Paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Feria secunda post Pascha.

Ad Missam. Officium. Exod. 13

INTRODÚXIT vos Dóminus in terram fluéntem lac et mel, allelúya: et ut lex Dómini semper sit in ore vestro, allelúya, allelúya.

Ps. 117 Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Kýrie eléyson. Glória in excélsis.

Oratio.

DEUS, qui solemnitáte Pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsumus, [1]Dómine,[1] cœlésti dono proséquere: ut et perféctam libertátem cónsequi mereátur; et ad vitam proficiat sempitérnam. Per Dóminum.

Lectio Actuum Apostolorum. cap. 10

IN diébus illis, Stans Petrus in médio plebis, dixit; Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judæam. Incípiens enim a Galiléa, post baptísmum quod prædicávit Johánnes, Jesum a Názareth quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto et virtúte, qui pertransívit benefaciéndo et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam Deus erat cum illo: et nos testes sumus ómnium quæ fecit in regióne Judæórum et Hierúsalem: quem occidérunt suspendéntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, et dedit eum manifestum fieri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo nobis qui manducávimus et bibimus cum illo, postquam resurréxit a mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo et testificári, quia ipse est qui constitútus est a Deo judex vivórum et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum.

Gradale. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

℣. Dicat nunc Israel quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Allelúya. ℣. Luc. 24 Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu dum loquerétur nobis in via.

Sequentia.[2]

ZYMA vetus expurgetur,
Ut sincere celebretur
Nova resurrectio.
Hæc est dies nostræ spei,
Hujus mira vis diei
Legis testimonio.
Hæc Ægyptum spoliavit,
Et Hebræos liberavit
De fornace ferrea;
His in arcto constitutis,
Opus erat servitutis,
Lutum, later, palea.
Jam divinæ laus virtutis,
Jam triumphi, jam salutis,
Vox erumpat libera;
Hæc est dies quam fecit Dominus,
Dies nostri doloris terminus,
Dies salutifera.
Lex est umbra futurorum,
Christus finis promissorum,
Qui consummat omnia.
Christi sanguis igneam
Hebetavit romphæam
Amota custodia.
Puer nostri forma risus,
Pro quo vervex est occisus,
Vitæ signat gaudium.
Joseph exit de cisterna;
Jesus redit ad superna
Post mortis supplicium.

[1] non habent 94. 97.
[2] Quære post Commune Sanctorum.—13. 26.

Hic dracones Pharaonis
Draco vorat, a draconis
  Immunis malitia.
Quos ignitus vulnerat,
Hos serpentis liberat
  Ænei præsentia.
Anguem forat in maxilla
Christus hamus et armilla;
  In caverna reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
  Vetus hospes sæculi.
Irrisores Helisæi
Cum conscendit domum Dei,
  Zelum calvi sentiunt.
David arreptitius,
Hircus emissarius
  Et passer effugiunt.
In maxilla mille sternit,
Et de tribu sua spernit
  Sampson matrimonium.
Sampson Gazæ seras pandit,
Et asportans portas scandit
  Montis supercilium.
Sic de Juda leo fortis,
Fractis portis diræ mortis,
  Die surgit tertia.
Rugiente voce Patris,
Ad supernæ sinum matris
  Tot revexit spolia.
Cetus Jonam fugitivum
Veri Jonæ signativum,
Post tres dies reddit vivum
  De ventris angustia.
Botrus Cypri reflorescit,
Dilatatur et excrescit;
Synagogæ flos marcescit,
  Et floret Ecclesia.
Mors et vita conflixere,
Resurrexit Christus vere,
Et cum Christo surrexere
  Multi testes gloriæ.
Mane novum, mane lætum,
Vespertinum tergat fletum;
Quia Vita vicit letum
  Tempus est lætitiæ.
Jesu victor, Jesu vita,
Jesu vitæ via trita,
Cujus morte mors sopita,
Ad Paschalem nos invita
  Mensam cum fiducia.
Viva panis, vivax unda,
Vera vitis et fecunda,
Tu nos pasce, tu nos munda,
Ut a morte nos secunda
  Tua salvet gratia. Amen.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 24

In illo témpore, Exeúntes duo ex discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Hierúsalem, nómine Emaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus quæ accíderant. Et factum est dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem eórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos; Qui sunt hi sermónes quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus cui nomen Cléophas, dixit ei; Tu solus peregrínus es in Hierúsalem, et non cognovísti quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit; Quæ? Et dixérunt; De Jesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne coram Deo et omni pópulo: et quómodo tradidérunt eum summi sacerdótes et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israel. Et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et non invénto córpore ejus, venérunt dicéntes, se étiam visiónem ange-

lórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos; O stulti et tardi corde ad credéndum, in ómnibus quæ locúti sunt prophétæ! Nonne [1]hæc[1] opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Moyse et ómnibus prophétis, interpretabátur illis in ómnibus scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castéllo quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coegérunt illum, dicéntes; Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum eis. Et factum est dum recúmberet cum illis, accépit panem et benedíxit ac fregit et porrigébat illis. Et statim apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem; Nonne cor nostrum ardens erat in nobis [2]de Jesu,[2] dum loquerétur nobis in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Hierúsalem: et invenérunt congregátos úndecim, et eos qui cum ipsis erant, dicéntes quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant quæ gesta erant in via: et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Credo.

Offertorium. Marc. 16 Angelus Dómini descéndit de cœlo, et dixit muliéribus: quem quæritis? surréxit sicut dixit, allelúya.

Secreta.

PASCHÁLES hóstias immolántes, quæsumus, Dómine, ut quod frequentámus actu, comprehendámus efféctu. Per resurgéntem a mórtuis, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Communio. Luc. 24 Surréxit Dóminus: et appáruit Petro, allelúya.

Postcommunio.

IMPLEÁTUR in nobis, quæsumus, Dómine, sacraménti Paschális sancta libátio, nosque de terrénis afféctibus ad cœléste tránsferat institútum. Per Dóminum.

Feria tertia post Pascha.

Ad Missam. Officium. Eccli. 15

QUA sapiéntiæ [3]potábit[3] eos, allelúya; firmábitur in illis et non flectétur, allelúya: et exaltábit eos in ætérnum, allelúya, allelúya.

Ps. 117 Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam novo semper fœtu multíplicas; concéde fámulis tuis, ut sacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt. Per Dóminum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 13

IN diébus illis, Surgens Paulus, et manu siléntium indícens, ait; Viri fratres, fílii géneris Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim hábitant Hierúsalem et príncipes ejus, ignoránte Jesum et voces prophetárum quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: et nullam causam mortis inveniéntes in [4]eo,[4] petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum.

[1] sic—92. 98.
[2] non habent 92. 98. 4L. V.
[3] potavit.—92. 98. 4L. 57.
[4] eum.—92. 98.

Cumque consummássent ómnia quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Hierúsalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annunciámus eam quæ ad patres nostros repromíssio facta est: quóniam hanc Deus adimplévit fíliis vestris, resúscitans Jesum Christum Dóminum nostrum.

Gradale. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.
℣. Ps. 106 Dicant nunc qui redémpti sunt a Dómino: quos redémit de manu inimíci; de regiónibus congregávit eos.
Alleluya. ℣. Luc. 24 Surgens Jesus Dóminus noster: stetit in médio discipulórum suórum et dixit: Pax vobis.

Sequentia.

Prome casta concio cantica
organa subnectens hypodorica.
Regi claustra Deo tartarea
rumpenti decanta nunc symphonia.
Morte qui victa resurgens,
gaudia mundo gestat colenda.
[1]Ac[1] insolita morantes
perdita cocyti confinia
Aspectant lumina, intrante
illo vita beata.
Terrore percussa tremiscit
dæmonum plebs valida.
Dant suspiria
Fletuum alta.
Repagula quis sic audax
fregerit, mirantur tunc fortia.
Sic ad supera
Redit cum turma
Gloriosa, et timida
refovet discipulorum corda.
Præcelsa hujus trophæa admirantes,
flagitemus nunc voce decliva
Virginum inter agmina mereamur
pretiosa colere; ut Pascha
Galilæa inque sacrata
præfulgida contueri
lucis exordia.

[1] hac—92. 94. 98. 4L. 13. 57.

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Lucam. c. 24

In illo témpore, Stetit Jesus in médio discipulórum suorum, et dixit eis; Pax vobis: ego sum; nolíte timére. Conturbáti vero et contérriti, existimábant se spíritum vidére. Et dixit eis; Quid turbáti estis, et cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpáte et vidéte: quia spíritus carnem et ossa non habet, sicut me vidétis habére. Et cum hoc dixísset, osténdit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credéntibus et mirántibus præ gáudio, dixit; Habétis hic áliquid quod manducétur? At illi obtulérunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducásset coram eis, sumens relíquias dedit eis. Et dixit ad eos; Hæc sunt verba, quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi et prophétis et psalmis de me. Tunc apéruit illis sensum ut intellígerent Scriptúras. Et dixit eis; Quóniam sic scriptum est, et sic oportébat pati Christum, et resúrgere a mórtuis die tértia: et prædicári in nómine ejus pœniténtiam et remissiónem peccatórum in omnes gentes.
Credo.

Offertorium. Ps. 17 Intónuit de cœlo Dóminus: et Altíssimus dedit vocem suam: et apparuérunt fontes aquárum, allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE, Dómine, preces Ecclésiæ tuæ, redemptiónis suæ grátia exsultántis: ut præséntium múnerum fide, et tuæ resurrectiónis credulitáte pascátur. Qui vivis.

Communio. Coloss. 3 Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, allelúya: ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, allelúya.

Postcommunio.

SANCTÍFICENT nos, Dómine, quæsumus, sumpta mystéria, et Paschális observántiæ sufficiéntem nobis tríbuant facultátem. Per.

Feria quarta post Pascha.

Ad Missam. Officium. Matth. 25

VENÍTE, benedícti Patris mei, percípite regnum, allelúya: quod vobis parátum est ab orígine mundi, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 97 Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

Oratio.

DEUS, qui nos resurrectiónis Domínicæ ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut per temporália festa quæ ágimus, perveníre ad gáudia ætérna mereámur. Per.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 3

IN diébus illis, Apériens Petrus os suum, dixit; Viri Israelítæ et qui timétis Deum, audíte. Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis: auctórem vero vitæ interfecístis. Quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et nunc, fratres, scio quia per ignoránti am fecístis, sicut et príncipes vestri. Deus autem, qui prænunciávit per os ómnium prophetárum pati Christum suum, implévit sic. Pœnitémini ígitur et convertímini, ut deleántur peccáta vestra.

Gradale. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me.

Allelúya. ℣. Matth. 28 Surréxit Dóminus et occúrrens muliéribus, ait; Avéte: tunc accessérunt et tenuérunt pedes ejus.

Sequentia.

CONCINAT orbis cunctus, alleluya,
Votis voce solennia
Celebrando Paschalia.
Insontum tenera congaudeat
turma: sacro fonte nivea,
Spernens Phlegethontis undas.
Nos quoque laxas aptemus fibras
arte musica,
Voce sonora modificantes
prosis neumata
Voce satis tinnula.
Christus namque mitis hostia
Factus, nostra ob remedia,
Crucis pertulit probra;
Et jugis vita manens
subiit letalia,
Fellis amara passus
prælibare pocula.
Vulnera satis toleravit dira,
transfixus clavis et lancea.
Sic patiendo, mala gerens nostra,
descendit ad ima tartara.
Hostis antiqui quo defringens arma revehit potens ampla ovando trophæa.
Sicque devicta morte ac resumpta
carne resurgit victor die in tertia.

Unde jam jocundas ipsi canamus odas,
Per quem nobis vita plausit æterna et cœli
clara nobis patescit aula.
Cui sit laus præclara.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 21

In illo témpore, Manifestávit se íterum Jesus discípulis suis ad mare Tiberíadis: manifestávit autem sic: erant [1]autem[1] simul Simon Petrus, et Thomas qui dícitur Dídymus, et Nathánael qui erat a Cana Galilǽæ, et fílii Zebedǽi, et álii ex discípulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus; Vado piscári. Dicunt ei; Venímus et nos tecum. Et exiérunt, et ascendérunt in navim: et illa nocte nihil prendidérunt. Mane autem facto, stetit Jesus in líttore: non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus; Púeri, numquid pulmentárium habétis? Respondérunt ei; Non. Dixit eis; Míttite in déxteram navígii rete, et inveniétis. Misérunt ergo [2]rete,[2] et jam non valébant illud tráhere, præ multitúdine píscium. Dicit ergo discípulus ille quem diligébat Jesus Petro; Dóminus est. Simon Petrus cum audísset quia Dóminus est, túnica succínxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. Alii autem discípuli navígio venérunt, (non enim longe erant a terra, sed quasi cúbitis ducéntis) traháentes rete píscium. Ut ergo descendérunt in terram, vidérunt prunas pósitas et piscem superpósitum et panem. Dicit eis Jesus; Afférte de píscibus quos prendidístis nunc. Ascéndit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis píscibus centum quinquagínta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Jesus; Veníte, prandéte. Et nemo audébat discumbéntium interrogáre eum; Tu quis es? sciéntes quia Dóminus est. Et venit Jesus, et accépit panem, et dedit eis, et piscem simíliter. Hoc jam tértio manifestátus est Jesus discípulis suis cum resurrexísset a mórtuis.

Credo.

Offertorium. Ps. 77 Portas cœli apéruit Dóminus: et pluit illis manna ut éderent: panem cœli dedit illis: panem angelórum manducávit homo, allelúya.

Secreta.

Sacrifícia, Dómine, paschálibus gáudiis immoláta, nobis tuæ propitiatiónis munus obtíneant; quibus ecclésia tua mirabíliter páscitur et nutrítur. Per Dóminum.

Communio. Rom. 6 Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, allelúya: mors illi ultra non dominábitur, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Ab omni nos, quǽsumus, Dómine, vetustáte purgátos, sacraménti tui veneránda percéptio in novam tránsferat creatúram. Per Dóminum.

Feria quinta post Pascha.

Ad Missam. Officium. Sap. 10

Victrícem manum tuam, Dómine, laudavérunt páriter, allelúya: quia sapiéntia apéruit os mutum: et linguas infántium fecit disértas, allelúya, allelúya.

Ps. 117 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Oratio.

Deus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti: da

[1] sic 26 etc. non habent 97. 34. 55P. V.
[2] non habent 92. 98. V.

ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium et píetas actiónum. Per Dóminum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 8

In diébus illis, Angelus Dómini locútus est ad Philíppum, dicens; Surge et vade contra meridiánum ad viam quæ descéndit ab Hierúsalem in Gazam: hæc est deserta. Et surgens ábiit. Et ecce vir Æthiops eunúchus potens Candácis regínæ Æthíopum, qui erat super omnes gazas ejus, vénerat adoráre in Hierúsalem: et revertebátur sedens super currum suum, legénsque Isaíam prophétam. Dixit [1]autem[1] Spíritus Philíppo; Accéde et adjúnge te ad currum istum. Accúrrens autem Philíppus, audívit eum legéntem Isaíam prophétam, et dixit; Putásne intélligis quæ legis? Qui ait; Et quómodo possum [2]intellígere,[2] si non áliquis osténderit mihi? Rogavítque Philíppum ut ascénderet et sedéret secum. Locus autem Scriptúræ quam legébat, hic erat: Tamquam ovis ad occisiónem ductus est, et sicut agnus coram tondénte se sine voce, sic non apéruit os suum. In humilitáte judícium ejus sublátum est. Generatiónem ejus quis enarrábit, quóniam tollétur de terra vita ejus? Respóndens autem eunúchus dixit Philíppo; Obsecro te, de quo prophéta dicit hoc; de se, an de álio áliquo? Apériens autem Philíppus os suum, et incípiens a Scriptúra ista, evangelizávit illi Jesum. Et dum irent per viam, venérunt ad quandam aquam: et ait eunúchus; Ecce aqua, quis próhibet me baptizári? Dixit autem Philíppus; Si credis ex toto corde, licet. Et respóndens ait; Credo Fílium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum: et descendérunt utérque in aquam Philíppus et eunúchus, et baptizávit eum. Cum autem ascendíssent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philíppum, et ámplius non vidit eum eunúchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philíppus autem invéntus est in Azóto, et pertránsiens evangelizábat civitátibus cunctis, donec veníret Cæsaréam, nomen Dómini nostri Jesu Christi.

Gradale. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.
℣. Lápidem quem reprobavérunt ædificántes: hic factus est in caput ánguli: a Dómino factum est istud: et est mirábile in óculis nostris.

Non repetatur Gradale hac die post suum Versum nec in sequenti die.

Allelúya. ℣. Matth. 28 In die resurrectiónis meæ, dicit Dóminus: præcédam vos in Galiláeam.

Sequentia.

Dic nobis quibus [3]e terris[3] nova
Cuncto mundo nuncians gaudia,
Nostram rursus visitans patriam?
Respondens placito vultu
clara voce dixit; Alleluya,
Angelus mihi de Christo
indicavit pia miracula,
Resurrexisse Dominum siderum
cecinit voce laudanda.
Mox ergo pennas volucris vacuas
dirigens læta per auras,
Rediit famulis, [4]et[4] dixit,
vacuatam legem veterem
et novam regnare gratiam.
Itaque plaudite, famuli,
voce clara: Christus hodie
redemit nos a morte dira.

[1] que.—92. 98.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. V.
[3] ætheris.—92. 98. 4L. 57.
[4] ut.—92. 94. 98. 4L. 57.

Pater Filium tradidit [1]sævis,[1]
ut interimerent pro salute nostra.
Sponte subiit Filius mortem,
ut nos redimeret morte ab æterna.
Nunc requiem [2]capere[2] licet omnibus,
et vita frui perpetua,
Nunc colite pariter mecum famuli,
celebri laude sanctum Pascha.
Christus est [3]pax[3] nostra.

Secundum Johannem.
c. 20

In illo témpore, María stabat ad monuméntum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum: et vidit duos ángelos in albis sedéntes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Dicunt ei illi; Múlier, quid ploras? Dicit eis; Quia tulérunt Dóminum meum: et néscio ubi posuérunt eum. Hæc cum dixísset, convérsa est retrórsum, et vidit Jesum stantem, et nesciébat quia Jesus est. Et dicit ei Jesus; Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei; Dómine, si tu sustulísti eum, dícito mihi ubi posuísti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus; María. Convérsa illa, dicit ei; Rabbóni; quod dicitur magíster. Dicit ei Jesus; Noli me tángere, nondum enim ascéndi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Venit ergo María Magdaléne annúncians discípulis: Quia vidi Dóminum, et hæc dixit mihi.

Credo.

Offertorium. Exod. 13 In die solemnitátis vestræ, dicit Dóminus: indúcam vos in terram fluéntem lac et mel, allelúya.

[1] servis.—97. 13. 15. 26. Grad.
[2] rapere.—92. 94. 98. 4L. 57.
[3] spes.—Grad.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, múnera populórum tuórum propítius; ut confessióne tui nóminis et baptísmate renováti, sempitérnam beatitúdinem consequántur. Per.

Communio. 1 Pet. 2 Pópulus acquisitiónis, annunciáte virtútes ejus, allelúya: qui vos de ténebris vocávit in admirábile lumen suum, allelúya.

Postcommunio.

Exáudi, Dómine, preces nostras, ut redemptiónis nostræ sacrosáncta comércia, et vitæ nobis cónferant præséntis auxílium, et gáudia sempitérna concílient. Per.

Feria sexta post Pascha.

Ad Missam. Officium. Ps. 77

Duxit eos Dóminus in spe, allelúya: et inimícos eórum opéruit mare, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti; da méntibus nostris ut quod professióne celebrámus imitémur efféctu. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.
1 c. 3

Charíssimi, Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro

injústis, ut nos offérret Deo, mortificátos quidem carne, vivificátos autem spíritu. In quo et his qui in cárcere[1] erant [2]spirituáliter[2] véniens prædicávit: qui incréduli fúerant aliquándo, quando exspectábant Dei patiéntiam in diébus Noe cum fabricarétur arca: in qua pauci, id est octo ánimæ, salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma: non carnis depositio sórdium, sed consciéntiæ bonæ interrogátio in Deum, per resurrectiónem [3]Dómini nostri[3] Jesu Christi, qui est in déxtera Dei.

Gradale. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.
℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus et illúxit nobis.
Non repetatur Gradale.
Allelúya. ℣. Ps. 95 Dicite in géntibus quia Dóminus regnávit a ligno.

Sequentia.

Victimæ Paschali
laudes immolant Christiani.
Agnus redemit oves,
Christus innocens Patri
reconciliavit peccatores.
Mors et vita duello
conflixere mirando,
dux vitæ mortuus regnat vivus.
Dic nobis, Maria,
quid vidisti in via?
Sepulchrum Christi viventis,
et gloriam vidi resurgentis.
Angelicos testes,
sudarium et vestes.
Surrexit Christus spes nostra,
præcedet vos in Galilæam.
Credendum est magis soli Mariæ veraci,
quam Judæorum turbæ fallaci.
Scimus Christum surrexisse a mortuis vere:
tu nobis, victor Rex, miserere.

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Matthæum. c. 28

In illo témpore, Undecim discípuli abiérunt in Galilæam, in montem ubi constitúerat illis Jesus. Et vidéntes eum adoravérunt: quidam autem dubitavérunt. Et accédens Jesus locútus est eis, dicens; Data est mihi omnis potéstas in cœlo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes: baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti: docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi.
Credo.

Offertorium. Lev. 23 Erit vobis hic dies memoriális, allelúya: et diem festum celebrábitis solémnem Dómino in progénies vestras: legítimum sempitérnum diem, allelúya, allelúya, allelúya.

Secreta.

Hostias, quæsumus, Dómine, placátus assúme: quas et pro renatórum expiatióne peccáti deférimus, et pro acceleratióne cœléstis auxílii. Per Dóminum.

Communio. Matth. 28 Data est mihi omnis potéstas in cœlo et in terra, allelúya: eúntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Deus, qui adoptiónis tuæ sóbolem peccatórum remissióne genuísti, da ut cuncti fidéles tui veráciter apprehéndant, quæ præséntibus suscepérunt sacraméntis. Per Dóminum.

[1] conclusi.—13. 15. 26. 57.
[2] spiritu.—13. 15. spiritibus.—26.
[3] non habent 92. 97. 98. 4L. V.

Sabbato post Pascha.

Ad Missam. Officium. Ps. 104

EDÚXIT Dóminus pópulum suum in exsultatióne, allelúya: et eléctos suos in lætítia, allelúya, allelúya.

Psalmus. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annunciáte inter gentes ópera ejus.

Kýrie eléyson.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui festa Paschália venerándo égimus: per hæc contíngere ad gáudia ætérna mereámur. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

1 c. 2

CHARÍSSIMI, Deponéntes ígitur omnem malítiam et omnem dolum et simulatiónes et invídias et omnes detractiónes, sicut modo géniti infántes rationábiles et sine dolo lac concupíscite: ut in eo crescátis in salútem: si tamen gustátis quóniam dulcis est Dóminus. Ad quem accedéntes lápidem vivum, ab hóminibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum et honorificátum: et ipsi tanquam lápides vivi superædificámini, domos spirituáles, in sacerdótium sanctum, offeréntes spiritáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum. Propter quod cóntinet scriptúra: Ecce ponam in Sion lápidem summum angulárem, [1]probátum,[1] eléctum, pretiósum: et omnis qui credíderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem lapis quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli: et lapis offensiónis et petra scándali his qui offéndunt verbo, nec credunt in quo et pósiti sunt. Vos autem[2] genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis: ut virtútes annunciétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquándo non pópulus Dei, nunc autem pópulus Dei. Et qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

Duo pueri in superpelliciis in pulpito dicant,

Allelúya. ℣. Ps. 117 Hæc dies quam fecit Dóminus, exsultémus et lætémur in ea.

Non repetatur Allelúya. [3]Nunquam enim repetatur primum Allelúya[3] post suum Versum quando duo Allelúya habentur; sed secundum Allelúya semper repetatur post suum Versum. Similiter fiat quando unum solum Allelúya habetur. Deinde alii duo pueri ad gradum chori in superpelliciis [4]cantent hoc.[4]

Allelúya. ℣. Ps. 112 Laudáte púeri Dóminum: laudáte nomen Dómini.

Et finiatur a choro. Statim sequatur alius Versus ab eisdem pueris.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Similiter finiatur a choro. Deinde repetatur Allelúya sine neuma.

Sequentia.

QUANE prima sabbati
surgens Dei Filius
nostra spes et gloria.
Victo rege sceleris,
rediit ab inferis,
cum summa victoria.
Cujus resurrectio
omni plena gaudio
consolatur omnia.

[1] non habent 98. V.
[2] estis.—92. 98. 4L. 57.
[3] non habent 92. 98. 4L. 57.
[4] dicant hoc modo.—Grad.

Resurgentis itaque
Maria Magdalene
facta est prænuncia;
Ferens Christi fratribus
ejus morte tristibus
exspectata gaudia.
O beati oculi
quibus Regem sæculi
morte jam deposita
prima est intuita!
Hæc est illa fœmina
cujus cuncta crimina
ad Christi vestigia
ejus lavit gratia.
Quæ dum [1]plorat et mens orat,[1]
facto clamat quod cor amat
Jesum super omnia.
Non ignorat quem adorat,
quid precetur; sed deletur
quod mens timet conscia.
O Maria, mater pia,
stella maris appellaris
operum per merita!
Matri Christi coæquata
dum fuisti sic vocata,
sed honore subdita.
Illa mundi imperatrix,
ista beata peccatrix,
lætitiæ primordia
fuderunt in ecclesia.
Illa enim fuit porta
per quam fuit lux exorta;
hæc resurgentis [2]nuncia[2]
mundum replet lætitia.
O Maria Magdalena,
audi vota laude plena,
apud Christum chorum istum
clementer concilia;
Ut fons summæ pietatis,
Qui te lavit a peccatis
servos suos atque tuos
mundet data venia.
amen dicant omnia.

[1] orat, et mens plorat.—92. 98.
[2] prænuncia.—92. 94. 97. 98. 4L. 57.
[3] non habent 92. 97. 98. 4L.
[4] primus.—13. 26. V.

Secundum Johannem. c. 20

In illo témpore, Una sábbati María Magdaléne venit mane cum adhuc ténebræ essent, ad monuméntum: et vidit lápidem sublátum a monuménto. Cucúrrit ergo, et venit ad Simónem Petrum, et ad álium discípulum quem amábat Jesus, et dixit eis; Tulérunt Dóminum [3]meum[3] de monuménto, et nescio ubi posuérunt eum. Exiit ergo Petrus et ille álius discípulus, et venérunt ad monuméntum. Currébant autem duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit [4]prior[4] ad monuméntum. Et cum se inclinásset, vidit linteámina pósita, non tamen introívit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introívit in monuméntum; et vidit linteámina pósita, et sudárium quod fúerat super caput ejus, non cum linteamínibus pósitum, sed separátim involútum in unum locum. Tunc ergo introívit et ille discípulus qui vénerat primus ad monuméntum: et vidit et crédidit: nondum enim sciébant Scriptúras, quia oportébat eum a mórtuis resúrgere.
Credo.

Offertorium. Ps. 117 Benedíctus qui venit in nómine Dómini: benedíximus vos de domo Dómini: Deus Dóminus et illúxit nobis, allelúya, allelúya.

Secreta.

Concéde, quæsumus, Dómine, semper nos per hæc mystéria paschália gratulári; ut contínua nostræ reparatiónis

operátio, perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ. Per Dóminum.

Communio. Gal. 3 Omnes qui in Christo baptizáti estis, Christum induístis, allelúya.

Postcommunio.

REDEMPTIÓNIS nostræ múnere vegetáti, quæsumus, Dómine, ut hoc perpétuæ salútis auxílio, fides semper vera proficiat. Per Dóminum.

Dominica in Octavis Paschæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 138

RESURRÉXI et adhuc tecum sum, allelúya: posuísti super me manum tuam, allelúya: mirábilis facta est sciéntia tua, allelúya, allelúya.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum devícta morte reserásti; vota nostra quæ præveniéndo aspíras, étiam adjuvándo prosequere. Per eúndem.

Nulla fiat memoria de Dominica.

Epistola. Expurgáte vetus. Quære supra in die Paschæ fol. 213.

Loco Gradalis,

Allelúya. ℣. 1 Cor. 5 Pascha nostrum immolátus est Christus.

Secundum, Allelúya. ℣. Matth. 28 Angelus Dómini descéndit de cœlo: et accédens revólvit lápidem et sedébat super eum.[1]

Sequentia.

LAUDES Salvatori voce
modulemus supplici.
Et devotis melodiis cœlesti Domino
jubilemus Messiæ:
Qui seipsum exinanivit, ut nos perditos
liberaret homines.
Carne gloriam
Deitatis occulens.
Pannis tegitur
in præsepi, miserans
præcepti transgressorem,
pulsum patria,
paradisi nudulum.
Joseph, Mariæ,
Simeoni subditur.
Circumciditur,
et legali hostia
mundatur ut peccator,
nostra qui solet
relaxare crimina.
Servi subiit
manus baptizandus,
et perfert fraudes tentatoris,
fugit persequentium lapides,
Famem patitur,
dormit et tristatur,
ac lavat discipulis pedes
Deus homo summus humilis
Sed tamen inter
hæc abjecta corporis,
Ejus Deitas
nequaquam quivit latere,
signis variis
et doctrinis [2]prodita.[2]

[1] cum uno Versu tantum; alius Versus per hebdomadam,
℣. Respondens autem angelus dixit mulieribus; Quem quæritis? illæ autem dixerunt; Jesum Nazarenum.—Grad.

[2] prædita.—97. 13. 15. 26.

Aquam nuptiis
dat saporis vinei.
Cœcos oculos
claro lumine vestivit;
lepram luridam
tactu fugat placido.
Putres suscitat mortuos,
membraque curat debilia.
Fluxum sanguinis constrinxit,
et saturavit
quinque de panibus
quina millia.
Stagnum peragrat fluctuans,
seu siccum littus, ventos sedat.
Linguam reserat constrictam,
reclusit aures
privatas vocibus,
febres depulit.
Post hæc mira miracula taliaque,
Sponte sua comprehenditur et damnatur,
Et se crucifigi non despexit:
Sed sol ejus mortem non aspexit.
Illuxit dies
quam fecit Dominus,
Hostem devastans
et victor suis
apparens dilectoribus vivus.
Primo Mariæ,
dehinc apostolis,
Docens scripturas,
cor aperiens,
ut clausa de ipso reserarent.
Favent igitur
resurgenti Christo
cuncta gaudiis.
Flores, segetes,
redivivo fructu vernant,
et volucres, gelu
tristi terso, dulce jubilant.
Lucent clarius
sol et luna, morte
Christi turbida.
Tellus herbida
resurgenti Christo plaudit,
quæ tremula ejus
morte se casuram minitat.
Ergo die ista exsultemus,
qua nobis viam vitæ
resurgens patefecit Jesus.
Astra, solum, mare, jocundentur,
et cuncti gratulentur,
in cœlis spiritales chori
Trinitati.

Evangelium. María Magdaléne, ut supra in die Paschæ.

Offertorium. Ps. 75 Terra trémuit et quiévit: dum resúrgeret in judício Deus, allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum, ut paschálibus initiátæ mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per Dóminum.

Præfatio. Et te quidem. Infra Canonem Communicántes et Hanc igitur.

Communio. 1 Cor. 5 Pascha nostrum immolátus est Christus, allelúya: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis, allelúya, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SPÍRITUM nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde; ut quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Missa Dominicalis per hebdomadam dicitur.

Ad Missam. Officium. 1 Petr. 2

QUASI modo géniti infántes, allelúya: rationábiles sine dolo lac concupíscite, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 80 Exsultáte Deo adjutóri nostro; jubiláte Deo Jacob.

Non dicitur Glória in excélsis in feriis per totum annum, quando de feria agitur; nec Ite missa est.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Paschália festa perégimus, hæc, te largiénte, móribus et vita teneámus. Per Dóminum.

In omnibus feriis Paschæ tempore et in omnibus festis trium lectionum sine regimine chori, dicuntur tres collectæ sicut in prima Dominica Adventus Domini prænotatum est.

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. 1 Joh. 5

CARÍSSIMI, Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. Et Spíritus est qui testificátur, quóniam Christus est véritas. Quóniam tres sunt qui testimónium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimónium dant in terra: Spíritus, aqua et sanguis: et [1]hi[1] tres unum sunt. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est: quóniam hoc est testimónium Dei quod majus est, quia testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se.

Loco Gradalis dicatur hoc,

Allelúya. ℣. Johan. 20 Post dies octo jánuis clausis stetit Jesus in médio discipulórum suórum: et dixit, Pax vobis.

Allelúya. ℣. Matth. 28 Angelus Dómini descéndit de cœlo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum.

Alius Versus.

Respóndens autem ángelus dixit muliéribus: Quem quæritis? illæ autem dixérunt: Jesum Nazarénum.

Isti duo Versus dicuntur per hebdomadam alternis vicibus: ita tamen quod Versus Respóndens primo dicitur quando de feria agitur. Et si nulla feria per hanc hebdomadam ad hoc vacaverit; tunc ultimus Versus eo anno omnino prætermittatur.

Et notandum est, quod omni die per hoc idem tempus dicuntur duo Allelúya ad missam, de quocunque fiat [2]servitium[2]; exceptis vigiliis Paschæ, Ascensionis, et Pentecostes; et nisi in missis quæ in processione dicuntur.

Secundum Johannem c. 20

IN illo témpore, Cum esset sero die illo, una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jesus, et stetit in médio, et dixit eis; Pax vobis. Et cum hoc dixísset, osténdit eis manus et latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino. Dixit ergo eis íterum; Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixísset, insufflávit et dixit eis; Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; et quorum retinuéritis, reténta sunt. Thomas autem unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli; Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis; Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non cre-

[1] non habent 92. 98. V.
[2] non habent 92. 94. 98.

dam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus jánuis clausis, et stetit in médio et dixit eis; Pax vobis. Deinde dixit Thomæ; Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas, et dixit ei; Dóminus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus; Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt. Multa quidem et ália signa fecit Jesus in conspéctu discipulórum suórum quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei: et ut credéntes vitam habeátis in nómine ejus.

Offertorium. Matth. 28 Angelus Dómini descéndit de cœlo, et dixit muliéribus; Quem quǽritis? surréxit sicut dixit, allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE múnera, quǽsumus, Dómine, exsultántis Ecclésiæ; et cui causam tanti gáudii contulísti, perpétuum fructum concéde lætítiæ. Per Dóminum.

Communio. Johan. 20 Mitte manum tuam et cognósce loca clavórum, allelúya: et noli esse incrédulus sed fidélis, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

QUǼSUMUS, Dómine Deus noster, ut sacrosáncta mystéria quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti; et præsens nobis remédium esse fácias et fúturum. Per Dóminum.

Feria Quarta.

Epistola: Ad Corinthios. I c. 15

FRATRES, Si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides [1]vestra:[1] invenimur autem et falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides [2]vestra,[2] adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine, Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Marcum. c. 16

IN illo tempore, Surgens Jesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens nunciavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. At illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Et illi euntes,

[1] nostra.—92. 98. 4L. 57.
[2] nostra.—92. 98. 4L. 57.

nunciaverunt cæteris, [1]nec crediderunt illis.[1]

Feria sexta.

Epistola: Ad Hebræos. c. 13

Fratres, Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni opere bono, ut faciatis voluntatem ejus: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Secundum Matthæum. c. 28

In illo tempore, Exierunt mulieres de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nunciare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens; Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus; Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes; Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, [2]nobis[2] dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

Sciendum est, quod in omni festo cum regimine chori ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, secundum Allelúya erit unum de subscriptis; quibus dictis reincipiantur[3] illa de hebdomada Paschæ, videlicet de tertia, quarta, et quinta feriis per ordinem: quibus dictis, reincipiantur subscripta;[3] et sunt novem in numero.

Allelúya. ℣. Luc. 24 Mane nobíscum, Dómine, quia declináta est jam dies ad vésperum.

Allelúya. ℣. Oportébat pati Christum et resúrgere a mórtuis: et ita intráre in glóriam suam.

Allelúya. ℣. Rom. 6 Christus resúrgens ex mórtuis: jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur.

Allelúya. ℣. Surréxit altíssimus de sepúlchro: qui pro nobis pepéndit in ligno.

Allelúya. ℣. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo: quem redémit ipse sánguine suo.

Allelúya. ℣. Rom. 4 Christus mórtuus est propter delícta nostra: et surréxit propter justificatiónem nostram.

[1] non habent 92. 97. 98. 4L.
[2] vobis.—92. 98. 4L. 57.
[3] non habent 92. 98.
[1] Dominica prima post Octavas Paschæ et in omnibus dominicis usque ad Ascensionem Domini, si a festis cum regimine chori vacaverit, dicitur missa de resurrectione Domini sicut in die Paschæ, præter Gradale, Sequentiam, Communicantes et Hanc igitur; et tunc non fiat memoria de Dominica ad Missam

[1]Allelúya. ℣. Luc. 24 Surgens Jesus Dóminus noster: stetit in médio discipulórum suórum: et dixit; Pax vobis.

Allelúya. ℣. Matth. 28 Surréxit Dóminus et occúrrens muliéribus ait; Avéte: tunc accessérunt et tenuérunt pedes ejus.

Allelúya. ℣. Marc. 16 In die resurrectiónis meæ, dicit Dóminus, præcédam vos in Galilæam.

Si in hac Dominica vel in sequentibus fiat servitium de aliquo festo cum regimine chori, tunc ad missam secundum Allelúya non erit de Dominica, sed unum de novem prædictis per ordinem.

Dominica secunda post Pascha.

Hac die et omnibus Dominicis diebus usque ad Ascensionem Domini, [2](si a festo cum regimine chori vacaverit)[2] dicatur missa de Resurrectione, sicut in die Paschæ, præter Gradale et Communicántes et Hanc ígitur, sed nulla fiat memoria de Dominica ad missam de Resurrectione. Et semper dicitur Sequentia, Víctimæ Paschali laudes. Et si festum alicujus sancti cum regimine chori in dominica evenerit, tunc de sancto dicitur missa, et memoria de resurrectione sed non de dominica.

Notandum est, quod in omnibus dominicis a Pascha usque ad Ascensionem Domini erit primum Allelúya. ℣. Pascha nostrum et secundum Allelúya de sua dominica; scilicet quod plus facit mentionem de resurrectione, quod est ultimum. Et semper infra prædictum tempus de quocunque dicitur missa, fiat memoria de resurrectione cum hac Oratione Deus, qui per Unigénitum, nisi in Inventione sanctæ Crucis. Missa vero dominicalis per hebdomadam dicitur cum præfatione quotidiana. Et si nulla feria per hebdomadam vacaverit a festo, tunc in dominica in capitulo dicitur.

Missa dominicalis hebdomadæ secundæ post Pascha.

Ad Missam. Officium. Ps. 32

ISERICÓRDIA [3]Dómini[3] plena est terra, allelúya: verbo Dómini cœli firmáti sunt, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

de Resurrectione. Sed semper cantetur Victimæ Paschali; Kyrie vero cum cantu de Lux et origo absque ℣. Gloria in excelsis, Sanctus et Agnus, ut in dominicis per æstatem dicuntur, quando de dominica fiet servitium.

Et si festum alicujus sancti cum regimine chori hac die dominica, vel alia usque proximam dominicam ante Ascensionem Domini, evenerit, fiat processio cum missa de sancta resurrectione, sed non de dominica. Missa vero dominicalis per hebdomadam dicetur cum Præfatione quotidiana. Et semper ab octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini ad magnam missam fiat memoria de resurrectione vel de vigilia Ascensionis Domini.

Notandum est, quod in hac dominica prima post Octavas Paschæ, et in singulis dominicis abhinc usque ad Ascensionem Domini, ad missam de resurrectione erit primum Alleluya. Versu Pascha nostrum, et secundum Alleluya de sua dominica, illud scilicet quod plus facit mentionem de resurrectione, quod est ultimum cum versu Surrexit, qui in singulis missis per hebdomadam usque ad Ascensionem Domini inveniuntur.

Dominica secunda post Pascha per hebdomadam ad Missam Officium.—Grad.

[2]non habent 92. 94. 98. 15. 57.

[3]Dei.—92. 57. Grad.

Oratio.

DEUS, qui in Fílii tui humilitáte jacéntem mundum erexísti; fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam, ut quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias sempitérnis pérfrui. Per eúndem.

Lectio Epistolæ beati Petri apóstoli. 1 c. 2

CARÍSSIMI, Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum ut sequámini vestígia ejus: qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus: qui cum maledicerétur, non maledicébat: cum paterétur, non comminabátur: tradébat autem judicánti se injúste: qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti [1]sumus.[1] Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et epíscopum animárum vestrárum.

Allelúya. ℣. Johan. 10 Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Alleluya. ℣. Surréxit pastor bonus; qui pósuit ánimam suam pro grege suo.

Secundum Johannem. c. 10

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves et fugit: et lupus rapit et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus, et cognósco [2]oves[2] meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium. Ps. 62 Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: et in nómine tuo levábo manus meas, allelúya.

Secreta.

BENEDICTIÓNEM nobis, Dómine, cónferat salutárem sacra semper oblátio: ut quod agit mystério virtúte perfíciat. Per Dóminum.

Communio. Johan. 10 Ego sum pastor bonus, allelúya: et cognósco oves meas et cognóscunt me meæ, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, ut vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes, in tuo semper múnere gloriémur. Per.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. 1 c. 1

CARISSIMI, Scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati et immaculati Christi: præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus, propter vos qui per ipsum fideles estis in [3]Deum,[3] qui suscitavit eum a mortuis et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo: animas ve-

[1] estis.—92. 98.
[2] non habent 92. 98. V.
[3] Deo.—92. 97. 98. V.

stras castificantes[1] in obedientia caritatis in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius: renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi et permanentis in æternum.[2] Quia omnis caro fœnum: et omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit enim fœnum, et flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum.

Secundum Lucam. c. 24

In illo tempore, Una sabbati valde diluculo venerunt mulieres ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata. Et invenerunt revolutum lapidem a monumento; Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt juxta illas in veste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas; Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis cum adhuc in Galilæa esset, dicens; Quia oportet Filium Hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. Et rememoratæ sunt verborum ejus; et regressæ a monumento, nunciaverunt hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene et Johanna et Maria Jacobi et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans quod factum fuerat.

Feria sexta.

Ad Romanos. c. 5

Fratres, Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem,[3] justi constituentur multi. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Matthæum. c. 9

In illo tempore, Accesserunt ad Jesum discipuli Johannis, dicentes; Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus; Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollet enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres; alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur,[4] et utres pereunt.[5] Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.

[1] castigantes.—92. 98. 4L. 57.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. 57.
[3] obedientiam.—97. 4L. 26. 57.
[4] sic 55P. etc. effundetur.—97. 98. 4L. 13. 26.
[5] sic 55P. etc. peribunt.—98. 4L. 13. 26.

Missa Dominicalis hebdomadæ tertiæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 65

JUBILÁTE Deo omnis terra, allelúya: psalmum dícite nómini ejus, allelúya: date glóriam laudi ejus, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Dícite Deo, Quam terribília sunt ópera tua, Dómine: in multitúdine virtútis tuæ.[1]

Oratio.

DEUS, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis qui Christiána professióne censéntur, et illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. 1 c. 2

CARÍSSIMI, obsecro vos tanquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam: ut in eo quod detráctant de vobis tanquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, glorificent Deum in die visitatiónis. Subjécti ígitur estóte omni humánæ creatúræ propter Deum: sive regi, quasi præcellénti: sive dúcibus, tanquam ab eo missis ad vindíctam malefactórum, laudem vero bonórum: quia sic est volúntas Dei, ut benefaciéntes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam: quasi líberi, et non quasi velámen habéntes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei: omnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timéte: regem honorificáte. Servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis. Hæc est enim grátia, In Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúya. ℣. Johan. 16 Módicum et non vidébitis me, dicit Dóminus: íterum módicum et vidébitis me quia vado ad Patrem.

Allelúya. ℣. Iterum autem vidébo vos et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Allelúya. ℣. Surréxit Christus qui creávit ómnia: et misértus est humáno géneri.

In hac hebdomada ad missam in diebus profestis primum Allelúya, scilicet Módicum dicitur per totam hebdomadam loco Gradalis; et alia duo dicuntur alternis vicibus in feriis et in festis trium lectionum; quod etiam in proxima sequenti hebdomada observandum est.

Secundum Johannem. c. 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Módicum, et jam non vidébitis me, et íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo discípuli ejus ad ínvicem; Quid est hoc quod dicit nobis: Módicum, et non vidébitis me, et íterum módicum, et vidébitis me, [2]et[2] quia vado ad Patrem? Dicébant ergo; Quid est hoc quod dicit, Módicum? nescímus quid lóquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volébant eum interrogáre, et dixit eis; De hoc quæritis inter vos quia dixi, Módicum, et non vidébitis me, et íterum módicum, et vidébitis me. Amen, amen, dico vobis: quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum au-

[1] Non dicitur ulterius.—Grad.
[2] non habent 92. 97. 26.

tem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium: quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Offertorium. Ps. 145 Lauda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, psallam Deo meo quámdiu ero, allelúya.

Secreta.

HIS nobis, quæsumus, Dómine, mystériis conferátur, quo terréna desidéria mitigántes discámus amáre cœléstia. Per.

Communio. Johan. 10 Módicum, et non vidébitis me, allelúya: íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

RESPICE, quæsumus, Domine, populum tuum: et quem æternis dignatus es renovare mysteriis, a temporalibus culpis dignanter absolve. Per.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. 1 c. 2

CARISSIMI, Hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed [1]et[1] si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et veritas in eo non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est: in hoc scimus quoniam in [2]eo[2] sumus, [3]si in ipso [4]perfecti fuerimus.[4] [3] Qui dicit se in [5]ipso[5] manere, debet, sicut et ille ambulavit, et ipse ambulare. Carissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio: Mandatum vetus est verbum quod audistis. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod est verum[6] in ipso et in vobis: quoniam tenebræ transierunt, et lumen verum jam lucet, Per Jesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Johannem c. 3

IN illo tempore, Facta est quæstio ex discipulis Johannis cum Judæis de purificatione. Et venerunt ad Johannem, et dixerunt ei; Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Respondit Johannes, et dixit; Non potest homo accipere quidquam, nisi illi datum fuerit de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim [7]vobis quia[7] ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. [8]In[8] hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super

[1] non habent 92. 97. 98. 4L. V.
[2] ipso.—92. 97. 98. 4L. V.
[3] si mandata ipsius observemus.—97. non habet V.
[4] consummemur.—92. 98.
[5] Christo.—26.
[6] et.—97. 15. 26. V.
[7] non habent 97. 13. 26. V.
[8] non habent 92. 97. 98. V.

omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur: et testimonium ejus nemo accipit. Qui autem acceperit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium: et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem [1]incredulus est Filio[1] non [2]videbit[2] vitam, sed ira Dei manet super eum.

Feria sexta.

Ad Thessalonicenses. 1 c. 5

FRATRES, Omnes enim vos filii lucis estis, et filii [3]diei:[3] non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et caritatis, et galeam spem salutis: quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Propter quod consolamini invicem: et ædificate alterutrum In Christo Jesu Domino nostro.

Secundum Johannem. c. 12

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis, Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit ea, ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, [4]aut[4] quid loquar. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

Missa Dominicalis hebdomadæ quartæ post Pascha.

Ad Missam. Officium. Ps. 97

CANTÁTE Dómino cánticum novum, allelúya: quia mirabília fecit Dóminus, allelúya: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam, allelúya, allelúya.

Psalmus. Salvávit sibi déxtera ejus: et bráchium sanctum ejus.

Oratio.

DEUS, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis; da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. c. 1

CARÍSSIMI, Omne datum óptimum et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áli-

[1] non credit.—92. 97. 98.
[2] habet.—92. 98.
[3] sic 55P. etc. Dei.—92. 97. 98. 4L. 26.
[4] et.—97. 13. 26. V.

quod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum, tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri justítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

Allelúya. ℣. Johan. 16 Vado ad eum qui misit me: sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum.

Allelúya. ℣. Ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam.

Allelúya. ℣. Luc. 24 Surréxit Dóminus vere et appáruit Petro.

Et dicuntur sicut notatur in proxima Dominica præcedenti.

Secundum Johannem. c. 16

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Vado ad eum, qui me misit; et nemo ex vobis intérrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum. Sed ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos. Et cum vénerit ille, árguet mundum de peccáto et de justítia et de judício. De peccáto quidem: quia non credidérunt in me; de justítia vero: quia ad Patrem vado et jam non vidébitis me; de judício autem: quia princeps hujus mundi jam judicátus est. Adhuc multa hábeo vobis dícere: sed non potéstis portáre modo. Cum autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem: non enim loquétur a semetípso: sed quæcúmque áudiet loquétur, et quæ ventúra sunt annunciábit vobis. Ille me clarificábit: quia de meo accípiet et annunciábit vobis. Omnia quæcúmque habet Pater, mea sunt. Proptérea dixi: quia de meo accípiet, et annunciábit vobis.

Offertorium. Ps. 65 Jubiláte Deo univérsa terra, jubiláte Deo univérsa terra: psalmum dícite nómini ejus; veníte et audíte et narrábo vobis, omnes qui timétis Deum: quanta fecit Dóminus ánimæ meæ, allelúya.

Secreta.

Deus, qui resurgens a mortuis, passione cessata, potentiorem te tuis discipulis reddidisti; concede propitius, ut nos quoque majestati tuæ hoc Paschale sacrificium conciliet, et ad gratiam tuam promerendam, in bonis operibus efficiat promptiores. Qui vivis.

Communio. Johan. 16 Dum vénerit Paráclitus Spíritus veritátis: ille árguet mundum de peccáto, et de justítia et de judício, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Adésto nobis, Dómine Deus noster, ut per hæc quæ fidéliter súmpsimus et purgémur a vítiis et a perículis ómnibus eruámur. Per Dóminum.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. c. 2

Carissimi, Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. [1]Etenim si[1] introierit vir in conventum vestrum anulum aureum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu; et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub

[1] cum enim.—92. 98. 4L. 57.

scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis cogitationum iniquarum judices? Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum: bene facitis: si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem legem totam servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non [1]occides, dixit et, Non mœchaberis.[1] Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite, quasi per legem libertatis incipientes [2]judicare.[2] Judicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 17

In illo tempore, Respiciens Jesus in discipulos suos, dixit; Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi ego custodivi: et nemo ex [3]eis[3] periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

Feria sexta.

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. c. 2

Carissimi, Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum? Similiter autem et Raab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios et alia via ejiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Secundum Johannem. c. 13

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quæretis me, et sicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos invicem diligatis. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus; Domine, quo vadis? Respondit Jesus; Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.

[1] mœchaberis, dixit et non occides.—15. 26. V.
[2] judicari.—V.
[3] his.—92. 97. 98.

Missa Dominicalis hebdomadæ quintæ post Pascha.

Ad Missam. Officium. Esai. 48

OCEM jocunditátis annunciáte et audiátur, allelúya: nunciáte usque ad extrémum terræ, Liberávit Dóminus pópulum suum, allelúya, allelúya.

Ps. 65 Jubiláte Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus.

Oratio.

DEUS, a quo cuncta bona procédunt, largíre supplícibus tuis, ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt, et te gubernánte eádem faciámus. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli. c. 1

CARÍSSIMI, Estóte factóres verbi et non auditóres tantum, falléntes vosmetípsos. Quia si quis est audítor verbi et non factor: hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo: considerávit enim se, et ábiit, et statim oblítus est qualis fúerit. Qui autem perspéxerit in lege perféctæ libertátis, et permánserit in ea, non audítor obliviósus factus sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiósum esse, non refrénans linguam suam sed sedúcens cor suum, hujus vana est relígio. Relígio munda et immaculáta apud Deum et Patrem, hæc est: Visitáre pupíllos et víduas in tribulatióne eórum, et immaculátum se custodíre ab hoc sæculo.

Allelúya. ℣. Johan. 16 Usque modo non petístis quicquam in nómine meo: pétite et accipiétis.

Allelúya. ℣. Rom. 6 Surréxit Christus, jam non móritur: mors illi ultra non dominábitur.

Secundum Johannem. c. 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen, amen, dico vobis: si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Usque modo non petístis quidquam in nómine meo: pétite et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Hæc in provérbiis locútus sum vobis. Venit hora cum jam non in provérbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciábo vobis. Illo die in nómine meo petétis: et non dico vobis quia ego rogábo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amástis, et credidístis quia ego a Deo exívi. Exívi a Patre, et veni in mundum: íterum relínquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discípuli ejus; Ecce nunc palam lóqueris, et provérbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis ómnia, et non opus est tibi ut quis te intérroget: in hoc crédimus quia a Deo exísti.

Offertorium. Ps. 65 Benedícite, gentes, Dóminum Deum nostrum: et obaudíte vocem laudis ejus: qui pósuit ánimam meam ad vitam, et non dedit commovéri pedes meos; benedíctus Dóminus qui non amóvit deprecatiónem meam: et misericórdiam suam a me, allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, fidélium preces cum oblatiónibus hostiárum, ut per hæc piæ devotiónis offícia ad cœléstem glóriam transeámus. Per.

Communio. Ps. 95 Cantáte Dómino, allelúya: cantáte Dómino et benedícite nomen ejus, bene nunciáte de die in diem salutáre ejus, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

TRÍBUE nobis, Dómine, quæsumus, cœléstis mensæ virtúte satiátis, et

desideráre quæ recta sunt et desideráta percípere. Per Dominum.

Feria secunda in Rogationibus.

Si a festo cum regimine chori vacaverit, dicitur post sextam pro magna missa, scilicet Vocem jocunditátis, ut supra in Dominica. [1]Et in processione dicitur hæc missa.[1]

Officium. Ps. 17

XAUDÍVIT de templo sancto suo vocem meam, allelúya: et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus, allelúya, allelúya.

Psalmus. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum et liberátor meus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus, contra advérsa ómnia tua semper protectióne muniámur. Per.

Secunda Oratio de sancto de quo est ecclesia illa[2]; tertia oratio de [3]Omnibus Sanctis, Oratio Concéde, quæsumus, omnípotens Deus.[3]

Lectio Epistolæ beati Jacobi Apostoli. c. 5

CARÍSSIMI, Confitémini altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Helías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit: et cœlum dedit plúviam et terra dedit fructum suum. Si quis autem ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum: scire debet quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, et óperit multitúdinem peccatórum.

Alleluya. ℣. Ps. 117 Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Secundum Lucam. c. 11

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Quis vestrum habébit amícum, et ibit ad illum média nocte, et dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes; quóniam amícus meus venit de via ad me, et non hábeo quod ponam ante illum. Et ille deíntus respóndens dicat: Noli mihi moléstus esse, jam óstium clausum est, et púeri mei mecum sunt in cubíli, non possum súrgere et dare tibi. Et ille si perseveráverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amícus ejus sit, propter improbitátem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessários. Et ego vobis dico: Pétite, et dábitur vobis: quærite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpéntem dabit illi? Aut si petíerit ovum: numquid pórriget illi scorpiónem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se?

Offertorium. Ps. 108 Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum, qui ástitit ad déxteram páuperis: ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam, allelúya.

[1] Nona vero cantata, et omnibus præparatis quæ ad processionem pertinent, eat Processio ad aliquam ecclesiam in civitate, ut plenius in Processionali continetur. Missa de jejunio nisi fit statio ad missam.—Grad.

[2] nisi fit statio.—Grad.

[3] Resurrectione.—92. 98.

Hic fiat sermo ad populum, si placuerit.

Secreta.

HÆC múnera, Dómine, quæsumus, et víncula nostræ pravitátis absólvant, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum.

Communio. Luc. 11 Pétite et accipiétis: quærite et inveniétis, pulsáte et aperiétur vobis: omnis enim qui petit accípit, et qui quærit ínvenit: et pulsánti aperiétur, allelúya.

Postcommunio.

VOTA nostra, quæsumus, Dómine, pio favóre proséquere; ut dum dona tua in tribulatióne percépimus, de consolatióne nostra in tuo amóre crescámus. Per Dóminum.

Feria tertia.

Dicitur [1]magna[1] missa de sancta Maria, nisi aliquod festum cum regimine chori in eadem contigerit; et missa Salus populi dicitur in processione ubi fit statio, [2]ad quam missam unum tantum Allelúya dicitur;[2] et in vigilia Ascensionis dicitur missa de Pace in processione; tamen si festum alicujus sancti cum regimine chori in secunda feria contigerit, tunc [3]dicitur[3] [4] missa dominicalis in tertia feria vel in vigilia Ascensionis in processione ubi fit statio. Similiter quando festum cum regimine chori in vigilia Ascensionis evenerit, tunc dicitur missa de vigilia in processione, [5]et fiat statio.[5] Et semper in his prædictis tribus diebus dicitur magna missa in choro post sextam; et post illam missam statim dicitur hora nona: et tunc exeat processio.

In vigilia Ascensionis Domini.

Ad Missam. Officium. Ps. 46

OMNES gentes pláudite mánibus, jubiláte Deo in voce exsultatiónis, allelúya, allelúya.

Psalmus. Subjécit pópulos nobis: et gentes sub pédibus nostris.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Pater, ut nostræ mentis intentio, quo Unigenitus Filius tuus Dominus noster venturæ solemnitatis gloriosus auctor ingressus est, semper intendat; et quo fide pergit conversatione perveniat. Per.

Memoria de sancta Maria et de Omnibus Sanctis.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 4

IN diebus illis, Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri: et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Allelúya. ℣. Ps. 46 Omnes gentes pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

[1] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[3] dicatur.—94. 97.
[4] missa de jejunio in processione ubi fit statio, ut supra, et.—Grad.
[5] ubi fit statio.—94. 97. non habent 92. 98. 4L. 15. 57.

Secundum Johannem. c. 17

In illo témpore, Sublevátis Jesus óculis in cœlum, dixit; Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum, ut et Fílius tuus clarificet te: sicut dedísti ei potestátem omnis carnis, ut omne quod dedísti ei, det eis vitam ætérnam. Hæc est [1]autem[1] vita ætérna: Ut cognóscant te, solum verum Deum, et quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram: opus consummávi quod dedísti mihi ut fáciam: Et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte quam hábui prius quam mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti: et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt quia ómnia quæ dedísti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedísti mihi, dedi eis: et ipsi accepérunt et cognovérunt vere quia [2]a te exivi, et credidérunt quia tu me misísti.[2] Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedísti mihi: quia tui sunt. Et mea ómnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificátus sum in eis: et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te vénio.

Offertorium. Act. c. 1

Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cœlum? hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cœlum sic véniet: quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cœlum; allelúya.

Secreta.

Sacrificium, Domine, pro Filii tui supplices venerabili quam prævenimus nunc ascensione deferimus: præsta, quæsumus, ut et nos per ipsum his sacrosanctis commerciis ad cœlestia consurgamus. Qui tecum vivit.

Præfatio quotidiana.

Communio. Johan. 17 Pater, cum essem cum eis, ego servábam eos quos dedísti mihi, allelúya: nunc autem ad te vénio: non rogo ut tollas eos de mundo: sed ut serves eos a malo, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Tribue, quæsumus, Domine, ut per hæc sacramenta quæ sumpsimus, illuc tendat nostræ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia Jesus Christus[3] Dominus noster. Qui tecum.

In die Ascensionis Domini.

Ad Missam. Officium. Act. c. 1

Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cœlum, allelúya, quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cœlum: ita véniet, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Cumque intueréntur in cœlum eúntem illum: ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis: qui et dixérunt.

Kýrie eléyson.
Glória in excélsis.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui hodiérna die Unigénitum tuum redemptórem nostrum ad cœlos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus. Per eúndem.

[1] enim.—4L. 13. 15.
[2] tu me misisti, et crediderunt quia a te exivi.—92. 97. 98.
[3] Filius tuus.—94. 97.

Lectio Actuum Apostolorum. cap. 1

PRIMUM quidem sermónem feci de ómnibus, O Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere et docére, usque in diem qua præcípiens apóstolis per Spíritum Sanctum quos elégit assúmptus est: quibus et præbuit seípsum vivum post passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei. Et convéscens præcépit eis ab Hierosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Johánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum dicéntes; Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israel? Dixit autem eis; Non est vestrum nosse témpora vel moménta quæ Pater pósuit in sua potestáte: sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Hierúsalem et in omni Judæa et Samaría et usque ad últimum terræ. Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est; et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt; Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cœlum? Hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cœlum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cœlum.

Allelúya. ℣. Ps. 46 Ascéndit Deus in jubilatióne: et Dóminus in voce tubæ.

Hac die et in Octavis, [1]etiam[1] si duplex festum ibidem celebretur, dicitur

Allelúya. ℣. ad Eph. 4 Ascéndens Christus in altum: captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus.

Quotidie per Octavas, nisi in Dominica et in octava die, sive fiat servitium de Ascensione sive de aliquo festo cum regimine chori, nisi in festo Philippi et Jacobi et in Inventione sanctæ Crucis, erit secundum

Allelúya. ℣. Dóminus in Sinai[2] sancto, ascéndens in altum captívam duxit captivitátem.

Sequentia.

REX omnipotens, die hodierna
Mundo triumphali redempto potentia,
Victor ascendit cœlos, unde descenderat.
Nam quadraginta postquam surrexerat
Diebus sacris confirmans pectora
Apostolorum, pacis cara relinquens oscula,
Quibus et dedit potestatem laxandi crimina,
Et misit eos in mundum, baptizare cunctas animas,
In Patris et Filii et Spiritus Sancti clementia.
Et convescens, præcepit eis ab Hierosolymis
Ne abirent, sed expectarent promissa munera;
Non post multos enim dies mittam vobis Spiritum Paraclitum in terra,
Et eritis mihi testes in Hierusalem, Judæa, sive Samaria.
Et cum hoc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes clara
Suscepit eum ab eorum oculis, intuentibus illis æthera.
Ecce stetere amicti duo viri in veste alba
Juxta dicentes, Quid admiramini cœlorum alta?
Jesus enim hic, qui assumptus est a vobis ad Patris dexteram,

[1] non habent 94. 97.
[2] in.—94. 26. 57.

Ut ascendit, ita veniet, quærens talenti
commissi lucra.
O Deus, [1]cœli, maris, arvi,[1]
hominem, quem creasti,
quem fraude subdola
Hostis expulit paradiso,
et captivatum secum
traxit ad tartara,
Sanguine proprio
quem redemisti Deus,
Illuc et revehis,
unde prius corrupit,
paradisi gaudia.
Judex cum veneris,
judicare sæcula,
Da nobis, petimus,
sempiterna gaudia
in sanctorum patria.
In qua tibi cantemus
omnes Alleluya.

Secundum Marcum. c. 16

In illo témpore, Recumbéntibus úndecim discípulis appáruit illis Jesus et exprobrávit incredulitátem illórum et durítiam cordis: quia his qui víderant eum resurrexísse,[2] non crediderant. Et dixit eis; Eúntes in mundum univérsum, prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis: serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus postquam locútus est eis, assúmptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis.
[3]Credo.[3]

Offertorium. Ps. 46 Ascéndit Deus in jubilatióne: [4]et[4] Dóminus in voce tubæ, allelúya.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera quæ pro Fílii tui gloriósa ascensióne deférimus; et concéde propítius, ut a præséntibus perículis liberémur et ad vitam perveniámus ætérnam. Per eúndem.

Præfatio. Qui post resurrectiónem et Communicántes. Et dicuntur per totas Octavas et etiam in Dominica quando de Ascensione agitur.

Communio. Ps. 67 Psállite Dómino qui ascéndit super cœlos cœlórum ad oriéntem, allelúya.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens et misericors Deus, ut quæ visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur effectu. Per.

Per totas Octavas dicitur eadem missa nisi festum cum regimine chori intercurrat: et nisi in Dominica; sed sine Sequentia et Credo.

[1] cœlum, mare, arva.—92. 94. 98. 4L. 57.
[2] a mortuis.—98. 4L. 13. 57.
[3] habetur in 26.
[4] non habent 92. 98.

Dominica infra Octavas Ascensionis.

Ad Missam. Officium. Ps. 26

EXÁUDI, Dómine, vocem meam qua clamávi ad te, allelúya; tibi dixit cor meum, quæsívi vultum tuum, vultum tuum, Dómine, requíram: ne avértas fáciem tuam a me, allelúya, allelúya.

Psalmus. Dóminus illuminátio mea: et salus mea, quem timébo.

Deinde dicitur Kýrie eléyson de quarta die infra Octavas cum regimine chori, licet in sexta feria vel in sabbato præcedente aliquod festum cum regimine chori celebratum fuerit.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.

Memoria fiat de Ascensione.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

1 c. 4

CARÍSSIMI, Estóte prudéntes et vigilá-te in oratiónibus. Ante ómnia autem mútuam in vobismetípsis caritátem contínuam habéntes: quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Hospitáles ínvicem sine murmuratióne: unusquísque sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis minístrat, tanquam ex virtúte quam adminístrat Deus: ut in ómnibus honorificétur Deus, Per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Allelúya. ℣. Ps. 46 Regnábit Dóminus super omnes gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.

Allelúya. ℣. Johan. 14 Non vos relínquam órphanos: vado et vénio ad vos, et gaudébit cor vestrum.

Nulla dicitur Sequentia.

Secundum Johannem. c. 15 et 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Cum vénerit Paráclytus, quem ego mittam vobis a Patre Spíritum veritátis qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos: sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem neque me. Sed hæc locútus sum vobis: ut cum vénerit hora, eórum reminiscámini, quia [1]ego[1] dixi vobis.

Offertorium. Ps. 145 Lauda ánima mea Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea, psallam Deo meo quámdiu ero, allelúya.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut hanc tibi hostiam in ejus corpus et sanguinem placabiliter offeramus, quem sedentem a dextris virtutis tuæ [2]etiam[2] pro nobis interpellare confidimus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Communio. Johan. 17 Pater, cum essem cum eis ego servábam eos quos dedísti mihi, allelúya: nunc autem ad te vénio; non rogo ut tollas eos de mundo: sed ut serves eos a malo, allelúya, allelúya.

[1] hæc.—26.—non habent 97. 13.
[2] et—92. 98. 4L. 57.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc sacrosancta commercia in totius Ecclesiæ confidamus corpore faciendum, quod ejus præcessit in capite. Per eundem.

Si aliquod festum cum regimine chori in hac dominica evenerit, totum servitium fiat de festo; et missa de dominica in capitulo dicitur; cum cantu super Kýrie eléyson, Glória in excélsis, Sanctus et Agnus, sicut in festo trium lectionum sine regimine chori, cum uno Allelúya. ℣. Regnábit. Et tunc ad missam de festo erit secundum Allelúya. ℣. Non vos. nisi in festo sanctæ crucis. Et etiam erit secundum Allelúya in crastino Octavarum Ascensionis, licet de sancta Maria fiat plenum servitium.

In Octavis Ascensionis Domini ad missam omnia fiant sicut in die, more simplicis festi,[1] sine Sequentia et Credo.

Feria sexta totum fiat servitium de sancta Maria, si a festo cum regimine chori vacaverit.

In vigilia Pentecostes.

[2]Accedat sacerdos ad altare cum diacono et subdiacono et cæteris ministris altaris in solemni apparatu, sicut in vigilia Paschæ, confessione jam non dicta sed tantum Pater noster, et legantur lectiones a dignioribus personis in superpelliciis ad gradum chori sine titulis.

Lectio prima. Gen. 22

TENTÁVIT Deus Abraham, et dixit ad eum; Abraham, Abraham. At ille respóndit; Adsum. Ait illi; Tolle fílium tuum unigénitum quem díligis, Isaac, et vade in Terram visiónis; atque ófferes eum ibi in holocáustum super unum móntium quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum, ducens secum duos júvenes et Isaac fílium suum: cumque concidísset ligna in holocáustum, ábiit ad locum quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul, dixítque ad púeros suos; Exspectáte hic cum ásino: ego et puer illuc usque properántes, postquam adoravérimus revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocáusti, et impósuit super Isaac fílium suum: ipse vero portábat in mánibus suis ignem et gládium. Cumque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo; Pater mi. At ille respóndit; Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna: ubi est víctima holocáusti? Dixítque Abraham; Deus providébit sibi víctimam holocáusti, fili mi. Pergébant ergo páriter. Venerúntque ad locum quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, et désuper ligna compósuit: cumque [3]alligásset[3] Isaac fílium suum, pósuit eum in altári super struem lignórum. Extendítque manum, et arrípuit gládium ut immoláret fílium suum. Et ecce Angelus Dómini de cœlo clamávit, dicens; Abraham, Abraham. Qui respóndit; Adsum. Dixítque ei; Ne exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quicquam: nunc cognóvi quod tímeas Deum, et non pepercísti fílio tuo unigénito propter me. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus, quem assúmens óbtulit holocáustum pro fílio. Appellavítque nomen loci illíus, Dóminus videt. Unde usque hódie dícitur: In monte Dóminus vidébit. Vocávit autem Angelus Dómini Abraham secúndo de cœlo, dicens; Per memetípsum jurávi,

[1] nisi duplex festum impediat.—97. 13. 26. Grad.
[2] Cantata hora nona.—97. 13. 26.
[3] colligasset.—92. 97. 98. 4L. 57.

dicit Dóminus: quia fecísti rem hanc, et non pepercísti fílio tuo unigénito propter me: benedícam tibi, et multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arénam quæ est in lítore maris: possidébit semen tuum portas inimicórum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obedísti voci meæ. Revérsus est Abraham ad púeros suos, abierúntque Bersabée simul, et habitávit ibi.

Sequatur Oratio sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus.

Oratio.[1]

DEUS, qui in Abrahæ fámuli tui ópere humáno géneri obediéntiæ exémpla præbuísti, concéde nobis, et nostræ voluntátis pravitátem frángere, et tuórum præceptórum rectitúdinem in ómnibus adimplére. Per Dóminum.

Lectio secunda. Scripsit Móyses Cánticum. et Tractus, Atténde cœlum. Require supra in Vigilia Paschæ.

Omnes Tractus a choro dicuntur alternatim, præter ultimum, et omnes Orationes sine Dóminus vobíscum præter ultimam dicuntur, sed tantum cum Orémus.

Oratio.[1]

DEUS, qui es glorificátio fidélium et vita justórum; qui per Móysen fámulum tuum nos quoque modulatióne sacri cárminis erudísti; univérsis géntibus misericórdiæ tuæ munus operáre, tribuéndo beatitúdinem, auferéndo terrórem; ut quod prænunciátum est ad supplícium, in remédium transferátur ætérnum. Per Dóminum.

Lectio tertia. Apprehéndent septem mulíeres. et Tractus. Vínea facta. Quære supra fol. 202.

Oratio.

DEUS, qui nos ad celebrándam hanc præséntem festivitátem utriúsque testaménti páginis ínstruis: da nobis intellígere misericórdias tuas, ut ex perceptióne præséntium múnerum firma sit exspectátio futurórum. Per Dóminum.

[Baruch c. 3]

AUDI, Israel, mandáta vitæ; áuribus pércipe ut scias prudéntiam. Quid est, Israel, quod in terra inimicórum es? Inveterásti in terra aliéna: coinquinátus es cum mórtuis: deputátus es cum [2]his qui in inférno sunt:[2] dereliquísti fontem sapiéntiæ. Nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace super terram. Disce ubi sit sapiéntia, ubi sit virtus, ubi sit prudéntia, ubi sit intelléctus; ut scias simul ubi sit [3]longitúrnitas vitæ[3] et [4]victus,[4] ubi sit lumen oculórum et pax. Quis invénit locum ejus, et quis introívit in thesáuros ejus? Ubi sunt príncipes géntium, et qui dominántur super béstias quæ sunt [5]in terra[5]? Qui in ávibus cœli ludunt, qui argéntum thesaurízant et aurum in quo confídunt hómines, et non est finis [6]acquisitiónis[6] eórum. Qui argéntum fábricant, et sollíciti sunt, nec est invéntio óperum illórum. [7]Et tamen[7] exterminátí sunt, et ad ínferos descendérunt, et álii [8]in locum illórum surrexérunt.[8] Júvenes vidérunt lumen, et habitavérunt super terram. Viam

[1] non habet 26.
[2] descendentibus in infernum.—26. V.
[3] longiturna vita.—92. 97. 98.
[4] virtus.—92. 98. 4L. 13. 57.
[5] super terram.—26. V.
[6] possessionis.—4L. 13. 57.
[7] non habent 92. 98. 26. V.
[8] loco eorum exsurrexerunt.—26. V.

autem disciplínæ [1]nesciérunt[1] neque intellexérunt sémitas ejus; neque suscepérunt eam fílii eórum. A fácie eórum longe facta est. Non est audíta in terra Chánaan, neque visa est in Theman. Fílii quoque Agar qui exquisiérunt prudéntiam quæ de terra est, negotiatóres terræ et Theman et fabulatóres et exquisitóres prudéntiæ et intelligéntiæ. Viam autem sapiéntiæ nesciérunt, neque meminérunt semitárum ejus. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessiónis ejus. Magnus et non habet consummatiónem; excélsus et imménsus. Ibi fuérunt gigántes nomináti, illi qui ab inítio fuérunt, statúra magna, sciéntes bellum. Non hos elégit Dóminus, neque viam disciplínæ invenérunt; proptérea periérunt. Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, interiérunt propter suam insipiéntiam. Quis ascéndit in cœlum, et accépit eam, et edúxit eam de núbibus? Quis transfretávit mare et invénit eam, et áttulit illam super aurum eléctum? Non est qui [2]sciat viam[2] ejus, neque qui [3]excogitet[3] sémitas ejus. Sed qui scit univérsa novit illam, et adinvénit illam prudéntia sua. Qui [4]perfécit[4] terram in sempitérno témpore, et adimplévit eam pecúdibus et quadrupédibus. Qui emíttit lucem et vadit; et vocávit eam, et óbedit illi in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumen in custódiis suis, et lætátæ sunt. Vocátæ sunt, et dixérunt; [5]Ecce[5] ádsumus. Et luxérunt ei cum jocunditáte qui fecit illas. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius [6]ad illum.[6] Hic adinvénit omnem viam disciplínæ, et dedit illam Jacob púero suo, et Israel dilécto suo. Post hæc [7]super terram[7] visus est, et cum homínibus conversátus est.

[1] ignoraverunt.—26. V.
[2] possit scire vias.—26. V.
[3] exquirat.—26. V.
[4] præparavit.—26. V.
[5] non habent 92. 97. 98. 15. V.
[6] adversus eum.—15. 26. V.
[7] in terris.—15. 26. V.

Oratio.

DEUS, qui nobis per prophetárum ora præcepísti temporália relínquere atque ad ætérna festináre; da fámulis tuis, ut quæ a te jussa cognóvimus, implére cœlésti inspiratióne valeámus. Per Dóminum.

Tractus. Ps. 41 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dei mei.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi per síngulos dies, Ubi est Deus tuus.

Deinde hæ duæ Orationes dicuntur sub uno Per Dóminum et sub uno Orémus.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui solemnitátem doni Sancti Spíritus cólimus, cœléstibus desidériis accénsi, fontem vitæ sitiámus Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Alia Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri; præsta, quæsumus, ut gentium facta dispersio divisione linguarum, ad unam confessionem tui nominis cœlesti munere congregetur. Per Dominum.

Deinde sequantur Letaniæ et Benedictio fontium, sicut in Vigilia Paschæ, eodem videlicet modo et ordine in eundo et redeundo et in statione. In redeundo dicitur Rex sanctórum, et postea incipiatur missa. Kýrie eléyson. et interim dicat sacerdos Confíteor etc. more solito. Sequatur Glória in excelsis. Tunc omnes genuflectent exuentes capas nigras, et pulsentur omnes campanæ. Deinde dicitur Dóminus vobíscum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat, et lux tuæ lucis corda eórum qui per grátiam tuam renáti sunt Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 19

IN diébus illis, Factum est cum Apóllo esset Corínthi, et Paulus, peragrátis superióribus pártibus, veníret Ephesum, et inveníret quosdam discípulos, dixítque ad eos; Si Spíritum Sanctum accepístis credéntes? At illi dixérunt ad eum; Sed neque si Spíritus Sanctus est, audívimus. Ille vero ait; In quo ergo baptizáti estis? Qui dixérunt; In Johánnis baptísmate. Dixit autem Paulus; Johánnes baptizávit baptísmo pœniténtiæ pópulum [1]docens[1] in eum qui ventúrus esset post ipsum ut créderent, hoc est in Jesum. His audítis, baptizáti sunt in nómine Dómini Jesu. Et cum imposuísset illis manus Paulus, venit Spíritus Sanctus super eos, et loquebántur linguis et prophetábant. Erant autem omnes viri fere duódecim. Introgréssus autem [2]Paulus[2] synagógam, cum fidúcia loquebátur per tres menses, dísputans et suádens de regno Dei.

[3]Lecta Epistola, duo clerici de secunda forma in capis sericis, in pulpito cantent hoc Allelúya chorus idem prosequatur. Clerici ℣. Ps. 117

Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Chorus finiat cum neuma. Item clerici reincipiant Allelúya sine neuma. Deinde sequatur Tractus, qui a duobus de secunda forma in capis nigris ad gradum chori totus et integer cantetur, choro interim sedente.

Tractus. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli.

℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Iterum vero procedat diaconus cum subdiacono per medium chori, more solito, sine cruce, ad legendum Evangelium quem præcedant duo ceroferarii cereis extinctis; et legatur in pulpito more dominicali Evangelium sequens.[3]

Secundum Johannem. c. 14

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Si dilígitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, Spíritum veritátis, quem[4] mundus non potest accípere, quia non videt eum nec scit eum: vos autem cognoscétis eum: quia apud vos manébit, et in vobis erit. Non vos relínquam órphanos: véniam ad vos. Adhuc módicum: et

[1] dicens.—92. 98. V.
[2] non habent 92. 97. 98. V.
[3] Et legatur in Pulpito, similiter et Evangelium, sicut in vigilia Paschæ; Alleluya. versu Confitemini; Tractus Laudate Dominum.—92. 94. 97. 98. 57.
[4] hic.—92. 98. 4L. 57.

mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me: quia ego vivo, et vos vivétis. In illo die vos cognoscétis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandáta mea et servat ea, ille est qui díligit me. Qui autem díligit me, diligétur a Patre meo, et ego díligam eum, et manifestábo ei meípsum.[1]

Non dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ: sit glória Dómini in sæcula, allelúya.

Secreta.

HOSTIAS populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende; et ut tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras Sancti Spiritus salutaris emundet adventus. Per Dominum. Ejusdem.

Præfatio quotidiana.

Hac die Sanctus et Agnus solemniter dicuntur.

Communio. Johan. 7 Ultimo festivitátis die dicébat Jesus, Qui in me credit: flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dixit de Spíritu quem acceptúri erant credéntes in eum, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut Spiritus Sanctus adveniens majestatem nobis Filii tui manifestando clarificet. Per eundem. In unitate ejusdem.

[1] Et legatur (in Pulpito 57.) more dominicali.—92. 94. 97. 98. 57.

In die sancto Pentecostes.

Ad Missam. Officium. Sap. 1

SPÍRITUS Dómini replévit orbem terrárum, allelúya: et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 67 Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere et de ejus semper consolatióne gaudére. Per. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 2

IN diébus illis, Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes discípuli páriter in eódem loco: et factus est repénte de cœlo sonus, tanquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispartítæ linguæ tanquam ignis, sedítque supra síngulos eórum. Et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Hierúsalem habitántes Judæi viri religiósi, ex omni natióne quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua illos loquéntes. Stupébant autem omnes et mirabántur adinvicem, dicéntes; Nonne ecce omnes isti qui loquúntur Galilæi sunt? Et quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi et Medi et Elamítæ et qui hábitant Mesopotámiam, Judæam et Capadóciam, Pontum et Asiam, Phrýgiam et Pamphýliam Ægýptum et partes Líbyæ quæ est circa Cyrénen et ádvenæ Románi, Judæi quoque et Prosélyti, Cretes et Arabes: audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei.

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ.

Allelúya. ℣. Spiritus Sanctus procedens a throno, apostolorum pectora invisibili hodie perlustravit potentia.

Sequentia.

SANCTI Spiritus
adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi
faciat habitacula,
Expulsis inde cunctis
vitiis spiritalibus.
Spiritus alme,
illustrator omnium,
Horridas nostræ
mentis purga tenebras.
Amator sancte sensatorum
semper cogitatuum,
Infunde unctionem tuam
clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium
flagitiorum spiritus,
Purifica nostri oculum
interioris hominis
Ut videri supremus
genitor possit a nobis.
Mundi [1]cordis[1] quem soli
cernere possunt oculi.

[1] corde.—92. 98. 57.

Prophetas tu inspirasti, ut præconia Christi
præcinuissent inclyta.
Apostolos[1] confortasti, uti trophæum Christi
per totum mundum veherent.
Quando machinam per verbum suum
fecit Deus cœli, terræ, marium.
Tu, super aquas foturus eas
numen tuum expandisti, Spiritus.
Tu, animabus vivificandis,
aquas fœcundas;
Tu, aspirando, das spiritales
esse homines;
Tu, divisum per linguas mundum,
et ritus, adunasti, Domine.
Idolatras ad cultum Dei
revocas, magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi
exaudi propitius, Sancte Spiritus,
Sine quo preces omnes cassæ
[2]creduntur,[2] et indignæ Dei auribus.
Tu, qui omnium sæculorum sanctos
Tui nominis docuisti
instinctu [3]amplectendo[3]
Spiritus,
Ipse hodie apostolos Christi
Donans, munere insolito,
et cunctis inaudito sæculis,
Hunc diem gloriosum fecisti.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 14

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Si quis díligit me, sermónem meum servábit; et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus: qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus: sed ejus qui misit me Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia et súggeret vobis ómnia quæcúmque díxero vobis. Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado et vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis útique quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobíscum: venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognóscat mundus quia[4] díligo Patrem, et sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio.

Credo.

Offertorium. Ps. 67 Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, a templo tuo quod est in Hierúsalem: tibi ófferent reges múnera, allelúya.

Secreta.

Múnera,[5] Dómine, quæsumus, oblata sanctífica, et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per. In unitáte ejúsdem.

Præfatio. Qui ascéndens.

Hæc Præfatio dicitur quotidie per hanc hebdomadam et in omnibus missis de Sancto Spiritu per totum annum. Ita quod extra hanc hebdomadam non dicuntur hæc duo verba hodiérna die in Præfatione. Communicántes et Hanc ígitur usque ad festum Sanctæ Trinitatis tantum dicuntur.

[1] tu.—92. 94. 98.
[2] redduntur.—92. 94. 4L. 57.
[3] amplectende.—92. 97. 98. 4L. 57.
[4] ego.—98. 13. 57.
[5] nostra.—97. 26.

Communio. Act. 2 Factus est repénte de cœlo sonus adveniéntis spíritus vehemén-tis ubi erant sedéntes, allelúya: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, loquéntes magnália Dei, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SANCTI Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Feria secunda post Pentecosten.

Ad Missam. Officium. Ps. 80

IBÁVIT eos ex ádipe fruménti, allelúya: et de petra melle saturávit eos, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob.

Oratio.

DEUS, qui apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum: concéde plebi tuæ piæ petitiónis effectum, ut quibus dedísti fidem, largiáris et pacem. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 10

IN diébus illis, Apériens Petrus os suum, dixit; Viri fratres et patres, nobis præcépit Dóminus pópulo prædicáre et testificári, quia ipse est qui constitútus est a Deo judex vivórum et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Adhuc loquénte Petro verba hæc, cécidit Spíritus Sanctus super omnes qui audiébant verbum. Et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles qui vénerant cum Petro: quia et in natiónes grátia Spíritus Sancti effúsa est. Audiébant enim illos loquéntes linguis, et magnificántes Deum. Tunc respóndit Petrus; Numquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizéntur hi, qui Spíritum Sanctum accepérunt sicut et nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini nostri Jesu Christi.

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ.

Allelúya. ℣. Johan. 14 Paráclitus Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo: ille vos docébit omnem veritátem.

Sequentia.

RESONET sacrata
jam turma diva symphonia
Repleta gaudia
promissa e cœlo reddita,
In unum congregata
apostolorum phalanx
præclara exspectans munera.
Repente vox divina
Paraclytum nunciat
decorans sanctorum viscera.
Fantur omni lingua
nonnulla mysteria
Deique magnalia.
Cantica divina
non cessat reboare
ejus quoque caterva.
O Deus omnis arvi
te laudat sol et luna
concrepat usia
cuncta cœlica
et profunda flumina.
Te psallat tellus alma
sidera cuncta clara
jubilat, adorat,
amat redempta
omnis quoque anima.
Stupens Judæa, hæc, inquit, exsecranda,
concio [1]vino ista[1] est repleta mustique

[1] vino isto.—13. 15. Grad. ista vino.—97. 26.

crapula baccho plenos deputat repletos gratia.
Sumens hæc Petrus divina mysteria superat obdurata corda illa, et fore affirmat vaticinia Johelis de hoc prædicta.
Ovans anima nunc nostra
boat carmina devota
quo suscipiat
cœlestia habitacula.
Pangat omnis chorda nostra
sancta præconia tua
ut semper pia
percipiat carismata.
Omnem hanc meram
suscipe melodiam
ut queamus scandere
luciflua et tua celsa
et decora uranica.
Dudum sacrata
imbuisti pectora
nunc nos reple lumine,
polorumve gaudia cedas
perpetua atque regna.
Te decet laus per tempora
et gloria sidera,
O sanctum Pneuma.
Tu animas et corpora
nostra, Christe, possideas
in sempiterna doxa.

Evangelium: Sequentia sancti Evangelii: Secundum Johannem. c. 3

In illo témpore, Dixit Jesus cuidam príncipi Pharisæórum; Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei. Hoc est autem judícium; quia lux venit in mundum, et dilexérunt hómines magis ténebras quam lucem: erant enim eórum mala ópera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguántur ópera ejus: qui autem facit veritátem, venit ad lucem, ut manifesténtur ejus ópera, quia in Deo sunt facta.

Credo.

Offertorium. Ps. 17 Intónuit de cœlo Dóminus, et altíssimus dedit vocem suam, et apparuérunt fontes aquárum, allelúya.

Secreta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut secundum promissionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, Spiritus Sanctus et hujus nobis sacrificii copiosius revelet arcanum, et omnem reseret propitius veritatem. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Præfatio. Qui ascéndens et Communicántes et Hanc ígitur.

Communio. Johan. 14 Spíritus Sanctus docébit vos; allelúya: quæcúnque díxero vobis, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Plenum in nobis, Domine, quæsumus, remedium nostræ redemptionis operare; ut habitatione Sancti Spiritus digni effici valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum. In unitate ejusdem.

Feria tertia post Pentecosten.

Ad Missam. Officium. 4 Esd. 2

Accípite jocunditátem glóriæ vestræ, allelúya: grátias agéntes Deo, allelúya: qui vos ad cœléstia regna vocávit, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

ADSIT nobis, Dómine, quæsumus, virtus Spíritus Sancti; quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Epistola: Lectio Actuum Apostolorum. c. 8

IN diébus illis, Cum audíssent Apóstoli qui erant Hierosólymis, quia recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum et Johánnem: qui cum veníssent, oravérunt pro ipsis ut accíperent Spíritum Sanctum: nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, et accipiébant Spíritum Sanctum.

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creábuntur: et renovábis fáciem terræ.

Allelúya. ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Sequentia.

EYA musa dic quæso præclara chorea,
Blandificaque libens perstrepe organa.
Ast modalans tibia resultet plectro laudum læta carmina,
Nostraque caterva hujus diei euprepia
Paracliti charisma hac die alumnos [1]Christi[1] plene intrat,
Facto repente sono, linguis Christi fantur magnalia.
Vesano plena ructu perfidia musto alumnos madere putat Spiritus gratia ardentes quos reddit fervida.
Anastasi peracta quinquagena mysticus penetrat Spiritus pectorum intima, oppido reddens flammantia.
Mox egressi omnes una, tetra peragrant arva, infundentes verbi semina,
Mystica patrantes signa, superno rore nova bibula, madidant intima.
Ecce, Christe, nunc caterva tua
In hac aula decantat cantica,
Ut cœlesti permixta agmini indiscrete [2]dicat[2] nova tibi promens cantica.
Sit perennis Domino gloria,
Decus, honor, potestas, per sæcula,
Qui tribuit Spiritus gratiam omnibus per arva qui sequuntur ejus monita
Poscimus omnes una supplices magnalia,
Ut Sanctus nostra Spiritus emundans intima,
Illustret clare Sophia. Alleluya.

Secundum Johannem. c. 10

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen, amen, dico vobis: qui non intrat per óstium in ovíle óvium sed ascéndit aliúnde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Huic ostiárius áperit, et oves vocem ejus áudiunt; et próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas. Et cum próprias oves emíserit, ante eas vadit: et oves illum sequúntur, quia sciant vocem ejus. Aliénum autem non sequúntur, sed fúgiunt ab eo: quia non novérunt vocem alienórum. Hoc provérbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognovérunt quid loquerétur eis. Dixit ergo eis íterum Jesus; Amen, amen, dico vobis, quia ego sum óstium óvium. Omnes quotquot venérunt, fures sunt et latrónes, sed non audiérunt eos oves. Ego sum óstium. Per me si quis introíerit, salvábitur: et ingrediétur et egrediétur et páscua

[1] non habet Grad.
[2] non habet Grad. per incuriam.

invéniet. Fur non venit nisi ut furétur et mactet et perdat. Ego veni ut vitam hábeant, et abundántius hábeant.

Credo.

Offertorium. Ps. 77 Portas cœli apéruit Dóminus, et pluit illis manna ut éderent: panem cœli dedit [1]eis[1]; panem angelórum manducávit homo, allelúya.

Secreta.

DESCENDAT, quæsumus, Domine, Spiritus Sanctus super hoc altare; qui et dona populi tui sanctificet, et sumentium corda placatus emundet. Per. Ejusdem.

Communio. Johan. 15 et 16 Spíritus qui a Patre procédit, allelúya: ille me clarificábit, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, Spíritus Sanctus divínis réparet sacraméntis, quia ipse est remíssio ómnium peccatórum. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Feria quarta Quatuor temporum.

Non dicitur alia magna missa quam de jejunio, nec in sexta feria nec in sabbato, secundum usum Sarum.

Ad Missam. Officium. Ps. 67

EUS, dum egrederéris coram pópulo tuo, allelúya: iter fáciens eis, allelúya: hábitans in illis, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Kýrie eléyson cum suis versibus dicitur. Statim sequatur Glória in excélsis. Non dicitur Dóminus vobíscum sed tantum Orémus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus,[2] omnipotens Deus,[2] ut a nostris mentibus carnales amoveat Spiritus Sanctus affectus, et spiritualia nobis dona potenter infundat. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Lectio libri Sapientiæ. c. 1

DILIGITE justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malivolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis. Quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguæ ejus auditor. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.

Et legatur ab acolyto superpellicio induto in pulpito. Deinde tres clerici [3]de secunda forma in capis sericis[3] ibidem dicant,

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ.

Non repetatur Allelúya.

Sequatur Dóminus vobíscum et Orémus.

[1] illis.—92. 94. 97. 98.
[2] Domine.—92. 97. 98.
[3] non habent 4L. 15.

Oratio.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, [1]Spíritus Sanctus[1] Paráclitus qui a te procédit illúminet, et indúcat in omnem sicut tuus promísit Fílius veritátem. Qui tecum. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 2

IN diébus illis, Stans Petrus cum úndecim elevávit vocem suam, et locútus est eis; Viri Judæi et qui habitátis Hierúsalem univérsi, hoc vobis notum sit, et áuribus percípite verba mea. Non enim, sicut vos æstimátis, hi ébrii sunt, cum sit hora diéi tértia: sed hoc est quod dictum est per prophétam Johel: Et erit in novíssimis diébus (dicit Dóminus) effúndam de Spíritu meo super omnem carnem: et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ, et júvenes vestri visiónes vidébunt, et senióres vestri sómnia somniábunt. Et quidem super servos meos et super ancíllas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo, et prophetábunt: et dabo prodígia in cœlo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem et vapórem fumi: sol convertétur in ténebras et luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus et manifestus. Et [2]erit,[2] omnis quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Allelúya. ℣. Act. 2 Loquebántur váriis linguis apóstoli magnália Dei.

Repetatur Allelúya sine neuma.

Sequentia.

LUX jocunda, lux insignis,
qua de throno missus ignis
in Christi discipulos;
Corda replet, linguas ditat,
ad concordes nos invitat
lingua cordis modulos.
Christus misit quod promisit,
pignus sponsæ quam revisit
die quinquagesima.
Post dulcorem melleum
petra fudit oleum,
petra jam firmissima.
In tabellis saxeis
non in linguis igneis,
lex de monte populo.
Paucis cordis novitas
et linguarum unitas
datur in cœnaculo.
O quam felix, quam festiva,
dies in qua primitiva
fundatur Ecclesia!
Vivæ sunt primitiæ
nascentis Ecclesiæ
tria primum millia.
Panes legis primitivi
sub una sunt adoptivi
fide duo populi.
Se duobus interjecit,
sicque duos unum fecit
lapis caput anguli.
Utres novi non vetusti
sunt capaces novi musti;
vasa parat vidua;
Liquorem dat Helisæus,
nobis sacrum rorem Deus,
si corda sint congrua.
Non hoc musto vel liquore,
non hoc digni sumus rore,
si discordes moribus.
In obscuris et divisis
non potest hæc paraclisis
habitare cordibus.
Consolator alme, veni,
linguas reple, corda leni,
nihil fellis aut veneni
sub tua præsentia.
Nil jocundum, nil amœnum,

[1] non habet 94.
[2] non habent 92. 97. 98.

nil salubre, nil serenum,
nihil dulce, nihil plenum,
sine tua gratia.
Tu lumen es et unguentum,
tu cœleste condimentum,
aquæ [1]ditans[1] elementum
virtute mysterii.
Nova facti creatura,
te laudamus mente pura;
gratiæ nunc, sed natura
prius iræ filii.
Tu qui dator es et donum,
nostri cordis omne bonum,
cor ad laudem redde pronum,
nostræ linguæ formans sonum
in tua præconia.
Tu purga nos a peccatis,
auctor ipse [2]pietatis,[2]
et in Christo renovatis
da perfectæ novitatis
plena nobis gaudia.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis [3]et turbis Judæórum;[3] Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me, tráxerit eum: et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Est scriptum in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. Omnis qui audívit a Patre et dídicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic videt Patrem. Amen, amen, dico vobis: Qui credit in me, habet vitam ætérnam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducavérunt manna in deserto, et mórtui sunt. Hic est panis de cœlo descéndens: ut si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. Ego sum panis vivus qui de cœlo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.
Credo.

Offertorium. Ps. 118 Meditábor in mandátis tuis quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua quæ diléxi, allelúya.

Secreta.

Oblata tibi, Domine, quæsumus, munera Spiritus Sanctus sanctificet, et eorum nos participatio ab omnium peccatorum contagione custodiat. Per eundem. In unitate ejusdem.

Communio. Johan. 14 Pacem meam do vobis, allelúya: pacem relínquo vobis, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Per hujus, Domine, virtutem mysterii tuæ nos claritatis perpetuus splendor illustret, et [4]cum consubstantiali[4] [5]tibi Filio gratia Spiritus Sancti illuminet.[5] [6]Per. In unitate.[6]

Feria quinta post Pentecosten.

Officium ut supra in die Pentecostes, fol. 251 sine versibus.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut Spiritus Sanctus adveniens templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 8

In diébus illis, Philíppus descéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ

[1] dicans.—92. 98.
[2] puritatis.—Grad.
[3] non habent 92. 97. 98.
[4] consubstantialis.—97. 13. 26. tibi.—13. 26. et.—26.
[5] Filio Spiritus Sanctus illuminet.—92. 94. 97. 98.
[6] Qui tecum.—97. 15. 26. In unitate.—97.

his quæ a Philíppo dicebántur, unanímiter audiéntes, et vidéntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum qui habébant spíritus immúndos, clamántes voce magna, exíbant. Multi autem paralýtici et claudi curáti sunt. Factum est ergo gáudium magnum in illa civitáte.

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ.

Allelúya. ℣. Act. 2 Factus est repénte de cœlo sonus adveniéntis spíritus vehemén-tis.

Sequentia.

ALMA chorus Domini, nunc pangat nomina summi
Messias, Sother, Emmanuel, Sabaoth, Adonay.
Est unigenitus, via, vita, manus, homousyon,
Principium, primogenitus, sapientia, virtus,
Alpha, caput, finisque, simul vocitatur et est oo;
Fons et origo boni, Paraclitus ac mediator;
Agnus, ovis, vitulus, serpens, aries, leo, vermis;
Os, verbum, splendor, sol, gloria, lux, et imago,
Panis, flos, vitis, mons, janua, petra, lapisque.
Angelus et sponsus, pastorque, propheta, sacerdos;
Athanatos, Kyrios, [1]Theon, panton, craton et[1] ysus.
Salvificet nos
Sit cui sæcla
Per omnia doxa.

Secundum Lucam. c. 9

IN illo témpore, Convocátis Jesus duódecim [2]discípulis[2] dedit illis virtútem et potestátem super omnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit [3]eos[3] prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos; Nihil tuléritis in via, neque virgam neque peram neque panem neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúnque domum intravéritis, ibi manéte et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos; exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla evangelizántes, et curántes ubíque.

Credo.

Offertorium. Ps. 67 Confírma hoc Deus: quod operátus es in nobis a templo tuo quod est in Hierúsalem: tibi ófferent reges múnera, allelúya.

Secreta.

VIRTUTE Sancti Spiritus, Domine, munera nostra contínge: ut quod solemnitate præsenti tuo nomini [4]dedicavit,[4] et intelligibile nobis faciat et æternum. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Communio. Act. 2 Factus est repénte de cœlo sonus: adveniéntis spíritus vehemén-tis: ubi erant sedéntes, allelúya: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto loquéntes magnália Dei, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SACRIFICIIS cœlestibus, quæsumus, Domine, operante Spiritu Sancto vitia nostra purgentur; ut muneribus tuis sem-

[1] Theos et panton craton.—26.
[2] apostolis.—15. 26. V.
[3] illos.—97. 4L. 26. V.
[4] dicavit.—15. dedicamus.—26.

per possimus aptari. [1]Per eundem. In unitate ejusdem.[1]

Feria sexta Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Ps. 70

REPLEÁTUR os meum laude tua, allelúya: ut possint cantáre, allelúya: gaudébunt lábia mea dum cantávero tibi, allelúya, allelúya.

Psalmus. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me et éripe me.

Oratio.

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, misérícors Deus, ut Spíritu Sancto congregáta, hostíli nullátenus incursióne turbétur. Per Dóminum. In unitáte.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 2

IN diébus illis, Apériens Petrus os suum, dixit; Viri Israelítæ, audíte verba hæc: Jesum Nazarénum, virum approbátum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum [2]affligentes[2] interemistis: quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum [3]coram me[3] semper: quoniam a dextris est mihi ne commovear. Propter hoc [4]dilatatum[4] est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: replebis me jocunditate cum facie tua.

Alleluya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur et renovábis fáciem terræ.

Alleluya. ℣. Sap. 1 Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis.

Sequentia.

LAUDES Deo[5] [6]devotas,[6]
Dulci voce et sonora,
Plebs resultet catholica
Spiritus Sancti gratia
Apostolis die hodierna
In igneis linguis est infusa.
Paracliti præsentia
Emundet nos a peccati macula
Pura sibi aptans habitacula
Charismatum ac munera
Pectoribus nostris pius infundat;
Vita nostra ei ut complaceat.
Per sæculorum sæcula
Conclamemus Alleluya.
Sit Deo laus, potestas, [7]honor,[7] virtus et gloria.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 5

IN illo témpore, Factum est in una diérum, et Jesus sedébat docens. Et erant Pharisæi sedéntes et legis doctóres qui vénerant ex omni castéllo Galilǽæ et Judǽæ et Hierúsalem: et virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et ecce viri portántes in lecto hóminem qui erat paralýticus: et quærébant eum inférre, et pónere ante eum. Et non inveniéntes qua parte

[1] Per Dominum.—15. 55P. In unitate ejusdem.—15.
[2] affigentes.—97. 13. 15.
[3] in conspectu meo.—26. V.
[4] lætatum.—15. 26. V.
[5] jam.—34. 55P.—non habent 26. etc.
[6] devota.—97. 98. 13. 26.
[7] non habet Grad.

illum inférrent præ turba, ascendérunt supra tectum, et per tégulas submisérunt illum cum lecto in [1]médio[1] ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit; Homo, remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt cogitáre Scribæ et Pharisæi, dicéntes: Quis est hic qui lóquitur blasphémias? quis potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus? Ut cognóvit autem Jesus cogitatiónes eórum, respóndens, dixit ad illos; Quid cogitátis mala in córdibus vestris? Quid est facílius, dícere: Dimittúntur tibi peccáta: an dícere: Surge et ámbula? Ut autem sciátis quia Fílius Hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta, (ait paralýtico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et conféstim surgens coram illis, tulit lectum in quo jacébat et ábiit in domum suam, magníficans Deum. Et stupor apprehéndit omnes, et magnificábant Deum. Et repléti sunt timóre, dicéntes; Quia vídimus mirabília hódie.

Credo.

Offertorium. Ps. 145 Lauda ánima mea Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea: psallam Deo meo quámdiu ero, allelúya.

Secreta.

SACRIFÍCIA, Dómine, tuis obláta conspéctibus, ille ignis divínus absúmat qui discipulórum Christi tui per Spíritum Sanctum corda succéndit. Per eúndem. In unitáte ejúsdem.

Communio. Johan. 3 Spíritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, allelúya: sed nescis unde véniat aut quo vadat, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus perceptione sacramenti ita nostræ fragilitatis vitia expurgentur, quatenus per Spiritum Sanctum repromissum in nobis donum tuæ gratiæ sentiamus. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Sabbato Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Rom. 5

CARITAS Dei diffúsa est in córdibus vestris, allelúya: per inhabitántem Spíritum ejus in vobis, allelúya, allelúya.

Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi et nocte coram te.

Kýrie eléyson solemniter dicitur absque versibus. Sequatur Glória in excélsis sicut infra Octavas cum regimine chori. Omnes Orationes sine Dóminus vobíscum dicuntur, præter ultimam quæ est ante Epistolam, sed tantum cum Orémus. Et omnes Lectiones cum suis titulis legantur ad gradum chori in superpelliciis. Prima vero lectio ab acolyto, et aliæ a clericis de secunda forma legantur; tamen quinta lectio ab aliquo[2] de superiori gradu legatur. [3]Et singula Allelúya a duobus pueris in superpelliciis ibidem cantentur sine repetitione Allelúya, post suum versum.[3]

Oratio.

QUÉNTIBUS nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus infúnde; cujus et sapiéntia cónditi sumus et providéntia gubernámur. Per. In unitáte ejúsdem.

[1] medium.—92. 98. 57. V.
[2] sacerdote.—Grad.
[3] Alleluya cum suis versibus post singulas Lectiones nisi post ultimam cantentur a binis pueris ad gradum chori in superpelliciis, pro dispositione Cantoris, sine repetitione Alleluya post versum; verumtamen ante suos versus singula Alleluya repetantur.—Grad.

Lectio Johelis Prophetæ. c. 2

HÆC dicit Dóminus Deus; Effúndam de Spíritu meo super omnem carnem: et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ: senes vestri sómnia somniábunt, et júvenes vestri visiónes vidébunt. Sed et super servos meos et ancíllas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo. Et dabo prodígia in cœlo sursum et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras et luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis. Et erit: omnis quicúnque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur et renovábis fáciem terræ.

Non repetitur Allelúya post versum, sed dicitur Orémus.

Oratio.

ILLO nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus misit in terram et vóluit vehemènter accéndi. Qui tecum. In unitáte ejúsdem.

Lectio libri Levitici. c. 23

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Moysen, dicens; Lóquere fíliis Israel, et dices ad eos: Cum ingréssi fúeritis terram quam ego dabo vobis, et messuéritis ségetem, ferétis manípulos spicárum, primítias messis vestræ, ad sacerdótem: qui elevábit fascículum coram Dómino, ut acceptábilis sit pro vobis, áltero die Sábbati, et sanctificábit illum. Numerábitis ergo ab ipso die in quo obtulístis manípulos primitiárum, septem hebdómadas plenas, usque ad álteram diem expletiónis hebdómadæ séptimæ: et sic offerétis sacrifícium novum Dómino, ex ómnibus habitáculis vestris. Panes primitiárum duos de duábus décimis símilæ, quos elevábit sacérdos coram Dómino. Et vocábitis hunc diem celebérrimum atque sanctíssimum: omne opus servíle non faciétis in eo. Legítimum sempitérnum erit in cunctis habitáculis et generatiónibus vestris, Dicit Dóminus omnípotens.

Allelúya. ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Oratio.

DEUS, qui ob animárum medélam jejúnii devotióne castigári córpora præcepísti; concéde nobis propítius et mente et córpore semper tibi esse devótos. Per Dóminum.

Lectio libri Deuteronomii. c. 26

IN diébus illis, Dixit Móyses fíliis Israel; Audi, Israel, quæ ego præcípio tibi hódie: Cum intráveris terram quam Dóminus Deus tuus datúrus est [1]tibi[1] possidéndam, et obtinúeris eam, atque habitáveris in ea, tolles de cunctis frúgibus tuis primítias, et pones in cartállo, pergésque ad locum quem elégerit Dóminus Deus tuus ut ibi invocétur nomen ejus: accedésque ad sacerdótem qui fúerit in diébus illis, et dices ad eum: Profíteor hódie coram Dómino Deo tuo, qui exaudívit nos et respéxit humilitátem nostram et labórem [2]nostrum[2] atque angústias, et edúxit nos de Egýpto in manu forti et bráchio exténto, in ingénti pavóre, in signis atque porténtis; et introdúxit [3]nos[3] ad locum istum, et trádidit nobis terram lacte

[1] non habent 92. 98. 4L. 57.
[2] non habent 92. 98. 4L. 57.
[3] non habent 92. 98. V.

et melle manántem; et idcírco nunc óffero primítias frugum terræ, quam Dóminus Deus tuus dedit mihi. Et dimíttes eas in conspéctu Dómini Dei tui, et adoráto Dómino Deo tuo, epuláberis in ómnibus bonis, quæ Dóminus Deus tuus dédérit tibi.

Allelúya. ℣. Act. 2 Loquebántur váriis linguis apóstoli: magnália Dei.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut salutáribus jejúniis erudíti, ab ómnibus étiam vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus. Per.

Lectio libri Levitici. c. 26

IN diébus illis, Dixit Dóminus ad Móysen; [1]Lóquere fíliis Israel et dices ad eos:[1] Si in præcéptis meis ambulavéritis et mandáta mea custodiéritis et fecéritis ea, dabo vobis plúvias tempóribus suis, et terra gignet germen suum, et pomis árbores replebúntur. Apprehéndet méssium tritúra vindémiam, et vindémia occupábit seméntem: et comedétis panem vestrum in saturitáte, et absque pavóre habitábitis in terra vestra. Dabo pacem in fínibus vestris: dormiétis, et non erit qui extérreat. Auferam malas béstias [2]a vobis:[2] et gládius non transíbit términos vestros. Persequémini inimícos vestros, et córruent coram vobis. Persequéntur quinque de vestris centum aliénos, et centum de vobis decem míllia: cadent inimíci vestri in conspéctu vestro gládio. Respíciam vos et créscere fáciam: multiplicabímini et firmábo pactum meum vobíscum. Comedétis vetustíssima véterum, et vétera novis superveniéntibus projiciétis. Ponam tabernáculum meum in médio vestri, et non abjíciet vos ultra ánima mea. Ambulábo inter vos et ero vester Deus, vosque éritis[3] pópulus [4]meus.[4] Dicit Dóminus omnípotens.

Allelúya. ℣. Act. 2 Factus est repénte de cœlo sonus adveniéntis spíritus vehemén-tis.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, sic nos ab épulis carnálibus abstinére, ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per.

Lectio Danielis Prophetæ. c. 3

ANGELUS Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffúsa est super fornácem cúbitis quadragínta novem: et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldæis minístros regis qui eam incendébant. Illos autem omníno non tétigit ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant et glorificábant et benedicébant Deum in fornáce dicéntes;[5] Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum; et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sæcula. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ quod est sanctum; et laudábile et superexaltátum in ómnibus sæculis. Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ; et superlaudábilis et supergloriósus in sæcula. Benedíctus es in throno regni tui; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula.[6] Benedíctus es super sceptrum regni

[1] non habent 92. 98. V.
[2] non habent 92. 98. V.
[3] mihi.—92. 98. 4L. 15. 57.
[4] non habent 92. 98.
[5] hic finiatur in Adventu.—4L. 15. 57.
[6] hic finiatur in Quadragesima.—26.

divinitátis tuæ; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula. Benedíctus es qui intuéris abýssos et sedes super chérubin; et laudábilis et superexaltátus in sæcula. Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum et super undas maris; et superlaudábilis et superexaltátus in sæcula.[1] Benedíctus es in firmaménto cœli; et laudábilis et gloriósus in sæcula. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: benedícite cœli Dómino: benedícite Angeli Dómini Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite aquæ [2]omnes[2] quæ super cœlos sunt Dómino; benedícite omnes virtútes Dómini Dómino; benedícite sol et luna Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite stellæ cœli Dómino; benedícite imber et ros Dómino; benedícite omnis spíritus Dei Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite ignis et æstus Dómino; benedícite noctes et dies Domino; benedícite ténebræ et lumen Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite frigus et cauma Dómino; benedícite pruína et nives Dómino; benedícite fúlgura et nubes Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícat terra Dóminum; benedícite montes et colles Dómino; benedícite ómnia nascéntia terræ Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite mária et flúmina Dómino; benedícite fontes Dómino; benedícite cete et ómnia quæ movéntur in aquis Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite[3] vólucres cœli Dómino; benedícite béstiæ et univérsa pécora Dómino; benedícite fílii hóminum Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícat Israel Dóminum; benedícite sacerdótes Dómini Dómino; benedícite servi Dómini Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite spíritus et ánimæ justórum Dómino; benedícite sancti et húmiles corde Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula. Benedícite Ananía, Azaría, Mísael Dómino. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula.

[4]In vigilia Sanctæ Trinitatis et in mense Septembris tota Lectio legatur.[4]

[5]Duo clerici de secunda forma[6] in superpelliciis ad gradum chori dicant[5]

Allelúya. ℣. Dan. 3 Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum: et laudábilis in sæcula.

Non repetatur Allelúya. Sequatur Dóminus vobíscum cum Orémus.

Oratio.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium; concéde, propítius, ut adveniénte Spíritu Sancto nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 13

IN diebus illis, Convenit universa civitas audire verbum [7]Dei.[7] Videntes autem turbas Judæi repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt; Vobis oportebat

[1] hic finiatur in Quadragesima.—4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 98. 4L. 57.
[3] omnes.—92. 98. V.
[4] non habent 92. 94. 97. 98. 13.
[5] non habent 92. 94. 97. 98.
[6] scilicet diaconi.—Grad.
[7] Domini.—92. 98.

primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit Dominus: Posui te in [1]lucem[1] gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini: et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt religiosas mulieres et honestas et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam: et ejecerunt eos de finibus suis. At illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu Sancto.

Et legatur in pulpito: qua lecta, duo clerici de superiori gradu in capis sericis ibidem dicant,

Alleluya. ℣. Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes gentes: et collaudáte eum omnes pópuli.

[2]Repetatur Allelúya sine neuma.[2]

[3]Sequentia,[3] Alma chorus, ut supra feria quinta præcedente fol. 259.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 4

In illo témpore, Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam imperávit febri: et dimísit illam. Et contínuo surgens ministrábat illis. Cum sol autem occidísset, omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille, síngulis manus impónens, curábat eos. Exíbant autem dæmónia a multis, clamántia et dicéntia quia tu es fílius Dei: et íncrepans non sinébat ea loqui: quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die, egréssus ibat in desértum locum, et turbæ requirébant eum, et venérunt usque ad ipsum: et detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait; Quia et áliis civitátibus opórtet me evangelizáre regnum Dei.

Credo.

Offertorium. Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine, allelúya.

Secreta.

Oitte, Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, qui et hæc munera præsentia tuum nobis efficiat sacramentum, et ad hoc percipiendum nostra corda purificet. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Communio. Johan. 14 Non vos relínquam órphanos: véniam ad vos íterum, allelúya, et gaudébit cor vestrum, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Præbeant nobis, Dómine, divínum tua sancta fervórem; quo eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per Dóminum.[4]

[1] lumen.—92. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] sequatur.—55P. Grad.
[4] In unitate ejusdem.—15. 26.

In die Sanctæ Trinitatis.

Ad Missam. Officium. Tob. 12

BENEDÍCTA sit sancta Trínitas atque indivísa Unitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Psalmus. Benedicámus Patrem et Fílium: Cum Spíritu Sancto.

[1]Non dicitur ulterius.[1]

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. [2]Qui[2] vivis.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis Apostoli. c. 4

IN diebus illis, Vidi ostium apertum in cœlo, et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens; Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc. Statim fui in spiritu: et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis: et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis et in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno [3]procedebant[3] fulgura et voces et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis, tanquam mare vitreum simile crystallo: et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: et in circuitu et intus plena sunt oculis: et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum.

Gradale. Dan. 3 Benedictus es, Domine, qui intueris abysses et sedes super cherubin.

℣. Tob. 12 Benedicite Deum cœli: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Allelúya. ℣. Dan. 3 Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis in sæcula.

Sequentia.

BENEDICTA sit beata Trinitas,
Deitas æterna,
pariter coæqualis gloria.
Deus Genitor, Natus genitus,
cum sacro Neumate
permanens super omne quod exstat.
Quibus est una semper voluntas,
et a se discrepat
haud unquam triplicata persona.
Nam constat Deitas una,
non in tres Deos divisa,

[1] Gloria Patri.—Grad.
[2] sic 15. etc. In qua.—94. 97. 8RM.
[3] procedunt.—92. 98. 4L. 57.

quod fides fatetur
a Christo orthodoxe [1]edita.[1]
Hæc namque pellit delicta,
patriam [2]reddit[2] serenam,
qua dulcem jubilant
agmina symphoniam cœlica,
Altithroni vestigia
imitantur stolis candidata,
Operiunturque binas
quas captant post sæcli discrimina.
Et nos, quos illustrat gratia Dei,
supera demus nostra debita.
Quatenus caterva cœlica nobis
maneat post funera socia,
Ultimoque peracto discrimine
[3]poscimus[3] alto perfrui mox palatio,
Quo perspicua flagrat lux accensa
constanti flamma, quæ Deus est,
visio nostra et salus æterna.
Angelorum quæ illustrat
fortiter pectora,
Ut in Christo solo sua
defigant lumina.
Hæc namque est sitis
illa flagrans, qua tunc sitient
animæ sanctorum et corpora
Cum fuerint data
perpetua eis pro [4]bonis[4]
a judice præmia.

Evangelium: Secundum Johannem. c. 3

In illo tempore, Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte et dixit ei; Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei; Amen, amen, dico tibi, nisi quis [5]renatus[5] fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus; Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci? Respondit Jesus; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus et dixit ei; Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Jesus et dixit ei; Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus loquimur et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius Hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium Hominis: ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Offertorium. Tob. 12 Benedíctus sit Deus Pater, Unigenitúsque Dei Fílius, Sanctus quoque Spíritus, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Secreta.

Sanctífica, quæsumus, Dómine Deus, Trinitas sancta, per tui sancti nóminis invocatiónem hujus oblatiónis hóstiam, et per eam nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Qui vivis.

[1] dedita.—92. 98. 4L. 57.
[2] cedit.—92. 97. 98. Grad.
[3] possimus.—94. 97. 15.
[4] nobis.—4L. 15.
[5] natus.—4L. 13. 15. 57.

Præfatio. Qui cum Unigenito.

Communio. Tob. 12 Benedícimus Deum cœli: et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio.

PROFÍCIAT nobis ad salútem córporis et ánimæ, [1]Dómine[1] Deus [2]noster,[2] hujus sacraménti suscéptio, et sempitérnæ sanctæ Trinitátis ejusdémque indivíduæ Unitátis conféssio. In qua vivis.

[3]Per totam hebdomadam fiat memoria de Trinitate ad Missam de die; nisi in festo Corporis Christi; et dicitur missa de Trinitate, quando de Trinitate fit servitium, nisi missa Salus pópuli dicenda fuerit per hebdomadam.[3] [4]

In festo Corporis Christi.

Ad Missam. Officium. Ps. 80

IBÁVIT eos ex ádipe fruménti, allelúya: et de petra melle saturávit eos, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob.

Et dicatur Kýrie Fons bonitátis.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Corinthios. I c. 11

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus[5] in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit: Accípite et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens; Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite quotiescúnque [6]súmitis,[6] in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis: mortem Dómini annunciábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit: non dijúdicans corpus Dómini.

Gradale. Ps. 144 Oculi ómnium in te sperant, Dómine, et tu das illis escam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

[1] non habet 13.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] Per totam hebdomadam dicitur missa de Trinitate usque ad festum de Corpore Christi, quod est in quinta feria, et nisi festum sanctorum intercurrat et nisi dicitur missa Salus pópuli, et in Sabbato quando fit servitium de sancta Maria, et de (in?) festo loci; sed sine Sequentia et Credo. Per hebdomadam Epistola, Grátia Dómini nostri. Alia Epistola, O altitúdo divitiárum, et legantur alternis vicibus. Evangelium, Cum vénerit Paráclitus: cætera omnia sicut in die.—Grad.
[4] Urbanus quintus Papa concessit omnibus Christi fidelibus vere contritis et confessis missam de Corpore Christi dicentibus aut devote audientibus, centum dies indulgentiarum.—26.
[5] Christus.—92. 98. 57.
[6] sumetis.—13. bibetis.—V.

Allelúya. ℣. Johan. 6 Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet et ego in eo.

Sequentia.

LAUDA Sion Salvatorem,
lauda ducem et pastorem
in hymnis et canticis;
Quantum potes tantum gaude
quia major omni laude,
nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
panis vivus et vitalis
hodie proponitur;
Quem in sacræ mensa cœnæ
turbæ fratrum duodenæ
datum non ambigitur.
Sit laus plena, sit sonora,
sit jocunda, sit decora
mentis jubilatio;
Dies enim solemnis agitur,
in qua mensæ prima recolitur
hujus institutio.
In hac mensa novi regis
novum Pascha novæ legis
phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
umbram fugat veritas,
noctem lux illuminat.
Quod in cœna Christus gessit,
faciendum hoc expressit
in sui memoriam.
Docti sacris institutis,
panem, vinum, in salutis
consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
quod in carnem transit panis,
et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
animosa firmat fides,
præter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus,
signis tantum et non rebus,
latent res eximiæ:
Caro cibus, sanguis potus;
manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.
A sumente non concisus,
non confractus, non divisus,
integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille;
quantum isti tantum ille,
nec sumptus consumitur.
Sumunt boni, sumunt mali,
sorte tamen inæquali
vitæ vel interitus.
Mors est malis, vita bonis;
vide paris sumptionis
quam sit dispar exitus.
Fracto demum sacramento,
ne vacilles, sed memento
tantum esse sub fragmento
quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura;
signi tantum fit fractura,
qua nec status, nec statura
signati minuitur.
Ecce panis angelorum,
factus cibus viatorum,
vere panis filiorum,
non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
cum Isaac immolatur,
agnus Paschæ deputatur,
datur manna patribus.
Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere;
tu nos pasce, nos tuere,
tu nos bona fac videre
in terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales,
qui nos pascis hic mortales,
tu nos ibi commensales,
cohæredes et sodales
fac sanctorum civium.

Secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.[1]

Offertorium. Levit. 21 Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus, allelúya.

Secreta.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde, quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per.

Præfatio. Quia per Incarnáti.

Hæc Præfatio dicitur per totas Octavas quando de [2]Octavis[2] fit servitium, et in commemoratione ejusdem per totum annum.

Communio. 1 Cor. 11 Quotiescúnque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis: mortem Dómini annunciábitis doneo véniat: ítaque quicúnque manducáverit panem vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit córporis et sánguinis Dómini, allelúya.

Postcommunio.

Fac nos, quæsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri, quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat. Qui vivis.

Per totam hebdomadam dicitur eadem missa, [3]quando de Octavis fit servitium, sed sine Sequentia et Credo. Ubi fiunt Octavæ cum regimine chori, dicitur Sequentia Ecce panis angelórum quotidie per Octavas et in Octava die, quando de Octavis fit missa.[3]

Dominica prima post Festum Sanctæ Trinitatis.

Ad Missam. Officium. Ps. 12

Dómine, in tua misericórdia sperávi: exsultávit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi.

Psalmus. Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem: úsquequo avértis fáciem tuam a me?[4]

Oratio.

Deus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris; et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ, ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Memoria de Trinitate fiat omnibus Dominicis usque ad Adventum Domini, nisi

[1] Credo.—26.
[2] prædicta solemnitate.—Grad.
[3] nisi festum sanctorum intercurrat, et cum dicitur missa Salus pópuli, et nisi in Dominica, et nisi quando agitur de festo loci et de sancta Maria; sed sine Sequentia et Credo, videlicet ubi fiant Octavæ sine regimine chori. Ubi vero fiunt Octavæ cum regimine chori, dicitur quotidie per Octavas. Et in Octavis quando de Octavis dicitur missa, dicitur Sequentia Ecce panis angelórum, ut supra in Sequentia præcedenti.—Grad.
[4] Kyrie eleyson.—26.

quando aliqua Dominica omnino differatur.

Notandum est quod quando duplex festum per æstatem in Dominica contigerit, nulla de Dominica fiet memoria [1]ad missam,[1] licet aliquando pro necessitate facta fuerit memoria ad Vesperas et ad Matutinas sub silentio; ut alias dictum est. Sed quando fit de aliquo festo novem lectionum in Dominicis, semper fiat memoria de Dominica et de Trinitate ad missam, quando ad Vesperas et ad Matutinas facta fuerit memoria; [2]nisi missa dominicalis debeat cantari ipsa Dominica in capitulo.[2]

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. 1 c. 4

Caríssimi, Deus cáritas est. In hoc apáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est caritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si[3] Deus diléxit nos: et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit unquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas ejus in nobis perfécta est. In hoc [4]intellígimus[4] quóniam in eo manémus et ipse in nobis: quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur, quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Quisquis conféssus fúerit quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus et crédimus caritáti quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet et Deus in eo. In hoc perfécta est cáritas[5] nobíscum, ut fidúciam habeámus in die judícii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritáte: sed perfécta cáritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perféctus in caritáte. Nos ergo diligámus Deum, quóniam ipse prior diléxit nos. Si quis díxerit quóniam díligo Deum, et fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non díligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quómodo potest dilígere? Et hoc mandátum habémus a Deo: ut qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

Gradale. Ps. 40 Ego dixi, Dómine, miserére mei: sana ánimam meam [6]quia[6] peccávi tibi.

℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

Allelúya. ℣. Ps. 5 Verba mea áuribus pércipe, Dómine: intéllige clamórem meum.

Nulla dicitur Sequentia quando de Dominica agitur, usque ad Adventum Domini.

Secundum Lucam. c. 16

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam erat dives, et induebátur púrpura et bysso, et epulabátur quotídie spléndide. Et erat quidam mendícus nómine Lázarus, qui jacébat ad jánuam ejus, ulcéribus plenus, cúpiens saturári de micis quæ cadébant de mensa dívitis, et nemo illi dabat: sed et canes veniébant, et lingébant úlcera ejus.

[1] non habent 92. 98. 4L. 57.
[2] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[3] sic.—55P. V. non habent 26. etc.
[4] cognoscimus.—26. V.
[5] Dei.—97. 13. 26. V.
[6] quoniam.—Grad.

Factum est autem ut morerétur mendícus, et portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mórtuus est autem et dives, et sepúltus est in inférno. Elevans autem óculos suos cum esset in torméntis, vidit Abraham a longe, et Lázarum in sinu ejus: et ipse clamans dixit; Pater Abraham, miserére mei, et mitte Lázarum ut intínguat extrémum dígiti sui in [1]aquam[1] ut refrígeret linguam meam, quia crúcior in hac flamma. Et dixit illi Abraham; Fili, recordáre quia recepísti bona in vita tua, et Lázarus simíliter mala: nunc autem hic consolátur, tu vero cruciáris. Et in his ómnibus inter nos et vos chaos magnum firmátum est: ut hi qui volunt hinc transíre ad vos, non possint, neque inde huc transmeáre. Et ait; Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei. Hábeo enim quinque fratres, ut testétur illis, ne et ipsi véniant in hunc locum tormentórum. Et ait illi Abraham; Habent Móysen et prophétas: áudiant illos. At ille dixit; Non, pater Abraham; sed si quis ex mórtuis íerit ad eos, pœniténtiam agent. Ait autem illi; Si Móysen et prophétas non áudiunt, neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent.

Offertorium. Ps. 5 Inténde voci oratiónis meæ: rex meus et Deus meus, quóniam ad te orábo, Dómine.

Secreta.

DEUS, qui nos ad imaginem tuam conditos et sacramentis renovas et præceptis; supplicum preces et munera benignus accepta, ut quod fiducia non habet meritorum, placationes obtineant hostiarum. Per Dominum.

Communio. Ps. 9 Narrábo ómnia mirabília tua: lætábor et exsultábo in te, psallam nómini tuo, altíssime.

Postcommunio.

TANTIS, Dómine, repléti munéribus, præsta, quæsumus, ut et salutária dona capiámus, et a tua nunquam laude cessémus. Per Dóminum.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. 2 Pet. 1

CARISSIMI, Notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præsciéntiam: sed speculatóres facti ipsíus magnitúdinis. [2]Accípiens[2] enim a Deo Patre honórem et glóriam, voce delápsa ad eum hujuscémodi a magnífica [3]glória[3]: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi[4] complácui, [5]ipsum audíte.[5] Et hanc vocem nos audívimus [6]de cœlo allátam,[6] cum essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem: cui benefácitis attendéntes [7]quasi[7] lucérnæ lucénti in [8]caliginóso[8] loco, donec dies elucéscat, et lúcifer oriátur in córdibus vestris.

Secundum Matthæum. c. 5

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Nolíte putáre quia veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, iota unum

[1] aqua.—97. 98.
[2] accepit.—92. 98. 4L. 57.
[3] majestate.—92. 98. 4L. 57.
[4] bene.—92. 98. 4L. 15. 57.
[5] non habent 92. 98.
[6] allatam de cœlo.—97. 98. delapsam de cœlo.—4L. 57.
[7] quemadmodum.—92. 98. 4L. 57.
[8] obscuro.—92. 98. 4L. 57.

aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum. Qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Dominica secunda post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 17

FACTUS est Dóminus protéctor meus et edúxit me in [1]latitúdinem:[1] salvum me fecit quóniam vóluit me.

Psalmus. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum et liberátor meus.

Oratio.

SANCTI nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum; quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. 1 c. 3

CARÍSSIMI, Nolíte mirári si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quoniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in se manéntem. In hoc [2]cognóvimus[2] caritátem Dei, quóniam ille pro nobis ánimam suam pósuit: et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem patiéntem, et cláuserit víscera sua ab eo: quómodo cáritas Dei manet in eo? Filióli mei, non diligámus verbo neque lingua, sed ópere et veritáte.

[1] latitudine.—92. 98. 4L. 57.
[2] cognoscimus.—97. 26.
[3] irascetur.—94. 98. Grad.

Gradale. Ps. 119

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi: et exaudívit me.

℣. Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis et a lingua dolósa.

Allelúya. ℣. Ps. 7 Deus judex justus, fortis et pátiens: numquid [3]irascitur[3] per síngulos dies?

Evangelium: Secundum Lucam. c. 14

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dícere invitátis ut venírent, quia jam paráta sunt ómnia. Et cœpérunt simul omnes excusáre. Primus dixit illi: Villam emi, et necésse hábeo exíre et vidére illam: rogo te, habe me excusátum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probáre illa: rogo te habe me excusátum. Et álius dixit: Uxórem duxi et ideo non possum veníre. Et revérsus servus nunciávit hæc dómino suo. Tunc irátus paterfamílias dixit servo suo: Exi cito in platéas et vicos civitátis: et páuperes ac débiles, cæcos et claudos íntroduc huc. Et ait servus: Dómine, factum est ut imperásti, et adhuc locus est. Et ait dóminus servo: Exi in vias et sepes, et compélle intráre, ut impleátur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virórum illórum qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam.

Offertorium. Ps. 6 Dómine, convértere et éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Secreta.

OBLÁTIO nos, Dómine, tuo nómini dicánda purificet, et de die in diem ad cœléstis vitæ transferat actiónem. Per.

Communio. Ps. 12 Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: et psallam nómini Dómini altíssimi.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, munéribus sacris, quæsumus, ut cum frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis efféctus. Per.

Feria quarta.

Ad Ephesios. c. 4

FRATRES, Hoc dico et testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis sicut et gentes ámbulant in vanitáte sensus [1]sui,[1] ténebris obscurátum habéntes intelléctum, alienáti a [2]via[2] Dei per ignorántiam quæ est in illis, propter cæcitátem cordis ipsórum; qui desperántes, semetípsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis in avarítiam. Vos autem non ita didicístis Christum, si tamen illum audístis et in ipso edócti estis sicut est véritas in Jesu. Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate [3]veritatis,[3] In Christo Jesu Domino nostro.

Secundum Matthæum. c. 21

IN illo tempore, Cum venisset Jesus in templum, accesserunt ad eum principes sacerdotum et seniores populi, dicentes; In qua potestate hæc facis, et quis dedit tibi hanc potestatem? Respondens Jesus dixit [4]illis[4]; Interrogabo vos et ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate [5]hæc[5] facio. Baptismus Johannis unde erat? de cœlo an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes; Si dixerimus, de cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Johannem sicut prophetam. Et respondentes Jesu, dixerunt; Nescimus. Ait illis et ipse; Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Dominica tertia post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 24

RÉSPICE in me et miserére mei, Dómine, quóniam únicus et pauper sum ego, vide humilitátem meam et labórem meum, et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Oratio.

DEPRECATIÓNEM nostram, quæsumus, Dómine, benígnus exáudi: et quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxílium. Per Dóminum.

[1] vestri.—92. 97. 98.
[2] vita.—92. 97. 98. V.
[3] et veritate.—92. 98. 4L. 57.
[4] eis.—97. 26. V.
[5] ego.—92. 98.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. 1 c. 5

CARÍSSIMI, Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis: omnem solicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte et vigiláte: quia adversárius vester diábolus tanquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: sciéntes eándem passiónem ei quæ in mundo est vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit vos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos, ipse perfíciet, confirmábit, solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum.

Gradale. Ps. 54 Jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet.

℣. Dum clamárem ad Dóminum exaudívit vocem meam: ab his qui appropínquant mihi.

Allelúya. ℣. Ps. 17 Díligam te, Dómine, virtus mea: Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum et liberátor meus.

Secundum Lucam. c. 15

IN illo témpore, Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant scribæ et Pharisæi, dicéntes; Quia hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam dicens; Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto, et vadit ad illam quæ perírerat, donec invéniat illam? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam quæ perírerat. Dico vobis, quod ita gáudium erit in cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam supra nonagínta novem justis qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens dragmas decem, et si perdíderit dragmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evértit domum, et quærit diligénter donec invéniat [1]eam[1]? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni dragmam quam perdíderam. Ita dico vobis, gáudium erit coram ángelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónem páuperum.

Secreta.

QUNERA tibi, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus et sanguis fiant [2]ad medelam.[2] Qui tecum.

Communio. Ps. 16 Ego clamávi quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam et exáudi verba mea.

Postcommunio.

SACRIS, Domine, muneribus perceptis, quæsumus, ut nos eorum virtute et a vitiis omnibus expies, et donis gratiæ tuæ jugiter repleas. Per Dominum.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 2 c. 4

CARISSIME, Dominus mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio adimpleatur, et audiant omnes gentes:

[1] non habent 92. 97. 98. V.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

quia liberatus sum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo: et salvum faciet in regnum suum cœleste; ipsi gloria in sæcula sæculorum, [1]Amen.[1]

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Matthæum. c. 5

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis, Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro: et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te: [2]expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam et projice abs te: [2]expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

Dominica quarta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 26

Dóminus illuminátio mea: et salus mea, quem timébo: Dóminus [3]defénsor[3] vitæ meæ, a quo trepidábo: qui tríbulant me inimíci mei: [4]ipsi[4] infirmáti sunt et cecidérunt.

Psalmus. Si consístant advérsum me castra: non timébit cor meum.

Oratio.

Protéctor in te speántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam; ut te rectóre, te duce, transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per.

Ad Romanos. c. 8

Fratres, Exístimo enim quod non [5]sunt[5] condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum qui subjécit [6]eam[6] in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias Spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes redemptiónem córporis nostri in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes, ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 20 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: et super salutáre tuum exsultábit vehemènter.

[1] non habent 92. 97. 98.
[2] non habent 94. 13. 15.
[3] protector.—92. 94. 97. 98. Grad.
[4] non habent 92. 94. 98. 4L. 57. Grad.
[5] sint.—92. 98. 4L.
[6] non habent 92. 98. 4L. 57.

Secundum Lucam. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Nolíte judicáre, et non judicabímini: nolíte condemnáre, et non condemnabímini. Dimíttite, et dimittémini. Date et dábitur vobis: mensúram bonam et confértam et coagitátam et superefflueńtem dabunt in sinum vestrum. Eádem [1]quippe[1] mensúra qua mensi fuéritis, remetiétur vobis. Dicébat autem illis et similitúdinem: Numquid potest cæcus cæcum dúcere? nonne ambo in fóveam cadunt? Non est discípulus super magístrum: perféctus autem omnis erit, si sit sicut magíster ejus. Quid autem vides festúcam in óculo fratris tui, trabem autem quæ in óculo tuo est non consídéras? Aut quómodo potes dícere fratri tuo: Frater, sine ejíciam festúcam de óculo tuo: ipse in óculo tuo trabem non vides? Hypócrita, éjice primum trabem de óculo tuo: et tunc perspícies ut edúcas festúcam de óculo fratris tui.

Offertorium. Ps. 12 Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte: ne quando dicat inimícus meus, præválui advérsus eum.

Secreta.

Réspice, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ; et salúti credéntium perpétua sanctificatióne suménda concéde. Per.

Communio. Ps. 17 Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum et liberátor meus: Deus meus, adjútor meus.

Postcommunio.

Sancta tua nos, Dómine, sumpta vivíficent; et misericórdiæ sempitérnæ præparent expiátos. Per.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. c. 2

Carissimi, In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus [2]servemus.[2] Qui dicit se [3]scire eum,[3] et mandata ejus non [4]servat,[4] mendax est, et in [5]hoc[5] veritas non est. Nam qui custodit verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est: in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in [6]Christo[6] manere, debet, [7]quemadmodum[7] ille ambulavit, et ipse ambulare.

Secundum Matthæum. c. 17

In illo tempore, Interrogaverunt discipuli Jesum dicentes; Quid Scribæ dicunt, quod Heliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis; Helias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Helias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius Hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Johanne Baptista dixisset eis. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens; Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur: nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis,

[1] vero.—92. 98. 4L. 15. 57.
[2] observamus.—97. 15. 26. observemus.—V.
[3] nosse eum.—97. 26. V. nosse Deum—55P.
[4] custodit.—97. 26. V.
[5] eo.—13.
[6] eo.—92. 98. 4L. 57. ipso.—V.
[7] sicut.—97. 26. V.

et non potuerunt curare eum. Respondens autem Jesus, ait; O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usque-quo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit eum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora.

Dominica quinta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 26

EXÁUDI, Dómine, vocem meam qua clamávi ad te, adjútor meus esto, ne derelínquas me neque despícias me, Deus salutáris meus.

Psalmus. Dóminus illuminátio mea: et salus mea, quem timébo.

Kýrie eléyson.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur, et ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli. 1 c. 3

CARÍSSIMI, Omnes unánimes in oratióne estóte, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modésti, húmiles: non reddéntes malum pro malo vel maledíctum pro maledícto, sed e contrário benedicéntes: quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, et cupit vidére dies bonos, coérceat linguam suam a malo, et lábia ejus ne loquántur dolum. Declínet autem a malo et fáciat bonum: inquírat pacem et sequátur eam: quia óculi Dómini super justos, et aures ejus [1]in[1] preces eórum: vultus autem Dómini super faciéntes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti.[2] Timórem autem eórum ne timuéritis, ut non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

Gradale. Ps. 83 Protéctor noster áspice, Deus: et réspice super servos tuos.

℣. Dómine Deus virtútum: exáudi preces servórum tuórum.

Allelúya. ℣. Ps. 30 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in tua justítia [3]líbera me et [4]éripe me,[3] [4] inclína ad me aurem tuam, accélera ut erípias me.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 5

IN illo témpore, Cum turbæ irrúerent ad Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatóres autem descénderant et lavábant rétia. Ascéndens autem in unam navim quæ erat Simónis, rogávit eum ut a terra redúceret pusíllum. Et sedens docébat de navícula turbas. Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem; Duc in altum, et laxáte rétia vestra in captúram. Et respóndens Simon, dixit illi; Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus: in verbo autem tuo laxábo rete. Et cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam; rumpebátur autem rete eórum; et annuérunt sóciis qui erant in ália navi, ut venírent et adjuvárent eos. Et venérunt, et implevérunt ambas navículas,

[1] ad.—97. 13. 26.
[2] eritis.—92. 98. 4L. 57.
[3] eripe me et libera me.—57.
[4] non habent 92. 98.

ita ut pæne mergeréntur. Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens; Exi a me, Dómine, quia homo peccátor sum. Stupor enim circumdéderat eum, et omnes qui cum illo erant, in captúra píscium quam céperant: simíliter autem Jacóbum et Johánnem, filios Zebedæi, qui erant sócii Simónis. Et ait ad Simónem Jesus; Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. Et subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus secúti sunt eum.

Offertorium. Ps. 15 Benedícam Dóminum qui mihi tríbuit intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi ne commóvear.

Secreta.

ASCENDANT, quæsumus, Domine, preces humilitatis nostræ in conspectu clementiæ tuæ, et descendat super hæc oblata virtus tuæ divinitatis, quam nostris quoque purificandis mentibus largiaris. Per.

Communio. Ps. 26 Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Postcommunio.

QYSTÉRIA nos, Dómine, quæsumus, sancta purífícent et suo múnere tueántur. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 1 c. 2

CARÍSSIME, Obsecro primum ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro régibus et ómnibus qui in sublimitáte sunt constitúti, ut quiétam et tranquíllam vitam agámus, in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est et accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Jesus: qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, cujus testimónium tempóribus suis confirmátum est; in quo pósitus sum ego prædicátor et apóstolus (veritátem dico, non méntior) doctor Géntium in fide et veritáte.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 8

IN illo tempore, Factum est in una dierum, et Jesus ascendit in naviculam et discipuli ejus; et ait ad illos; Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. Navigantibus autem illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et compellebantur fluctibus, et periclitabantur. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit: et facta est tranquillitas. Dixit autem illis; Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes; Quis putas hic est, quia et ventis imperat et mari, et obediunt ei?

Dominica sexta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 27

DÓMINUS fortitúdo plebis suæ et protéctor salutárium Christi sui est: salvum fac pópulum tuum, Dómine: et bénedic hæreditáti tuæ: et rege eos usque in sæculum.

Psalmus. Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: nequando táceas a me et assimilábor descendéntibus in lacum.

Oratio.

DEUS, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum: ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas quæ omne desidérium súperant consequámur. Per Dóminum.

Ad Romanos. c. 6

FRATRES, Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est, ut destruátur corpus peccáti, ut ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo: crédimus quia simul étiam vivémus cum illo: sciéntes quod Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 89 Convértere, Dómine; aliquántulum: et deprecáre super servos tuos.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.

Allelúya. ℣. Ps. 58 Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me.

Secundum Matthæum. c. 5

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Amen dico vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio, Qui autem dixerit fratri suo, Racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.

Offertorium. Ps. 16 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam et exáudi verba mea, mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te, Dómine.

Secreta.

PROPITIÁRE, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes famulórum tuórum benígnus assúme; ut quod sínguli obtulérunt ad honórem tui nóminis cunctis proficiat ad salútem. Per.

Communio. Ps. 26 Circuíbo et immolábo in tabernáculo ejus hóstiam jubilatiónis, cantábo et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio.

QUOS, Dómine, cœlésti dono satiásti, præsta, quǽsumus, ut a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum nostrum.

Feria quarta.

Lectio Epistolæ beati Johannis Apostoli. 1 c. 2

CARISSIMI, Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed [1]quasi[1] scientibus eam: quoniam omne mendacium ex veritate non est. Quis est mendax, nisi is qui credit quoniam Jesus non est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui [2]autem[2] confitetur Filium, et Patrem habet. Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat: Quia si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est [3]nobis,[3] [4]vitam æternam.[4]

Evangelium: Secundum Marcum. c. 10

IN illo tempore, Cum egressus esset Jesus in via, præcurrens quidam genu flexo ante eum, interrogabat eum dicens; Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei; Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Præcepta nosti. Ille dixit; Quæ? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, [5]Ne[5] falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. At ille respondens, ait illi; Magister bone, hæc omnia custodivi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei; Unum tibi deest: vade,[6] vende [7]omnia[7] quæcumque habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me.

Dominica septima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 46

OMNES gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Psalmus. Subjécit pópulos nobis: et gentes sub pédibus nostris.

Oratio.

DEUS virtútum, cujus est totum quod est óptimum: ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis; et præsta in nobis religiónis augméntum, ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias. Per Dóminum.

Ad Romanos. c. 6

FRATRES, Humánum dico, propter infirmitátem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servíre immundítiæ, et iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra vestra servíre justítiæ in sanctificatiónem. Cum enim servi essétis peccáti, líberi fuístis justítiæ. Quem ergo fructum habuístis tunc [8]in illis,[8] in quibus

[1] non habent 92. 97. 98.
[2] non habent 92. 97. 98. V.
[3] vobis.—92. 98. 4L. 57.
[4] sic 15. etc. vita æterna.—4L. 8RM. vita est æterna.—57.
[5] non.—92. 98. 4L. 57.
[6] et.—26.
[7] non habent 92. 98. 4L. 57. V.
[8] non habent 92. 98.

nunc erubéscitis? Nam finis illórum mors est. Nunc vero liberáti a peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem vero vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 33 Veníte, fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.
℣. Accédite ad eum et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.
Allelúya. ℣. Ps. 64 Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddétur votum in Hierúsalem.

Secundum Marcum. c. 8

In illo témpore, Cum turba multa esset cum Jesu nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis; miséreor super turbam: quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent: et si dimísero eos jejúnos in domum suam, defícient in via: quidam enim ex eis de longe venérunt. Et respondérunt ei discípuli sui; Unde istos póterit quis hic saturáre pánibus in solitúdine? Et interrogávit eos; Quot panes habétis? Qui dixérunt; Septem: Et præcépit turbæ discúmbere super terram. Et accípiens septem panes, grátias agens fregit et dabat discípulis suis ut appónerent: et apposuérunt turbæ. Et habébant piscículos paucos: et ipsos benedíxit, et jussit appóni. Et manducavérunt et saturáti sunt; et sustulérunt quod superáverat de fragméntis, septem sportas. Erant autem qui manducáverant, quasi quatuor míllia: et dimísit eos.

Offertorium. Dan. 3 Sicut in holocáustum aríetum et taurórum, et sicut in míllibus agnórum pínguium: sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie ut [1]complaceat[1] tibi, quia non est confúsio confidéntibus in te, Dómine.

Secreta.

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benígnus assúme, et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, præsta, quæsumus, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 30 Inclína aurem tuam: accélera ut éruas me.

Postcommunio.

Repléti, Dómine, munéribus tuis, tríbue, quæsumus, ut et eórum mundémur efféctu et muniámur auxílio. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 8

Fratres, Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati; et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita et pax. In Christo Jesu Domino nostro.

Evangelium: Secundum Matthæum. c. 12

In illo tempore, Abiit Jesus sabbato per sata: discipuli autem ejus esurientes,

[1] placeat.—94. 97. Grad.

cœperunt [1]evellere[1] spicas, et manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei; Ecce discipuli tui faciunt quod non licet [2]eis[2] facere sabbatis. At ille dixit eis; Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum illo erant: quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem scirétis, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes.

Dominica Octava post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 47

SUSCÉPIMUS Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ, justítia plena est déxtera tua.

Psalmus. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus.

Oratio.

DEUS, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur, te súpplices exorámus, ut nóxia cuncta submóveas et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Ad Romanos. c. 8

FRATRES, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúnque enim spíritu Dei agúntur, hi sunt fílii Dei: non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum [3]Dei,[3] in quo clamámus, Abba Pater. Ipse enim spíritus testimónium reddit spirítui nostro qnod sumus filii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi.

Gradale. Ps. 30 Esto mihi in Deum protectórem: et in locum refúgii, ut salvum me fácias.

℣. Deus, in te sperávi, Dómine: non confúndar in ætérnum.

Allelúya. ℣. Ps. 77 Atténdite, pópule meus,[4] legem meam.

Secundum Matthæum. c. 7

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces: a frúctibus eórum cognoscétis eos. Numquid cólligunt de spinis uvas, aut de tríbulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos fácere; neque arbor mala fructus bonos fácere: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur et in ignem mittétur. Igitur ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum: sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum.

[1] vellere.—92. 98. V.
[2] non habent 92. 98. V.
[3] non habent 92. 97. 98. 57. V.
[4] in.—97. 15.

Offertorium. Ps. 17 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine: et óculos superbórum humiliábis, quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta.

DEUS, qui legálium differéntias hostiárum uníus sacrifícii perfectióne sanxísti; áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis [1]oblátum,[1] et pari benedictióne sicut múnera [2]justi Abel[2] sanctífica; ut quod sínguli obtulérunt ad majestátis tuæ honórem, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Ps. 33 Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus: beátus vir qui sperat in eo.

Postcommunio.

TUA nos, Dómine, medicinális operátio et a nostris perversitátibus cleménter expédiat, et ad ea quæ recta sunt perdúcat. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 5

FRATRES, Commendat Deus caritatem suam in nobis: [3]quoniam si[3] cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis justificati nunc in sanguine ejus salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem: sed et gloriamur in [4]Deo[4] per Dominum nostrum Jesum Christum.

Evangelium: Secundum Marcum. c. 9

IN illo tempore, Dixemnt discipuli ad Jesum; Magister, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nos. Jesus autem ait illis; Nolite prohibere eum; nemo est enim qui [5]facit[5] virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ [6]frigidæ[6] in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quicunque scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem intrare in regnum Dei, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

[1] non habent 92. 98.
[2] Abel justi.—94. 97. Abel.—92. 98.
[3] quoniam.—97. V. qui.—92. 98.
[4] Domino.—98. 4L. 15. 57. Dominum.—13.
[5] faciat.—92. 97. 98. 15. V.
[6] non habent 92. 98. V.

Dominica Nona post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 53

ECCE Deus ádjuvat me, et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ, avérte mala inimícis meis: et in veritáte tua dispérde illos, protéctor meus, Dómine.

Psalmus. Deus, in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua líbera me.

Oratio.

LARGÍRE nobis, quæsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi; ut qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per.

Ad Corinthios. 1 c. 10

FRATRES, Non simus concupiscéntes malórum, sicut et illi concupiérunt. Neque idolatræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre et bíbere, et surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, et cecidérunt una die vigínti tria míllia. Neque tentémus Christum, sicut quidam eórum tentavérunt, et a serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, et periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: scripta [1]autem sunt hæc[1] ad correptiónem nostram, in quos fines sæculórum devenérunt. Itaque qui se exístimat stare, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat, nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potéstis, sed fáciet cum tentatióne étiam provéntum, ut possítis sustinére.

Gradale. Ps. 8 Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Allelúya. ℣. Ps. 80 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob, súmite psalmum jocúndum cum cíthara.

Secundum Lucam. c. 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam erat dives qui habébat víllicum, et hic diffamátus est apud illum quasi dissipásset bona ipsíus. Et vocávit illum, et ait illi: Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuæ: jam enim non póteris villicáre. Ait autem víllicus intra se: Quid fáciam, quia dóminus meus aufert a me villicatiónem? fódere non váleo, mendicáre erubésco. Scio quid fáciam, ut cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas. Convocátis ítaque síngulis debitóribus dómini sui, dicébat primo: Quantum debes dómino meo? At ille dixit: Centum cados ólei. Dixítque illi: Accipe cautiónem tuam et sede; cito scribe quinquagínta. Deinde álio dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros trítici. Ait illi: Accipe lítteras tuas, et scribe octogínta. Et laudávit dóminus víllicum iniquitátis, quia prudénter fecísset: quia fílii hujus sæculi prudentióres fíliis lucis in generatióne sua sunt. Et ego vobis dico: fácite vobis amícos de mammóna iniquitátis: ut, cum defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula.

Offertorium. Ps. 18 Justítiæ Dómini rectæ lætificántes corda: et dulcióra super mel et favum, nam et servus tuus [2]custodit[2] ea.

[1] sunt autem hæc.—97. 15. autem sunt.—92. 98. sunt autem.—V.
[2] custodiet.—98. 4L. 15. 57. Grad.

Secreta.

SÚSCIPE múnera, quǽsumus, Dómine, quæ tibi de tua largitáte deférimus; ut hæc sacrosáncta mystéria, grátiæ tuæ operánte virtúte, et præséntis vitæ nos conversatióne sanctíficent et ad gáudia sempitérna perdúcant. Per.

Communio. Matth. 6 Primum quǽrite regnum Dei: et ómnia adjiciéntur vobis, dicit Dóminus.

Postcommunio.

SIT nobis, Dómine, quǽsumus, reparátio mentis et córporis cœléste mystérium; ut cujus exséquimur actiónem, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 6

FRATRES, Nescitis quoniam cui [1]exhibetis[1] vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui [2]obedistis,[2] sive peccati [3]ad[3] mortem, sive obeditionis ad justitiam? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex[4] corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ, in Christo Jesu Domino nostro.

Secundum Lucam. c. 26

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis? Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet et alterum diliget: aut uni adhærebit et alterum contemnet: non potestis Deo servire et mammonæ. Audiebant [5]enim hæc omnia[5] Pharisæi qui erant avari, et deridebant illum. Et ait illis; vos estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, [6]abominatio[6] est ante Deum.

Dominica Decima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 54

UM clamárem ad Dóminum exaudívit vocem meam ab his qui appropínquant mihi: et humiliávit eos qui est ante sǽcula et manet in ætérnum: jacta cogitátum tuum in Dómino et ipse te enútriet.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam: et ne despéxeris deprecatiónem meam, inténde mihi et exáudi me.

Oratio.

PÁTEANT aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi plácita sunt postuláre. Per Dóminum nostrum.

Ad Corinthios. I c. 12

FRATRES, Scitis quóniam cum gentes essétis, ad simulácra muta prout ducebámini eúntes. Ideo notum vobis fácio,

[1] exhibuistis.—92. 98. 4L 15. 57.
[2] sic 26. etc. obeditis.—55P. V.
[3] in.—92. 97. 98. 57.
[4] toto.—92. 97. 98. 57.
[5] autem hæc omnia.—97. 26. autem omnia hæc.—V.
[6] abominabile.—92. 98.

quod nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anáthema Jesu. Et nemo potest dícere Dóminus Jesus, nisi in Spíritu Sancto. Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus: et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus: et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ; álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Gradale. Ps. 16 Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me.
℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátem.
Allelúya. ℣. Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi et nocte coram te.

Secundum Lucam. c. 19

In illo témpore, Cum [1]appropinquásset[1] Jesus Hierúsalem, videns civitátem flevit super illam, dicens; quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Quia ecce vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et circúmdabunt te, et coangustábunt te úndique, et ad terram prostérnent te et fílios tuos qui in te sunt, et non relínquent in te lápidem super lápidem: eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Et ingréssus in templum, cœpit ejícere vendéntes in illo et eméntes, dicens illis; Scriptum est, quia domus mea domus oratiónis est. Vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat docens quotídie in templo.

Offertorium. Ps. 24 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam, Deus meus in te confído, non erubéscam neque irrídeant me inimíci mei, étenim univérsi qui te exspéctant non confundéntur.

Secreta.

Concéde nobis hæc, quæsumus, Dómine, digne frequentáre mystéria; quia quóties hujus hóstiæ commemorátio celebrátur, opus nostræ redemptiónis exercétur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 50 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocáusta: super altáre tuum Dómine.

Postcommunio.

Tui nobis, Dómine, commúnio sacraménti et purificatiónem cónferat et tríbuat unitátem. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Corinthios. I c. 15

Fratres, Non omnis caro, eadem caro: sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Et corpora cœlestia et corpora terrestria; sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum: stella autem a stella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est et spiritale;

[1] appropinquaret.—92. 98. 4L. 57.

sicut scriptum est, Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale. In Christo Jesu Domino nostro.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 21

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Atténdite vobis, ne forte gravéntur corda vestra in crápula et ebrietáte et curis hujus vitæ: et supervéniat in vos repentína dies illa: tanquam láqueus enim supervéniet in omnes qui sedent super fáciem omnis terræ. Vigiláte itaque, orántes omni témpore ut digni habeámini fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stáre ante Fílium Hóminis.

Dominica Undecima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 67

Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitáre facit unánimes in domo: ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Oratio.

Deus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo manifestas: multíplica super nos grátiam tuam, ut ad tua promíssa curréntes, cœléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 1 c. 15

Fratres, Notum vobis fácio evangélium quod prædicávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustra credidístis. Trádidi enim vobis in primis quod et accépi: quóniam Christus Jesus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras: et quia sepúltus est, et quia resurréxit tértia die secúndum Scriptúras: et quia visus est Cephæ, et post [1]hæc[1] úndecim: deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt: deínde visus est Jacóbo, deínde apóstolis ómnibus: novíssime autem ómnium, tanquam abortívo, visus est et mihi. Ego enim sum mínimus apostolórum, qui non sum dignus vocári apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

Gradale. Ps. 27 In Deo sperávit cor meum et adjútus sum, et reflóruit caro mea: et ex voluntáte mea confitébor illi.

℣. Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas ne discédas a me.

Allelúya. ℣. Ps. 89 Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie.

Secundum Lucam. c. 18

In illo témpore, Dixit Jesus ad quosdam qui in se confidébant tanquam justi et aspernabántur céteros parábolam istam, dicens; Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent: unus Pharisæus et alter publicánus. Pharisæus autem stans hæc apud se orábat: Deus, grátias ago tibi, quia non sum sicut céteri hóminum, raptóres, injústi, adúlteri, velut étiam hic

[1] hoc.—92. 98. V.

publicánus. Jejúno bis in sabbáto: décimas do ómnium quæ possídeo. Et publicánus a longe stans, nolébat nec ad cœlum óculos leváre: sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus propítius esto mihi peccatóri. Amen dico vobis, descéndit hic justificátus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Ps. 29 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: neo delectásti inimícos meos super me; Dómine, clamávi ad te et sanásti me.

Secreta.

TIBI, Dómine, sacrifícia [1]dicáta[1] reddántur; quæ sic ad honórem nóminis tui deferénda tribuísti, ut éadem remédia nostra fieri præstáres. Per.

Communio. Prov. 3 Honóra Dóminum de tua substántia et de primítiis frugum tuárum: ut impleántur hórrea tua saturitáte: et vino torculária redundábunt.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster, ut quos divínis reparáre non désinis sacraméntis, tuis non destítuas benígnus auxíliis. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 1 c. 6

FRATRES, Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, [2]faciam[2] membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum [3]est[3] Spiritus Sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in [4]corpore vestro.[4]

Secundum Lucam. c. 18

IN illo tempore, Dicebat Jesus discipulis suis parabolam hanc, quoniam oportet semper orare et non deficere, dicens; Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. Ait autem Dominus; Audite quid judex iniquitatis dixit: Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico [5]autem[5] vobis quia cito faciet vindictam illorum.

[1] dicanda.—94. 97.
[2] facies.—13. 15. faciens.—57.
[3] sunt.—97. 26. V.
[4] cordibus vestris.—92. 98.
[5] non habent 92. 98. 4L. 57. V.

Dominica Duodecima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 69

DEUS, in adjutórium meum intende: Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur et reveréantur inimíci mei qui quærunt ánimam meam.

Psalmus. Avertántur retrórsum et erubéscant: qui volunt mihi mala.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ et mérita súpplicum excédis et vota, effúnde super nos misericórdiam tuam, ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 2 c. 3

FRATRES, Fidúciam talem habémus per Christum ad Deum: non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est: qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti, non líttera sed Spíritu: líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat. Quod si ministrátio mortis lítteris deformáta in lápidibus, fuit in glória; ita ut non possent inténdere fílii Israel in fáciem Moysi, propter glóriam vultus ejus quæ evacuátur: quómodo non magis ministrátio Spíritus erit in glória? Nam si ministrátio damnatiónis [1]in[1] glória est: multo magis abúndat ministérium justítiæ in glória.

Gradale. Ps. 33 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur.

Allelúya. ℣. Ps. 94 Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo salutári nostro.

Alius Versus. Præoccupémus fáciem ejus in confessióne: et in psalmis jubilémus ei.

Isti duo Versus dicuntur per hebdomadam alternis vicibus [2]quando de feria agitur:[2] ita tamen quod Versus Præoccupemus [3]prius[3] dicitur quando [4]missa dominicalis per hebdomadam dicitur.[4] Et si nulla feria per hanc hebdomadam ad hoc vacaverit, tunc ultimus Versus eo anno omnino prætermittatur.

Secundum Marcum. c. 7

IN illo témpore, Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilǽæ inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei surdum et mutum et deprecabántur eum, ut impónat illi manum. Et apprehéndens eum de turba seórsum, misit dígitos suos in aurículas ejus: et exspuens tétigit linguam ejus: et suspíciens in cœlum ingémuit, et ait illi; Effeta, quod est, adaperíre. Et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus, et loquebátur recte. Et præcépit illis ne cui dícerent. Quanto autem eis præcipiébat, tanto magis plus prædicábant: et eo ámplius admirabántur, dicéntes; Bene ómnia fecit: et surdos fecit audíre et mutos loqui.

Offertorium. Exod. 32 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui et dixit: precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui et dixit: quare, Dómine, irásce-

[1] non habent 92. 98. 57. V.
[2] non habent 92. 98. 4L. 15. 57. Grad.
[3] primo.—92. 98. 4L. 15. 57. Grad.
[4] de feria agitur.—92. 98. 4L. 15. 57. Grad.

ris in pópulo tuo: parce iræ ánimæ tuæ: meménto Abraham, Isaac et Jacob: quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel: et placátus factus est Dóminus de malignitáte quam dixit fácere pópulo suo.

Secreta.

RÉSPICE, quæsumus, Dómine, nostram propítius servitútem: ut quod offérimus sit tibi munus accéptum, sitque nostræ fragilitáti subsídium. Per Dóminum.

Communio. Ps. 103 De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra: ut edúcas panem de terra, et vinum lætíficet cor hóminis; at exhílaret fáciem in óleo, et panis cor hóminis confírmet.

Postcommunio.

SENTIÁMUS, Dómine, quæsumus, tui perceptióne sacraménti subsídium mentis et córporis; ut in utróque salváti, cœléstis remédii plenitúdine gloriémur.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 2 c. 4

FRATRES, Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum: nos autem servos vestros per Jesum: quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in [1]faciem[1] Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: [2]humiliamur, sed non confundimur:[2] dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu [3]Christi[3] in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur.

Secundum Matthæum. c. 11

IN illo tempore, Cœpit Jesus exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corosaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis, usque in infernum descendes? quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.

Dominica Decima tertia post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 73

RÉSPICE, Dómine, in testaméntum tuum: et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem: exsúrge, Dómine,[4] júdica causam tuam: et ne obliviscáris voces quæréntium te.

Psalmus. Ut quid, Deus, repulísti in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

[1] sic 26. etc. facie.—55P. V.
[2] non habent 92. 97. 98. V.
[3] non habent 92. 97. 98. V.
[4] et.—92. 98. Grad.

Oratio.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, de cujus múnere venit ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur; tríbue nobis, quæsumus, ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Ad Galatas. c. 3

FRATRES, Abrahæ dictæ sunt promissiónes et sémini ejus. Non dicit: Et semínibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testaméntum confirmátum a Deo, quæ post quadringéntos et trigínta annos iacta est Lex, non írritum facit ad evacuándam promissiónem. Nam si ex lege esset heréditas, jam non ex [1]repromissióne.[1] Abrahæ autem per repromissiónem donávit Deus. Quid igitur lex? Propter [2]transgressóres[2] pósita est donec veníret semen cui promíserat, ordináta per ángelos in manu mediatóris. Mediátor autem unius non est: Deus autem unus est. Lex ergo advérsus promíssa Dei? Absit. Si enim data esset lex quæ posset vivificáre, vere ex lege esset justítia. Sed conclúsit scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Jesu Christi darétur credéntibus.

Gradale. Ps. 73 Réspice, Dómine, in testaméntum tuum: et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.
℣. Exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam: memor esto oppróbrii servórum tuórum.

Allelúya. ℣. Ps. 94 Quóniam Deus magnus Dóminus: et rex magnus super omnem terram.

Secundum Lucam.
c. 10

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt: et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Et ecce quidam Legisperítus surréxit tentans illum et dicens; Magister, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum; In lege quid scriptum est? quómodo legis? Ille [3]autem[3] respóndens dixit; Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota ánima tua et ex ómnibus víribus tuis et ex omni mente tua: et próximum tuum sicut teipsum. Dixítque illi; Recte respondísti: hoc fac, et vives. Ille autem volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum; Et quis est meus próximus? Suspíciens autem Jesus, dixit; Homo quidam descendébat ab Hierúsalem in Hiéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt semivívo relícto. Accidit autem ut sacérdos quidam descénderet eádem via: et viso illo [4]præteriit.[4] Simíliter et Levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens venit secus eum: et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illíus habe: et quodcúmque supererogáveris, ego cum redíero reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi qui íncidit in latrónes? At il-

[1] sic 26. etc. promissione.—4L. 15, 55P. 57. V.
[2] transgressionem.—92. 98. 4L. 15. 57. transgressiones.—V.
[3] non habent 92. 98. 4L. 57. V.
[4] præterivit.—92. 98. 4L. 15. 57. V.

le dixit; Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus; Vade, et tu fac similiter.

Offertorium. Ps. 30 In te sperávi, Dómine, dixi, tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta.

HÓSTIAS, quæsumus, Dómine, propítius inténde quas sacris altáribus exhibémus; ut nobis indulgéntiam largiéndo, tuo nómini dent honórem. Per.

Communio. Sap. 16 Panem de cœlo [1]dedísti[1] nobis, Dómine: habéntem omne delectaméntum et omnem sapórem suavitátis.

Postcommunio.

VIVÍFICET nos, quæsumus, Dómine, hujus participátio sancta mystérii: et páriter nobis expiatiónem tríbuat et munímen. Per.

Feria quarta.

Ad Thessalonicenses. 1 c. 2

FRATRES, Memores [2]estote[2] laborum nostrorum et fatigationum, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus; prædicavimus enim in vobis evangelium Dei. Vos enim testes estis et Deus, quam sancte [3]et juste[3] et sine querela vobis qui credidistis [4]affuimus:[4] sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum tanquam pater filios suos, deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo qui vocavit vos in regnum suum et gloriam. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis [5]qui credidistis.[5]

Secundum Matthæum. c. 12

IN illo tempore, Abeuntes Pharisæi, consilium faciebant adversus Jesum, quomodo eum perderent. Jesus autem sciens recessit inde: et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes: et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, et [6]lignum[6] fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium: et in nomine ejus gentes sperabunt.

Dominica Decima quarta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 83

ROTÉCTOR noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui: quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Psalmus.

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

[1] præstitisti.—92. 98.
[2] estis.—92. 98. 4L. 15. 57. V.
[3] non habent 92. 98.
[4] fuimus.—92. 98. 57. V.
[5] sic 15. etc. non habent 92. 98. 4L. 8RM. 57.
[6] linum.—15. V.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et caritátis augméntum: et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Ad Galatas. c. 5

FRATRES, Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum: spíritus autem advérsus carnem: hæc enim sibi ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis, illa faciátis. Quod si spíritu ducímini, non estis sub lege. Manifésta autem sunt ópera carnis: quæ sunt, fornicátio, immundítia, avarítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his simília, quæ prædíco vobis, sicut prædíxi, quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem Spíritus est cáritas, gáudium, pax, patiéntia, longanímitas, bónitas, benígnitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Advérsus hujuscémodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Gradale. Ps. 91 Bonum est confitéri Dómino et psállere nómini tuo, altíssime.
℣. Ad annunciándum mane misericórdiam tuam et veritátem tuam per noctem.

Allelúya. ℣. Ps. 104 Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 17

IN illo témpore, Cum iret Jesus in Hierúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilæam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi; qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes; Jesu præcéptor, miserére nostri. Quos ut vidit, dixit; Ite, osténdite vos sacerdótibus. Et factum est dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus est, regréssus est cum magna voce magníficans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias agens: et hic erat Samaritánus. Respóndens autem Jesus, dixit; Nonne decem mundáti sunt, et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Et ait illi: Surge [1]et[1] vade: quia fides tua te salvum fecit.

Offertorium. Ps. 33 Immíttit ángelus Dómini in circúitu timéntium eum et erípiet eos: gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus.

Secreta.

PROPITIÁRE, Dómine, pópulo tuo, propitiáre munéribus; ut hac oblatióne placátus et indulgéntiam nobis tríbuas et postuláta concédas. Per.

Communio. Johan. 6 Panis quem ego dédero: caro mea est pro sæculi vita.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, [2]cœléstibus sacraméntis,[2] ad redemptiónis ætérnæ, quæsumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 2 c. 6 et 7

FRATRES, Nolite jugum ducere cum infidelibus sed cum fidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?

[1] non habent 92. 98. V.
[2] muneribus sacris.—94.

Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos autem estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo [1]inter eos,[1] et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum et separamini, dicit Dominus, vos qui portatis vasa Domini, et immundum ne tetigeritis: et ego recipiam vos: et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. Has ergo promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 12

In illo tempore, Ait ad Jesum quidam de turba; Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit ei; Homo, quis me constituit judicem aut divisorem supra vos? Dixitque ad illos; Videte et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad [2]illum,[2] dicens; Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quod non [3]habeo[3] quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, et epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in [4]Deum[4] dives. Dixitque ad discipulos suos; Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. Considerate corvos quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos.

Dominica Decima quinta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 85

Inclína, Dómine, aurem tuam ad me et exáudi me: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te, miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die.

Psalmus. Lætífica ánimam servi tui: quóniam ad te, Dómine: ánimam meam levávi.

Oratio.

Custódi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua: et quia sine te lábitur humána mortálitas, tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis et ad salutária dirigátur. Per.

Ad Galatas. c. 5 et 6

Fratres, Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spiritáles estis, hujuscémodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam

[1] non habent 92. 97. 98.
[2] illos.—92. 97. 26. V.
[3] habeam.—98. 4L. 15. 57.
[4] Deo.—92. 98. 4L. 15. 57.

si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo ei qui se catechízat in ómnibus bonis. Nolíte erráre: Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu[1] metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus: témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei.

Gradale. Ps. 117 Bonum est confídere in Dómino: quam confídere in hómine.
℣. Bonum est speráre in Dómino: quam speráre in princípibus.
Allelúya. ℣. Ps. 107 Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo et psállam tibi in glória mea.

Secundum Matthæum. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit et álterum díliget: aut unum sustinébit et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca: et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cœli, quóniam non serunt neque metunt neque cóngregant in hórrea: et Pater vester cœléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos [2]minimæ[2] fídei? Nolíte ergo sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus: et hæc ómnia adjícientur vobis.

Offertorium. Ps. 39 Exspéctans exspectávi Dóminum et respéxit me: et exáudivit deprecatiónem meam, et immísit in os meum cánticum novum, hymnum Deo nostro.

Secreta.

Concéde nobis, Dómine, quæsumus, ut hæc oblátio salutáris, et nostrórum fiat purgátio peccatórum, et tuæ propitiátio pietátis. Per.

Communio. Johan. 6 Qui mandúcat carnem meam et bibit sánguinem meum: in me manet et ego in eo, dicit Dóminus.

Postcommunio.

Purífícent semper et múniant tua sacraménta nos Deus, et ad perpétuæ ducant salvatiónis efféctum. Per.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 1 c. 1

Carissime, Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur: Sciens hoc, quia justo non est lex posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis

[1] et.—97. 26.
[2] sic 26. etc. modicæ.—55P. V.

et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur; quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio: qui prius fui blasphemus et persecutor et contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Secundum Lucam. c. 20

In illo tempore, Factum est in una dierum, docente Jesu populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum et Scribæ cum senioribus, et aiunt dicentes ad illum; Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Jesus, dixit ad illos; Interrogabo vos et ego unum sermonem; respondete mihi. [1]Baptismus[1] Johannis de cœlo erat an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim, Johannem prophetam esse. Et responderunt, se nescire unde esset. Et Jesus ait illis; Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Dominica Decima sexta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 85

Miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: quia tu, Dómine, suávis ac mitis es: et copiósus in misericórdia ómnibus invocántibus te.

Psalmus. Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me: quóniam inops et pauper sum ego.

Oratio.

Ecclésiam tuam, [2]quæsumus, Dómine,[2] miserátio continuáta mundet et múniat, et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Ad Ephesios. c. 3

Fratres, Obsecro vos ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini [3]mei[3] Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtútem corroborári per Spíritum ejus in interiori hómine, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo, longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus aut intellígimus, secúndum virtútem quæ operátur in nobis, ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

[1] baptisma.—92. 98. 57.
[2] Domine.—92. 98. Domine, quæsumus.—4L. 15.
[3] nostri.—26. V.

Gradale. Ps. 101 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine: et omnes reges terræ glóriam tuam.
℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion: et vidébitur in majestáte sua.
Allelúya. ℣. Ps. 113 Qui timent Dóminum sperent in eum: adjútor et protéctor eórum est.

Sequentia sancta Evangelii: Secundum Lucam. c. 7

In illo témpore, Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naim, et ibant cum eo discípuli ejus et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur, fílius únicus matris suæ; et hæc vídua erat, et turba civitátis multa cum illa. Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accéssit, et tétigit lóculum. Hi autem qui portábant, stetérunt. Et ait; Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accépit autem omnes timor: et magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus surréxit in nobis: et quia Deus visitávit plebem suam.

Offertorium. Ps. 39 Dómine; in auxílium meum réspice: confundántur et revereántur qui quærunt ánimam meam: ut áuferant eam.

Secreta.

Tua nos, Dómine, quæsumus, sacraménta custódiant; et contra diabólicos tueántur semper incúrsus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 70 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio.

Mentes nostras et córpora possídeat, quæsumus, Dómine, doni cœléstis operátio, ut non noster sensus in nobis, sed júgiter ejus prævéniat efféctus. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Colossenses. c. 2

Fratres, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso [1]inhabitat[1] omnis plenitudo divinitatis corporaliter: et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: in quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum essetis mortui in delictis et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: per Jesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Marcum. c. 8

In illo tempore, Venit Jesus Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. Et [2]apprehensa manu[2] cæci, eduxit eum extra vicum: et exspuens in [3]oculos[3] ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si [4]quid[4] videret. Et aspiciens, ait; Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus:

[1] habitat.—92. 98. 4L. 57.
[2] apprehendens manum.—92. 98. 4L. 57.
[3] sic 55P. etc. oculis.—4L. 13. 15. 26.
[4] aliquid.—92. 98. 4L. 57.

et cœpit videre: et restitutus est ita ut videret clare omnia. Et misit illum in domum suam, dicens; Vade in domum tuam: et si in vicum introieris, nemini dixeris.

Dominica Decima septima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 118

Justus es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam. Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

Tua nos, Dómine, quæsumus, grátia semper et prævéniat et sequátur, ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum nostrum.

Ad Ephesios. c. 4

Fratres, Obsecro[1] vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis[2] vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum patiéntia supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus et unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes et per ómnia et in ómnibus nobis; [3]qui est benedíctus in sæcula sæculorum, amen.[3]

Gradale. Ps. 32 Beáta gens cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus quem elégit [4]Dóminus[4] in hæreditátem sibi.
℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt: et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Déxtera [5]Dómini[5] fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me.

Secundum Lucam. c. 14

In illo témpore, Cum introísset Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et respóndens Jesus dixit ad Legisperítos et Pharisæos, dicens; Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse vero apprehénsum sanávit eum ac dimísit. Et respóndens ad illos dixit; Cujus vestrum ásinus aut bos in púteum cadet, et non contínuo éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respóndere illi. Dicébat autem et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos; Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco, ne forte honorátior te sit invitátus ab illo. Et véniens is qui te et illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco: ut cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Dan. 9 Orávi Deum meum ego Dániel, dicens: exáudi, Dómine, pre-

[1] sic 15. etc. itaque.—92. 98. 4L. 8RM. 57.
[2] in.—92. 98. 4L. 57.
[3] non habent 94. V.
[4] non habent 94. 97.
[5] Dei.—92. 94. 97. 98. Grad.

ces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum: [1]et propítius inténde pópulum istum super quem invocátum est nomen tuum,[1] Deus.

Secreta.

MUNDA nos, quæsumus, Dómine, sacrifícii præséntis efféctu: et pérfice miserátus in nobis, ut ejus mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Communio. Ps. 75 Vovéte et réddite Dómino Deo vestro, omnes qui in circúitu ejus affértis múnera: terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, terríbili apud omnes reges terræ.

Postcommunio.

PURÍFICA, Dómine, quæsumus, mentes nostras benígnus, et rénova cœléstibus sacraméntis; ut consequénter et córporum præsens páriter et futúrum capiámus auxílium. Per Dóminum.

Feria quarta.

Epistola. Si enim unius, et Evangelium. Cum venisset Jesus et discipuli. Require in quarta feria post Dominicam xxiii.

Dominica Decima octava post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Eccli. 36

DA pacem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: exáudi preces servi tui et plebis tuæ, Israel.

Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.

Oratio.

DA, quæsumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia, et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: Ad Corinthios. 1 c. 1

FRATRES, Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quia in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia, sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi. Qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri Jesu Christi.

Gradale. Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.

℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúya. ℣. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.

℣. Stantes erant pedes nostri: in átriis [2]tuis,[2] Hierúsalem.

Isti duo Versus dicuntur per hebdomadam alternis vicibus; ita tamen quod versus Stantes primo dicitur quando de feria agitur. Et si nulla feria per hanc hebdomadam ad hoc vacaverit, tunc ultimus versus eo anno omnino prætermittatur.

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Matthæum. c. 22

IN illo témpore, Accessérunt ad Jesum Pharisæi; et interrogávit eum unus ex eis, legis doctor, tentans eum; Magíster, quod est mandátum magnum in Lege?

[1] non habet Grad.
[2] non habent 94. 98. Grad.

Ait illi Jesus; Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota ánima tua et in tota mente tua. Hoc est máximum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa lex pendet et prophétæ. Congregátis autem Pharisæis, interrogávit eos Jesus, dicens; Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei; David. Ait illis; Quómodo ergo David in Spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Si ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius ejus est? Et nemo póterat respondére ei verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius interrogáre.

Offertorium. Exod. 24 Sanctificávit Móyses altáre Dómino, ófferens super illud holocáusta: et ímmolans víctimam fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis Dómino Deo in conspéctu filiórum Israel.

Secreta.

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter deprecámur; ut hæc sancta quæ gérimus et a prætéritis delíctis nos éxuant et futúris. Per.

Communio. Ps. 95 Tóllite hóstias et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Postcommunio.

Sanctificatiónibus tuis, [1]quæsumus,[1] omnípotens Deus, et vítia nostra curéntur et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 15

Fratres, Obsecro vos per Dominum Jesum Christum et per caritatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus [2]vestris[2] pro me ad Deum; ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio fiat accepta in Hierosolyma sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen.

Secundum Matthæum. c. 13

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile factum est regnum cœlórum grano sinápis quod accípiens homo seminávit in agro suo: quod mínimum est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus, et fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis; Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas, et sine parábolis non loquebátur eis: ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscónsa a constitutióne mundi.

[1] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 98.

Dominica Decima nona post Trinitatem.

Ad Missam. Officium.

SALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum.

Ps. 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

DÍRIGAT corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio; quia tibi sine te placére non póssumus. Per Dóminum.

Ad Ephesios. c. 4

FRATRES, Renovámini spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem qui secundum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium, loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo: quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, et nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo: qui furabátur, jam non furétur: magis autem labóret, operándo mánibus suis quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patiénti.

Gradale. Ps. 140 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Allelúya. ℣. Ps. 124 Qui confídunt in Dómino sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum qui hábitat in Hierúsalém.

Secundum Matthæum. c. 9

IN illo témpore, Ascéndens Jesus in navículam transfretávit, et venit in civitátem suam. Et ecce offerébant ei paralýticum jacéntem in lecto.[1] Videns [2]autem[2] Jesus fidem illórum dixit paralýtico: Confíde, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce quidam de scribis dixérunt intra se; Hic blasphémat. Et cum vidísset Jesus cogitatiónes eórum, dixit; Ut quid cogitátis mala in córdibus vestris? Quid est facílius dícere; Remittúntur tibi peccáta [3]tua:[3] an dícere; Surge et ámbula? Ut autem sciátis, quia Fílius Hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta. Tunc ait paralýtico; Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surréxit, et ábiit in domum suam. Vidéntes autem turbæ, timuérunt et glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.

Offertorium. Ps. 137 Si ambulávero in médio tribulatiónis vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Secreta.

DEUS, qui nos per hujus sacrifícii veneránda commércia uníus summæque Divinitátis partícipes ésficis; præsta, quæsumus, ut sicut tuam cognóscimus veritátem, sic eam dignis méntibus et móribus assequámur. Per.

Communio. Ps. 118 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.

[1] et—92. 97. 98. V.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. 57. V.
[3] non habent 92. 97. 98.

Postcommunio.

GRÁTIAS tibi referímus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam misericórdiam deprecántes; ut dignos nos ejus participatióne perfícias. Per.

Feria quarta.

Ad Thessalonicenses. 2 c. 2 et 3

FRATRES, State, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus et Deus et Pater noster, qui dilexit nos et dedit[1] consolationem æternam et spem bonam in gratia, consoletur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo [2]Domini[2] currat et clarificetur ubique sicut et apud vos: et ut liberemur ab importunis et malis hominibus: non enim omnium est fides. Fidelis autem [3]Deus[3] est, qui confirmabit vos et custodiet a malo. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus et facitis et facietis. Dominus autem dirigat corda [4]et corpora[4] vestra in caritate Dei et patientia Christi.

Secundum Matthæum. c. 13

IN illo tempore, Accesserunt ad Jesum discipuli ejus, dicentes; Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait; Qui seminat bonum semen, est Filius Hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen hi sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli Dei sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius Hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Dominica Vicesima post Trinitatem.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

MNIA quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti: quia peccávimus tibi et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ.

Ps. 47 Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus.

Oratio.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde; ut mente et córpore páriter expedíti, quæ tua sunt líberis méntibus exsequámur. Per.

Ad Ephesios. c. 5

FRATRES, Vidéte ítaque, quómodo caute ambulétis: non quasi insipiéntes sed quasi sapiéntes: rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptérea nolí-

[1] nobis.—97. 98. 26.
[2] Dei.—97. 26. V.
[3] Dominus.—92. 97. 98.
[4] non habent 92. 98. V.

te fíeri imprudéntes: sed intelligéntes quæ sit volúntas Dei. Et nolíte inebriári vino, in quo est luxúria: sed implémini Spíritu Sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, hymnis et cánticis spiritálibus, cantántes et psalléntes in córdibus vestris Dómino. Grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Subjécti ínvicem in timóre Christi.

Gradale. Ps. 144 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno.
℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.
Allelúya. ℣. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Secundum Matthæum. c. 22

In illo témpore, Loquebátur Jesus cum discípulis suis in parábolis dicens; Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, et nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens; Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei et altília occísa [1]sunt,[1] et ómnia paráta: veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt: et abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatiónem suam: réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis afféctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est: et missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis; Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérunt, bonos et malos: et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris: Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Offertorium. Ps. 136 Super flúmina Babylónis illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui, Sion.

Secreta.

Hæc múnera, quæsumus, Dómine, quæ óculis tuæ majestátis offérimus, salutária nobis esse concéde. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio.

Tua nos, Dómine, medicinális operátio et a nostris perversitátibus clemén-ter expédiat et tuis semper fáciat inhærére mandátis. Per Dóminum nostrum Jesum etc.

Feria quarta.

Ad Timotheum. 2 c. 2

Caríssime, Confortáre in grátia quæ data est tibi in Christo Jesu: et quæ audísti [2]a me per[2] multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo implicat se negótiis sæculáribus: ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat

[1] non habent 92. 98. 57.
[2] per me et.—97. 26.

in agóne, non coronábitur nisi legítime certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 14

In illo tempore, Dicebat Jesus cuidam principi Pharisæorum; Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos neque cognatos neque vicinos neque divites: ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Hæc cum [1]audisset[1] quidam de simul discumbentibus dixit illi; Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

Dominica Vicesima prima post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Hest. 13

In voluntáte tua, Dómine, univérsa sunt pósita; et non est qui possit resístere voluntáti tuæ: tu enim fecísti ómnia; cœlum et terram et univérsa quæ cœli ámbitu continéntur, Dóminus universórum tu es.

Ps. 118 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

Largíre, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus et pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis et secúra tibi mente desérviant. Per Dóminum.

Ad Ephesios. c. 6

Fratres, Confortámini in Dómino et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem: sed advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calciáti pedes in præparatiónem evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere: et gáleam salútis assúmite; et gládium Spíritus, quod est verbum Dei.

Gradale. Ps. 89 Dómine, refúgiam factus es nobis: a generatióne et progénie.

℣. Priúsquam montes fíerent aut formarétur terra et orbis: a sæculo et in sæculum tu es Deus.

Allelúya. ℣. Ps. 145 Lauda, ánima mea, Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea: psallam Deo meo quámdiu ero.

Secundum Johannem. c. 4

In illo témpore, Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cum audísset quia Jesus adveníret a Judæa in Galilæam, ábiit ad eum, et [2]rogábat[2] eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum; Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Dixit ad eum régulus; Dómine, descénde priúsquam moriátur fílius meus. Dixit ei Jesus; Vade, fílius tuus vivit. Crédidit homo sermóni quem

[1] dixisset—92. 98. 4L. 57.
[2] rogavit.—92. 97. 98. 26.

díxerat ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendénte, servi occurrérunt ei, et nunciavérunt dicéntes, quia fílius ejus víveret. Interrogábat ergo horam ab eis, in qua mélius habuerat. Et dixérunt ei; Quia heri hora séptima relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater quia illa hora erat, in qua [1]dixit[1] ei Jesus; Fílius tuus vivit. Et crédidit ipse, et domus ejus tota.

Offertorium. Job. 1 Vir erat in terra nómine Job, simplex et rectus ac timens Deum: quem Sathan pétiit ut tentáret: et data est ei potéstas a Dómino in facultáte et in carne ejus: perdidítque omnem substántiam ipsíus et fílios, carnem quoque ejus gravi úlcere vulnerávit.

Secreta.

Cœléstem nobis præbeant hæc mystéria, quæsumus, Dómine, medicínam; et vítia cordis nostri expúrgent. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118 In salutári tuo ánima mea: et in verbum tuum sperávi: quando fácies de persequéntibus me judícium? iníqui persecúti sunt me: ádjuva me, Dómine Deus meus.

Postcommunio.

Ut sacris, Dómine, reddámur digni munéribus fac nos, quæsumus, tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

Feria quarta.

Epistola. Ad Thessalonicenses. 1 c. 1

Fratres, Sciéntes, dilécti a Deo, [2]electiónem[2] vestram: quia evangélium nostrum non fuit apud vos in sermóne tantum, sed[3] in virtúte et in Spíritu Sancto et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres mei facti estis et Dómini, excipiéntes verbum[4] in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus Sancti: ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia et in Acháia. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini, non solum in Macedónia et in Acháia, sed et in omni loco fides vestra quæ est ad Deum, [5]profécta[5] est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúnciant qualem intróitum habuérimus ad vos: et quómodo convérsi estis ad Dóminum a simulácris servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium ejus de cœlis quem suscitávit ex mórtuis, Jesum Christum Dóminum nostrum.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 6

In illo témpore, Factum est ut intráret Jesus in synagógam et docéret. Et erat ibi homo, et manus ejus déxtera erat árida. Observábant autem scribæ et Pharisæi si [6]in[6] sábbato curáret: ut invenírent unde accusárent illum. Ipse vero sciébat cogitatiónes eórum: et ait hómini qui habébat manum áridam; Surge, et sta in médio. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus; Intérrogo vos, si licet [7]sábbatis[7] benefácere an male: ánimam salvam fácere an pérdere? Et circumspéctis ómnibus dixit hómini; Exténde manum tuam. Et exténdit: et restitúta est manus ejus. Ipsi autem repléti sunt insipiéntia, et colloquebántur ad ínvicem, quidnam fácerent de Jesu.

[1] dixerat.—92. 98.
[2] dilectionem.—4L. 13. 15. 57.
[3] et.—97. 26. V.
[4] Domini.—92. 97. 98.
[5] perfecta.—97. 4L. 26. 57.
[6] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[7] sabbato.—92. 97. 98. 4L. 57.

Dominica Vicesima secunda post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Ps. 129

SI iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit? quia apud te propitiátio est, Deus Israel.

Psalmus. De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Kýrie eléyson.

Oratio.

FAMÍLIAM tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi; ut a cunctis adversitátibus te protegénte sit líbera, et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

Ad Philippenses. c. 1

FRATRES, Confídimus in Dómino Jesu, Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut enim est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis: eo quod hábeam vos in corde et in vínculis meis, et in defensióne et confirmatióne evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam vos omnes esse[1] in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in omni sciéntia et in omni sensu: ut probétis potióra, ut sitis sinceres et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam et laudem Dei.

Gradale. Ps. 132 Ecce quam bonum et quam jocúndum: habitáre fratres in unum.

℣. Sicut unguéntum in cápite: quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Alius versus. Ps. 132 Mandávit Dóminus benedictiónem: et vitam usque in sæculum.

Isti duo Versus dicuntur alternis vicibus per hebdomadam, quoties de feria agitur. Et si nulla feria per hanc hebdomadam ad hoc vacaverit, tunc secundus Versus omnino prætermittatur.

Alleluya. ℣. Ps. 146 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum.[2]

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Matthæum. c. 18

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et cum cœpísset ratiónem pónere, oblátus est ei unus qui debébat ei decem míllia talénta. Cum autem non habéret unde rédderet, jussit eum dóminus ejus venúndari et uxórem ejus et fílios et ómnia quæ habébat, et reddi. Prócidens autem servus ille, rogábat eum dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Misértus autem dóminus servi illíus dimísit eum, et débitum dimísit ei. Egréssus autem servus ille invénit unum de consérvis suis qui debébat ei centum denários; et tenens suffocábat eum, dicens: Redde quod debes. Et prócidens consérvus ejus, rogábat eum dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Ille autem nóluit: sed ábiit, et misit eum in cárcerem, donec rédderet débitum. Vidéntes autem consérvi ejus quæ fiébant, contristáti sunt valde: et venérunt, et narravérunt dómino suo ómnia quæ facta fúerant. Tunc vocávit illum dó-

[1] non habent 92. 98. 4L. 57.

[2] ita 13. 15. 26. Alleluya. ℣. Qui etc. Alius ℣. Mandavit etc. Isti duo etc.—92. 98. Alius Versus. Mandavit etc. Alleluya. ℣. Qui etc. Isti duo etc.—94. 97. Grad.

minus suus et ait illi: Serve nequam, omne débitum dimísi tibi quóniam rogásti me: nonne ergo opórtuit et te miseréri consérvi tui, sicut et ego tui misértus sum? Et irátus dóminus ejus trádidit eum tortóribus, quoadúsque rédderet univérsum débitum. Sic et Pater meus cœléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris.

Offertorium. Hester 14 Recordáre mei, Dómine, omni potentátui dóminans: da sermónem rectum [1]et benesonántem[1] in os meum: ut pláceant verba mea in conspéctu príncipum.

Secreta.

SÚSCIPE, Dómine, propítius hóstias quibus et te placári voluísti, et nobis salútem poténti pietáti [2]restítui.[2] Per.

Communio. Luc. 15 Dico vobis, gáudium est ángelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Postcommunio.

IMMORTALITÁTIS alimóniam consecúti, quæsumus, Dómine, ut quod ore percépimus, [3]pura[3] mente sectémur. Per.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 3

FRATRES, Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et Prophetis. Justitia autem Dei per finem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, et egent [4]gloria[4] Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi.

Secundum Marcum. c. 11

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen dico vobis, quia si quis díxerit huic monti: Tóllere, et míttere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit quia quodcúmque díxerit fiat, fiet ei. [5]Proptérea[5] dico vobis, ómnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et evénient vobis. Et cum stábitis ad orándum, dimíttite si quid habétis advérsus áliquem: ut et Pater vester qui in cœlis est dimíttat vobis peccáta vestra. Quod si vos non dimiséritis: nec Pater vester qui in cœlis est, dimíttet vobis peccáta vestra.

[1] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.
[2] restitue.—92. 94. 98.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] gratia.—92. 98. gloriam.—4L. 15.
[5] propter quod.—92. 97. 98. 57.

Dominica Vicesima tertia post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Hier. 29

DICIT Dóminus, ego cogitatiónes pacis et non afflictiónis: invocábitis me: et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Ps. 84 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.

Oratio.

DEUS, refúgium nostrum et virtus: adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis; et præsta ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Ad Philippenses. c. 3 et 4

FRATRES, Imitatóres mei estóte, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus: quorum Deus venter est: et glória in confusióne eórum qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est: unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem qua possit étiam subjícere sibi ómnia, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 43 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos qui nos odérunt confudísti.

℣. In Deo laudábimur tota die: et nómini tuo confitébimur in sæcula.

Allelúya. ℣. Ps. 147 Qui pósuit fines tuos pacem: et ádipe fruménti sátiat te.

Sequentia sancti Evangelii: Secundum Matthæum. c. 22

IN illo témpore, Abeúntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discípulos suos cum Herodiánis dicéntes; Magíster, scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, et non est tibi cura de áliquo: non enim réspicis persónam hóminum. Dic ergo nobis quid tibi vidétur; licet censum dari Cæsari, an non? Cógnita autem Jesus nequítia eórum, ait; Quid me tentátis, hypócritæ? Osténdite mihi numísma census. At illi obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jesus; Cujus est imágo hæc et superscríptio? Dicunt ei; Cæsaris. Tunc ait illis Jesus; Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.

Offertorium. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem[1] meam.

Secreta.

SACRIS nos, Domine, quæsumus, servitiis fac intentos: et ut sine ulla tibi offensionis macula famulemur, quales esse præcipis ipse nos perfice. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis et fiet vobis.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, sacri dona mystérii humíliter deprecántes; ut quæ in tui commemoratióne nos fácere præcepísti, in nostræ proficiant infirmitátis auxílium. Per Dóminum.

[1] orationem.—98.

Feria quarta.

Ad Romanos. c. 5

FRATRES, Si enim[1] unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem [2]mortis;[2] sic [3]et[3] per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius [4]obeditionem[4] justi constituuntur multi. Lex enim subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Matthæum. c. 17

IN illo tempore, Cum venisset Jesus et discipuli ejus [5] Capharnaum, accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei; Magister vester non solvit didragma? Ait; Etiam. Et cum intrasset domum, prævenit eum Jesus, dicens; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis? [6]Et ille dixit; Ab alienis.[6] Dixit illi Jesus; Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te.

Dominica Vicesima quarta post Trinitatem.

Ad Missam. Officium. Hier. 29

DICIT Dóminus, ego cógito cogitatiónes pacis et non afflictiónis: invocábitis me: et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Ps. 84 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.

Oratio.

ABSÓLVE, quæsumus, Dómine, tuórum delícta populórum; et a peccatórum nostrórum néxibus quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: Ad Colossenses. c. 1

FRATRES, Non cessámus pro vobis oránte et postulántes, ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intelléctu spirituáli: ut ambulétis [7]digni[7] Deo per ómnia placéntes; in omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntia Dei; in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis ejus; in omni patiéntia et longanimitáte cum gáudio, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 43 Liberásti nos, Dómine,

[1] sic 15. etc. in.—92. 94. 98. 4L. 8RM.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. 57. V.
[3] non habent 13. 26.
[4] obedientiam.—92. 98. 4L. 57.
[5] in.—13. 26.
[6] non habet 98.
[7] sic 26. etc. digne—4L. 55P. V.

ex affligéntibus nos: et eos qui nos odérunt confudísti.
℣. In Deo laudábimur tota die: et nómini tuo confitébimur in sæcula.
Allelúya. ℣. Ps. 7 Dómine Deus meus, in te sperávi, salvum me fac: ex ómnibus persequéntibus me et líbera me.

Secundum Matthæum. c. 9

In illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorávit eum, dicens; Dómine, fília mea modo defúncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam et vivet. Et surgens Jesus sequebátur eum, et discípuli ejus. Et ecce mulier, quæ sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéssit retro et tétigit fímbriam vestiménti ejus. Dicébat enim intra se: Si tetígero tantum vestiméntum ejus, salva ero. At Jesus convérsus, et videns eam, dixit; Confíde, fília, fides tua te salvam fecit. Et [1]salva facta[1] est múlier ex illa hora.

Offertorium. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Secreta.

Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio; et dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis, quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis et fiet vobis.

Postcommunio.

Sumentes, Domine, dona cœlestia, quæsumus, ut non nobis [2]provenire[2] ad judicium patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per.

Feria quarta.

Ad Corinthios. 1 c. 10

Fratres, [3]Nolo fieri vos socios[3] dæmoniorum:[4] non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra et plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc [5]immolatum[5] est [6]idolis:[6] nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? Si enim ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis sive bibitis vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.

Secundum Matthæum. c. 21

In illo tempore, Dixit Jesus turbis Judæorum; Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit; Fili, vade hodie, operari in vineam meam.

[1] salvata.—92. 98.
[2] pervenire.—94. 4L. 15. 57.
[3] nolo vos socios esse.—92. 98. nolo (autem V.) vos socios fieri.—97. 4L. V.
[4] quia.—92. 97. 98. 26.
[5] immolatitium.—92. 97. 98. 4L. 57.
[6] idoli.—92. 97. 98.

Ille autem respondens, ait; Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait; Eo, domine; et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt [1]ei:[1] Primus. Dicit illis Jesus; Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei. Venit enim ad vos Johannes in via justitiæ, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. Qui habet aures audiendi, audiat.

Dominica Proxima ante Adventum.

Ad Missam. Officium. Hier. 29

DICIT Dóminus, ego cógito cogitatiónes pacis et non afflictiónis: invocábitis me: et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis.

Ps. 84 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.[2]

Oratio.

EXCITA,[3] quæsumus, Dómine, tuórum fidélium voluntátes; ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes, pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ. c. 23

ECCE dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum: et regnabit rex et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: Vivit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed: Vivit Dominus qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis et de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc: et habitabunt in terra sua, dicit Dominus omnipotens.

Gradale. Ps. 43 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos qui nos óderunt confudísti.

℣. In Deo laudábimur tota die: et [4]nómini[4] tuo confitébimur in sæcula.

Allelúya. ℣. Ps. 101 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine: et omnes reges terræ glóriam tuam.

[5]Per Hebdomadam, quando de feria agitur dicitur istud

Allelúya. ℣. Ps. 113 In éxitu Israel de Ægýpto: domus Jacob de pópulo bárbaro.

vel

Allelúya. ℣. Ps. 137 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: et in conspéctu angelórum psallam coram te.[5]

Secundum Johannem. c. 6

IN illo témpore, Cum sublevásset óculos Jesus, et vidísset quia multitúdo maxima venit ad eum, dicit ad Philíppum; Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus. Respóndit ei Philíppus; Ducentórum denariórum panes non suffíciunt eis, ut unusquísque módicum quid accípiat. Dicit ei unus ex

[1] non habent 92. 97. 98.
[2] Gloria Patri.—4L. 13.
[3] exspecta.—92. 98. 4L. 57.
[4] in nomine.—97. 26.
[5] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.

discípulis ejus, Andreas frater Simónis Petri; Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeáceos et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus; Fácite hómines discúmbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuérunt ergo viri, número quasi quinque míllia. Accépit ergo Jesus panes: et cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus: simíliter et ex píscibus quantum volébant. Ut autem impléti sunt, dixit discípulis suis: Collígite quæ superavérunt fragménta, ne péreant. Collegérunt ergo et implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum ex quinque pánibus hordeáceis [1]et duóbus píscibus[1] quæ superfuérunt his qui manducáverant. Illi ergo hómines cum vidíssent quod fécerat signum, dicébant; Quia hic est vere prophéta, qui ventúrus est in mundum.

Offertorium. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi [2]vocem[2] meam.

Secreta.

SACRIFICIUM tibi, Domine, celebrandum placatus intende; quod et nos a vitiis nostræ conditionis emundet et tuo nomini reddat acceptos. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio.

ANIMÆ nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, divino munere satiatæ, hoc pascantur desiderio [3]ut a tuo Spiritu inflammati[3] ante conspectum venientis Christi Filii tui velut clara luminaria fulgeamus. Per eundem. In unitate ejusdem.

[1] non habent 92. 97. 98. V.
[2] orationem.—15.
[3] et a tuo Spiritu inflammentur ut.—94. 97. 26.
[4] Domini si vacaverit.—94. 97. Grad.
[5] aliqua feria.—92. 94. 98.

Cum prolixum fuerit tempus inter inceptionem historiæ Deus ómnium et Adventum Domini, Officium Dicit Dóminus per tres Dominicas cantetur, ut supra notatum est. Cum vero breve fuerit tempus, semper proxima Dominica ante Adventum, [4]quando de Dominica agitur,[4] cantetur Dicit Dóminus cum Oratione Excita quæsumus, Dómine, Epistola Ecce dies véniunt, Evangelium Cum sublevásset. Si vero Dominica non vacaverit, tunc in [5]feriis primo loco per hebdomadam[5] cantetur. Cæteræ vero Dominicæ quæ remanserint in ferialibus diebus cantentur.

Feria quarta Quatuor temporum mensis Septembris.

Ad Missam. Officium. Ps. 80

EXSULTÁTE Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob, súmite psalmum jocúndum cum cíthara: cánite inítium mensis tuba, quia præcéptum in Israel est: et judícium Deo Jacob.

Psalmus. Testimónium in Joseph pósuit illud: cum exíret de terra Ægypti.

Non dicitur ulterius.

Oratio sine Dóminus vobíscum, sed tantum cum Orémus.

Oratio.

MISERICÓRDIÆ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, fragílitas nostra subsístat; ut quæ sua conditióne attéritur, tua cleméntia reparétur. Per Dóminum.

Lectio Amos Prophetæ. c. 9

HÆC dicit Dóminus; Ecce dies véniunt, et comprehéndet arátor messórem,

et calcátor uvæ mitténtem semen: et stillábunt montes dulcédinem, et omnes colles culti erunt. Et convértam captivitátem pópuli mei Israel: et ædificábunt civitátes desértas, et habitábunt in eis: et plantábunt víneas, et bibent vinum eárum: et fácient hortos, et cómedent fructus eórum. Et plantábo eos super humum suam: et non evéllam eos ultra de terra sua quam dedi eis, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 33 Veníte, fílii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.

℣. Accédite ad eum et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

Non repetatur Gradale.

Hic dicitur Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, famíliæ tuæ supplicánti, ut dum a cibis corporálibus se ábstinent, a vítiis [1]quoque[1] mente jejúnent. Per Dóminum.

Hic dicuntur memoriæ consuetæ.

Lectio libri Esdræ. 2 Esdr. (Neem.) c. 8

IN diébus illis, Congregátus est omnis pópulus quasi vir unus, ad platéam quæ est ante portam aquárum: et dixérunt Esdræ scribæ, ut afférret librum legis Móysi quam præcépit Dóminus Israeli. Attulit autem Esdras sacérdos librum coram multitúdine virórum ac mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apérte in platéa quæ erat ante portam aquárum, a mane usque ad médiam diem, in conspéctu virórum ac mulíerum et sapiéntium: et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum: et stetérunt juxta eum. Et apéruit Esdras librum coram omni pópulo,[2] super univérsum quippe pópulum eminébat: et cum aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras[2] Dómino Deo voce magna: et respóndit omnis pópulus; Amen: elevántes autem omnes pópuli manus suas, incurváti sunt et adoravérunt [3]Deum[3] proni in terram. Porro Levítæ siléntium faciébant in pópulo ad audiéndam legem: pópulus autem stabat in gradu suo. Et legérunt in libro legis Dei distíncte et apérte ad intelligéndum: et intellexérunt cum legerétur. Dixit autem Neemías et Esdras sacérdos et scriba, et Levítæ interpretántes univérso pópulo; Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro, nolíte lugére et nolíte flere. Flebat enim omnis pópulus cum audíret verba legis. Et dixit eis; Ite et comédite pínguia, et bíbite mulsum, et míttite partes eis qui non præparavérunt sibi: quia sanctus dies Dómini est, et nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo vestra.

Gradale. Ps. 112 Quis sicut Dóminus Deos noster qui in altis hábitat: [4]et[4] humília réspicit in cœlo et in terra.

℣. Súscitans a terra ínopem: et de stércore érigens páuperem.

Repetatur Gradale.

Secundum Marcum. c. 9

IN illo témpore, Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum; Magíster, áttuli fílium meum ad te habéntem spíritum mutum: qui ubicúmque eum apprehénderit, allídit eum et spumat, et stridet déntibus et aréscit: et dixi discípulis tuis ut ejícerent illum, et non potuérunt. Qui

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] et benedixit.—92. 97. 98.
[3] non habent 92. 97. 98.
[4] non habet 92. Grad.

respóndens eis, dixit; O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? quámdiu vos pátiar? afférte illum ad me. Et attulérunt eum. Et cum vidísset eum, statim spíritus conturbávit eum: et elísus in terram, volutabátur spumans. Et interrogávit patrem ejus; Quantum témporis est ex quo ei hoc áccidit? At ille ait; Ab infántia. Et frequénter eum in ignem et in aquam misit, ut eum pérderet: sed si quid potes, ádjuva nos, misértus nostri. Jesus autem ait illi; Si potes crédere, ómnia possibília sunt credénti. Et contínuo exclámans pater pueri cum lácrymis aiébat; Credo, Dómine, ádjuva incredulitátem meam. Et cum vidéret Jesus concurréntem turbam, comminátus est spirítui immúndo, dicens illi; Surde et muto spíritus, ego tibi præcípio, exi ab eo, et ámplius ne intróeas in eum. Et clamans, et multum discérpens eum, éxiit ab eo; et factus est sicut mórtuus, ita ut multi dícerent: Quia mórtuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevávit eum, et surréxit. Et cum introísset in domum, discípuli ejus secréto interrogábant eum; Quare nos non potúimus ejícere eum? Et dixit illis; Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio.

Offertorium. Ps. 118 Meditábor in mandátis tuis quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua quæ diléxi.

Secreta.

DEUS, qui de his terræ fructibus tua sacramenta constare voluisti, præsta, quæsumus, ut per hæc opem nobis et præsentis vitæ conferas et æternæ. Per.

Communio. 2 Esdr. (Neem.) 8 Comédite pínguia et bíbite mulsum: et míttite partes eis qui non præparavérunt sibi: sanctus enim dies Dómini est, nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo vestra.

Postcommunio.

SUMÉNTES, Dómine, dona cœléstia, supplíciter deprecámur, ut quæ sédula servitúte donánte te gérimus, dignis sénsibus, tuo múnere capiámus. Per.

Feria sexta Quatuor temporum.

Ad Missam. Officium. Ps. 104

LÆTÉTUR cor quæréntium Dóminum: quærite Dóminum et confirmámini; quærite fáciem ejus semper.

Psalmus. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et corpóre tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

Lectio Osee Prophetæ. c. 14

HÆC dicit Dóminus; Convértere, Israel, ad Dóminum Deum tuum: [1]quia[1] corruísti in iniquitáte tua. Tóllite vobíscum verba, et convertímini ad Dóminum, et dícite ei; Omnem aufer iniquitátem, et áccipe bonum: et reddémus vítulos labiórum nostrórum. Assur non salvábit nos, super equum non ascendémus, neque dicémus mtra: Dii nostri ópera mánuum nostrárum: quia ejus qui in te est miseréberis pópuli. Sanábo contritiónes eórum, díligam eos spontánee: quia avérsus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, et Israel germinábit sicut lílium, et erúmpet radix ejus; ut Líbani [2]ibunt[2] rami ejus; et erit quasi olíva glória ejus: et odor ejus ut Líbani. Converténtur sedéntes in umbra

[1] quoniam.—97. 26. V.
[2] erunt.—13. 15.

ejus: vivent trítico, et germinábunt quasi vínea: memoriále ejus sicut vinum Líbani. Ego exáudiam et dírigam eum; ego ut abíetem viréntem: ex me fructus tuus invéntus est. Quis sápiens, et intélliget ista? intélligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Dómini, et justi ambulábunt in eis.

Gradale. Ps. 89 Convértere, Dómine, aliquántulum: et deprecáre super servos tuos.
℣. Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.
Repetatur Gradale.

Secundum Lucam. c. 7

In illo témpore, Rogábat Jesum quidam Pharisæus ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi discúbuit. Et ecce múlier quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accubuit in domo Pharisæi, áttulit alabástrum unguénti: et stans retro secus pedes Dómini lácrymis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Videns autem Pharisæus qui vocáverat eum, ait intra se dicens; Hic si esset prophéta, sciret útique quæ et qualis est múlier quæ tangit eum, quia peccátrix est. Et respóndens Jesus, dixit ad illum; Simon, hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait; Magíster, dic. Et respóndit ei Jesus; Duo debitóres erant cuidam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos et álius quinquagínta. Non habéntibus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eum plus díligit? Respóndens autem Simon dixit; Æstimo quia is cui plus donávit. At ille dixit ei; Recte judicásti. Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni; Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam; aquam pédibus meis non dedísti: hæc autem lácrymis rigávit pedes meos, et capíllis suis tersit. Osculum mihi non dedísti: hæc autem ex quo intrávit, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti: hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit, Dixit autem ad illam Dóminus; Remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt qui simul discumbébant, dícere intra se: Quis est hic qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem; Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Offertorium. Ps. 102 Bénedic, ánima mea, Dómino: et noli oblivísci omnes retributiónes ejus: et renovábitur sicut áquilæ juvéntus tua.

Secreta.

Accépta tibi sint, Dómine, quæsumus, nostri dona jejúnii, quæ nos et expiándo tua grátia dignos effíciant, et ad sempitérna promíssa perdúcant. Per.

Communio. Ps. 118 Aufer a me oppróbrium et contémptum: quia mandáta tua exquisívi, Dómine: nam et testimónia tua meditátio mea est.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, benefícia potióra sumámus. Per.

Sabbato Quatuor temporum

Ad Missam. Officium. Ps. 94

Veníte adorémus Deum, et procidámus ante Dóminum: plorémus ante eum qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster.

Psalmus. Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo salutári nostro.

Omnes Orationes, præter ultimam, dicuntur sine Dóminus vobíscum sed tantum cum Orémus.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem et corpóribus medéris et méntibus; majestátem tuam supplíciter exorámus, ut pia jejunántium deprecatióne placátus et præséntia nobis subsídia præbeas et futúra. Per.

Omnes Lectiones cum suis titulis legantur. [1]Discurrant Lectiones et Gradalia hinc inde ut supra in Quatuor temporibus Adventus Domini.[1]

Lectio libri Levitici. c. 23

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens; Décimo die mensis hujus séptimi, dies expiatiónum erit celebérrimus, et vocábitur sanctus: affligetísque ánimas vestras in eo, et offerétis holocáustum Dómino. Omne opus servíle non faciétis in témpore diéi hujus: quia dies expiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus Deus vester. Omnis ánima quæ afflícta non fúerit die hoc, períbit de pópulis suis: et quæ óperis quídpiam fécerit, delébo eam de pópulo suo. Nihil ergo óperis faciétis in eo: legítimum sempitérnum erit vobis in cunctis generatiónibus et habitatiónibus vestris. Sábbatum requietiónis est, affligetísque ánimas vestras. Die nono mensis hujus a véspere usque ad vésperum celebrábitis sábbata vestra, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum.
℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, [2]Dómine,[2] líbera nos.

Non repetatur Gradale.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, ut jejunándo tua grátia satiémur, et abstinéndo cunctis efficiámur hóstibus fortióres. Per Dóminum.

Lectio libri Levitici. c. 23

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens; Quintodécimo die mensis séptimi, quando congregavéritis omnes fructus terræ vestræ, celebrábitis férias Dómini septem diébus; die primo et die octávo erit sábbatum, id est réquies. Sumetísque vobis die primo fructus árboris pulchérrimæ, spatulásque palmárum, et ramos ligni densárum fróndium et sálices de torrénte, et lætabímini coram Dómino Deo vestro. Celebrabitísque solemnitátem ejus septem diébus per annum: legítimum sempitérnum erit vobis in [3]cunctis[3] generatiónibus vestris. Mense séptimo festa celebrábitis, et habitábitis in umbráculis septem diébus: omnis qui de génere Israel est, manébit in tabernáculis: ut discant pósteri vestri quod in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israel, cum edúcerem eos de terra Ægýpti. Ego Dóminus Deus vester.

Gradale. Ps. 83 Protéctor noster, áspice, Deus: et réspice super servos tuos.
℣. Dómine Deus virtútum: exáudi preces servórum tuórum.

Oratio.

DA, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis beneficiis gratulári supplíciter implorátis: et qui jejuniis te venerántur exhíbitis, bonórum tuórum cópiis impleántur. Per Dóminum.

[1] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.
[2] non habent 92. 98.
[3] non habent 92. 98. 4L. 57. V.

Lectio Michææ Prophetæ. c. 7

DÓMINE Deus noster, pasce pópulum tuum in virga tua, gregem hereditátis tuæ, [1]habitántes solos in saltu,[1] juxta dies antíquos. Vidébunt gentes, et confundéntur super omni fortitúdine sua. Quóniam quis Deus símilis tui, qui aufers iniquitátem, et transfers peccátum reliquiárum hereditátis tuæ? Non immíttet ultra furórem suum, quóniam volens misericórdiam est. Et revertétur, et miserébitur nostri: depónet omnes iniquitátes nostras, et projíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurásti pátribus nostris a diébus antíquis, Dómine Deus noster.

Gradale. Ps. 140 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum: sacrifícium vespertínum.

Oremus Oratio

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, sic nos ab épulis abstinére carnálibus, ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per Dóminum.

Lectio Zachariæ Prophetæ. c. 8

IN diébus illis, Factum est verbum Dómini ad me, dicens; Hæc dicit Dóminus Deus exercítuum: Sicut cogitávi ut afflígerem vos cum ad iracúndiam provocássent me patres vestri, et non sum misértus: sic convérsus cogitávi in diébus istis ut benefáciam Hierúsalem et dómui Judæ. Nolíte timére. Hæc sunt enim verba quæ faciétis. Loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo: veritátem et judícium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquísque malum contra amícum suum ne cogitétis in córdibus vestris: et juraméntum [2]mendax[2] ne diligátis: ómnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dóminus. Et factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dicens; Hæc dicit Dóminus exercítuum: [3]Jejúnium primi,[3] jejúnium quarti, jejúnium quinti, et jejúnium séptimi, et jejúnium décimi, erit dómui Judæ in gáudium et lætítiam, et in solemnitátes præcláras: veritátem tantum et pacem dilígite, [4]ait[4] Dóminus exercítuum.

Gradale. Ps. 27 Salvum fac pópulum tuum, Dómine: et bénedic hæreditáti tuæ. ℣. Ad te, Dómine, clamávi, Deus meus ne síleas a me: et ero símilis descendéntibus in lacum.

Orémus. Oratio.

UT [5]nobis,[5] Dómine, tríbuis solémne tibi deférre jejúnium, sic nobis, quæsumus, indulgéntiæ[6] præsta subsídium. Per Dóminum.

Lectio quinta Angelus Dómini tota legatur sicut in Sabbato Quatuor temporum in [7]hebdomada Pentecostes.[7] Duo clerici de secunda forma[8] in superpelliciis ad gradum chori [9]simul cantent[9] Tractum.

[1] habitantes solos in salutem.—15. habitantem in terra in salutem.—4L. 57. habitantes solos terram in saltu.—92. 97. 98.
[2] mendacii.—97. 98.
[3] non habent 92. 97. 98. 4L. 57. V.
[4] dicit.—92. 98. 4L 15. 57.
[5] nos.—92. 98. 4L. 57.
[6] tuæ.—94. 97.
[7] Adventu Domini.—Grad.
[8] scilicet Diaconi.—Grad.
[9] dicant.—92. 94. 98. 4L. 57. Grad. simul dicant sequentem.—15.

Tractus.
Omnipoténtem semper adórant.
Et benedicunt omne per ævum.
Chorus idem repetat.
Clerici ℣.
Astra polorum, cuncta hominum gens,
solque sororque, lumina cœli.
Chorus. Omnipotentem semper.
Clerici ℣.
Sic quoque lymphæ quæque supernæ,
ros pluviæque, spiritus omnis.
Chorus. Et benedicunt.
Clerici ℣.
Ignis et æstus, cauma geluque,
frigus et ardor, atque pruina.
Chorus. Omnipotentem.
Clerici ℣.
Nix, glaciesque, noxque diesque,
lux tenebræque, fulgura nubes.
Chorus. Et benedicunt.
Clerici ℣.
Arida, montes, germina, colles,
flumina, fontes, pontus et undæ.
Chorus. Omnipotentem.
Clerici ℣.
Omnia viva, quæ vehit æquor,
[1] [2]vegetat[2] aer terraque nutrit.
Chorus. Et benedicunt.
Clerici ℣.
Cuncta hominum gens, Israel ipse,
Christicolæque servuli quique.
Chorus. Omnipotentem.
Clerici ℣.
Sancti humilesque corde benigno,
tresque pusilli exsuperantes.
Chorus. Et benedicunt.
Clerici ℣.
Rite camini ignei flammas
jussa tyranni temnere prompti.

Chorus. Omnipotentem.
Clerici ℣.
Sit Genitori laus Genitoque:
lausque [3]beato[3] Flamini sacro.
Chorus. Et benedicunt.
Clerici reincipiant Tractum Omnipotentem. Et percantetur a choro.
Sequatur Dóminus vobíscum et Orémus.

Oratio.

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium, concéde, propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Hic dicuntur Memoriæ consuetæ.

Ad Hebræos. c. 9

Fratres, Tabernáculum factum est primum, in quo erant candelábra, et mensa, et propositio panum, quod dícitur sancta. Post velaménta autem, secúndum tabernáculum quod dícitur sancta sanctórum: habens áureum thuríbulum, et arcam testaménti circumtéctam ex omni parte auro, in qua [4]erat [4] urna áurea habens manna, et virga Aaron quæ frondúerat, et tábulæ testaménti, super quæ erant Chérubin glóriæ obumbrántia propitiatórium: de quibus non est modo dicéndum per síngula. His vero ita compósitis: in priori quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes, sacrificiórum offícia consummántes: in secúndo autem, semel in anno solus póntifex non sine sánguine, quem offérret pro sua et pópuli ignorántia: hoc significánte Spíritu Sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc priori tabernáculo habénte statum. Quæ parábola est témporis instántis: juxta quam múnera et hóstiæ offerúntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perféc-

[1] sic 15. etc. quæ.—92. 94. 98. 4L. 8RM. 57.
[2] ver.—92. 4L. 57.
[3] beata.—92. 94. 98. 4L. 15. 57.
[4] non habent 92. 97. 98. 4L.

tum fácere serviéntem. Solúmmodo in cibis et in pótibus et váriis baptismátibus et justítiis carnis, usque ad tempus correctiónis impósitis. Christus autem assístens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem, introívit semel in sancta, ætérna redemptióne invénta.

Duo clerici de secunda forma [1]in capis suis nigris ad gradum chori simul dicant [2]totum et integrum[2] Tractum. Ps. 116[1]

Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum omnes pópuli.

℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Secundum Lucam. c. 13

In illo témpore, Dicébat Jesus turbis similitúdinem hanc; Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invénit. Dicit autem ad cultórem víneæ; Ecce anni tres sunt ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, et non invénio: succíde ergo illam: ut quid étiam terram óccupat? At ille respóndens, ait illi; Dómine, dimítte illam et hoc anno, usque dum fódiam circa illam, et mittam stércora: et siquidem fécerit fructum: sin autem, in futúrum succídes eam. Erat autem docens in synagóga eórum sábbatis. Et ecce múlier quæ habébat spíritum infirmitátis annis decem et octo: et erat inclináta, nec póterat omníno sursum respícere. Quam cum vidéret [3]Jesus,[3] vocávit eam ad se, et ait illi; Múlier, dimíssa es ab infirmitáte tua. Et impósuit illi manus, et conféstim erécta est, et glorificábat Deum. Respóndens autem archisynagógus, indígnans quia sábbato curásset Jesus, dicébat turbæ; Sex dies sunt, in quibus opórtet operári: in his ergo veníte et curámini, et non in die sábbati. Respóndit autem ad illum Dóminus et dixit; Hypócritæ, unusquísque vestrum sábbato non solvit bovem suum aut ásinum a præsépio, et ducit adaquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ quam alligávit Sátanas, ecce decem et octo annis, non opórtuit solvi a vínculo isto die sábbati? Et cum hæc díceret, erubescébant omnes adversárii ejus: et omnis pópulus gaudébat in univérsis, quæ glorióse fiébant ab eo.

Offertorium. Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Secreta.

Quæsumus, Domine, nostris placare muneribus et jejuniis, quoniam tu eadem tribuis ut placeris. Per.

Communio. Lev. 23 Mense séptimo festa celebrábitis, cum in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israel: cum eduxerim eos de terra Ægýpti, ego Dóminus Deus vester.

Postcommunio.

Perfíciant in nobis, Dómine, quæsumus, tua sacraménta quod cóntinent; ut quæ nunc spécie gérimus, [4]certa[4] rerum veritáte capiámus. Per Dóminum.

[1] scilicet subdiaconi in capis nigris ad gradum chori stantes cantent integrum istum Tractum.—Grad.
[2] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[3] Dominus.—92. 97. 98.
[4] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.

In die Dedicationis Ecclesiæ.

Ad Missam: Officium. Gen. 28

TERRÍBILIS est locus iste: hic domus Dei est: et porta cœli: et vocábitur aula Dei.

In tempore Paschali, Allelúya.

Ps. 92 Dóminus regnávit, decorem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem et præcínxit se.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui et præsta, ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per.

Lectio libri Apocalypseos beati Johannis Apostoli. c. 21

IN diébus illis, Ego Johánnes vidi civitátem sanctam Hierúsalem novam descendéntem de cœlo, a Deo parátam, sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus: et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

Gradale. Locus iste a Deo factus est inæstimábile sacraméntum: irreprehensíbilis est.

℣. Deus, cui adstat angelórum chorus: exáudi preces servórum tuórum.

Allelúya. ℣. Ps. 137 Adorábo ad templum sanctum tuum: et confitébor nómini tuo.

[1]Hæc duo Allelúya sequentia dicuntur alternis vicibus per Octavas, nisi in Dominica et in Octava Die.[1]

Allelúya. ℣. O quam metuendus et venerandus est locus iste: vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.

Alleluya. ℣. Fundata est domus Domini super verticem montium: et exaltata est super omnes colles.

Licet in Quadragesima hoc festum evenerit, dicitur ista Sequentia.

HIERUSALEM et Sion filiæ,
cœtus omnis fidei curiæ,
melos pangat jugis lætitiæ,
alleluya.
Christus enim desponsat hodie
matrem nostram norma justitiæ,
quam de lacu traxit miseriæ,
ecclesiam.
In Spiritus Sancti clementia
sponsa Sponsi lætatur gratia,
a reginis laudis cum gloria
felix dicta.
Dos ut datur crescit lætitia,
quæ dos [2]quanta[2] triplex potentia,
tangens cœlum, terras et stygia,
justitia.
Mira loquor sed sana credere
[3]fœderatam[3] tam largo munere
de proprio produxit latere
Deus homo.
Formaretur ut sic Ecclesia
figuravit in pari gloria,
Adæ costis formata fœmina,
hostis Eva.

[1] Per Octavas et in Dominica dicuntur altematim hæc duo.—Grad.
[2] cantat.—94. 97.
[3] fœderata.—97. 26.

Eva fuit noverca posteris:
hæc est mater electi generis,
vitæ portus, asylum miseris,
et tutela.
Pulchra, potens, partu mirabilis,
ut luna sol fulget spectabilis,
plus acie multo terribilis
ordinata.
Multiplex est singularis una,
generalis et individua,
omnis [1]ævi[1] sexus simul una
parit turmas.
Hæc signata Jordanis fluctibus;
hæc quæ venit e terræ finibus,
scientiam audire cominus
Salomonis.
Sic typicis descripta sensibus,
nuptiarum induta vestibus
cœli [2]præstet[2] hodie civibus
Christo juncta.
O solemnis festum lætitiæ,
quo unitur Christus Ecclesiæ,
in qua nostræ salutis nuptiæ
celebrantur.
Cœtus felix, dulce convivium,
lapsis ibi datur solatium,
desperatis offertur spatium
respirandi.
Justis inde solvuntur præmia,
angelorum novantur gaudia,
[3]lata[3] nimis quod facit gratia
caritatis.
Ab æterno fons sapientiæ
intuitu solius gratiæ
sic prævidit in rerum serie
hæc futura.
Christus ergo nos suis nuptiis
recreatos veris [4]divitiis[4]
interesse faciat sociis
electorum.

Infra Septuagesimam usque ad Caput jejunii in Octavis tantum hujus festi dicitur sequens Tractus. Ps. 83

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.
℣. Cor meum et caro mea: exsultavérunt in Deum vivum.
℣. Etenim passer invénit sibi domum: et turtur nidum sibi ubi reponat pullos suos.
℣. Altária tua, Dómine virtútum: rex meus et Deus meus.
℣. Beáti qui hábitant in domo tua: in ætérnum laudábunt te, Dómine.

In Paschali tempore erit secundum Allelúya de Resurrectione quotidie per Octavas, et in octava et etiam in prima die.

Secundum Lucam. c. 19

In illo témpore, Egréssus Jesus perambulábat Hiéricho. Et ecce vir nómine Zachæus, et hic erat princeps publicanórum, et ipse dives: et quærébat vidére Jesum quis esset: et non póterat præ turba, quia statúra pusíllus erat. Et præcúrrens ascéndit in árborem sychomórum ut vidéret eum: quia inde erat transitúrus. Et cum venísset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum; Zachæe, festínans descénde: quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et festínans descéndit, et excépit illum gaudens. Et cum vidérent omnes, murmurábant dicéntes, quod ad hóminem peccatórem divertísset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dóminum; Ecce dimídium bonórum meórum, Dómi-

[1] tui.—97. 26. cui.—57. enim.—Grad.
[2] præest.—94. 97. 26.
[3] læta.—94. 4L. Grad.
[4] deliciis.—94. 97. 26.
[1] non habent 92. 98.

ne, do paupéribus: et si [1]quid[1] áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Ait Jesus ad eum; Quia hódie salus dómui huic facta est: eo quod et ipse fílius sit Abrahæ. Venit enim fílius Hóminis quærere et salvum fácere quod perírat.

Offertorium. 1 Paral. 29 Dómine Deus,[2] in simplicitáte cordis mei lætus obtuli univérsa: et [3]pópulum tuum qui repértus est vidi[3] cum ingénti gáudio; Deus Israel, custódi hanc voluntátem.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

ANNUE, quæsumus, Dómine, précibus nostris; ut quicúnque intra templi hujus cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus ámbitum continémur, plena tibi atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus; ut dum hæc præséntia vota réddimus, ad ætérna præmia, te adjuvánte, perveníre mereámur. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Matth. 21 Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus; in ea omnis qui petit áccipit, et qui quærit invénit, et pulsánti aperiétur.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, ut quæ habebat gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine dignitatem; da ut omnis hæc plebs tuo nomini serviens, hujus vocabuli consortio digna inveniatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Si hoc festum a Septuagesima usque ad Pascha contigerit, dicitur in fine missæ Benedicámus Dómino. Si autem alio tempore anni, finiatur cum Ite missa est. Per totas Octavas dicitur eadem missa de Dedicatione, quandocunque hoc festum (scilicet ab Octavis Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, et ab Octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, vel a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini) contigerit, nisi festum novem lectionum intercurrat; sed sine Sequentia et Credo. Tamen in Dominica dicitur ista Sequentia.

LÆTABUNDUS
exsultet fidelis chorus
cœli curiæ,
Cum jocundus
ornatur reginæ [4]thorus[4]
regi gloriæ.
In tali connubio
nubit lappa lilio
soli stella.
Cum miro consortio
animæ fit unio
Dei cella.
Celebrantur hodie
Christi et Ecclesiæ
castæ nuptiæ.
Sicut jungit Spiritum
homo Deo subditum
jugo gratiæ.
In hoc [5]matrimonio[5]
caro Dei Filio
nupsit nobili,
Ipse vero Filius
summus et eximius
cessit humili.
Ima summus petiit,
et sponsam expetiit

[2] meus.—13. 26.
[3] populum tuum qui hic repertus est vidi.—Vulg. populus tuus qui repertus est vidit.—94. 97. Grad.
[4] chorus.—98. 13. Grad.
[5] patrocinio.—92. 94. 98. 4L. 57.

quam de nigra gestiit
candidare.
Fecit quod disposuit
quia fœdam potuit
quando sibi placuit
emundare.
Ancilla propera,
Ut fias libera;
Cum viro regnans sceptrigera
Sponsum considera;
Quem velat litera
Ipsum revelat fides vera.

Secundum Lucam. c. 6[1]

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos: ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum et posuit fundamentum supra petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere: fundata enim erat supra firmam petram.

Credo.

In Octavis Dedicationis Ecclesiæ

omnia fiant sicut in prima die cum hæc Sequentia.

Quam dilecta tabernacula Domini virtutum et atria
Quam electi architecti tuta ædificia,
Quæ non movent, immo fovent,
ventus, flumen, pluvia.
Quam decora fundamenta
per concinna sacramenta
umbræ præcurrentia.
Latus Adæ dormientis
Evam fudit immanentis
copulæ primordia.
[2]Arcam ligno fabricatam
Noe servat gubernatam[2]
per mundi diluvium.
Prolem sera tandem fœta
anus Sara ridet læta
nostrum lactans gaudium.
In bivio tegens nuda
geminos parit ex Juda
Thamar diu vidua.
Sic Moyses a puella,
dum se lavit, in fiscella
reperitur scirpea.
Hic mas agnus immolatur
quo Israel satiatur
ejus tinctus sanguine.
Hinc venit austri regina
Salomonis [3]qua[3] divina
condit sapientia.
Hæc est nigra sed formosa,
myrrha et thure fumosa,
virga pigmentaria.
Sic futura quæ figura
obumbravit, reseravit
nobis dies gratiæ.
Jam in lecto cum dilecto
quiescamus et psallamus,
adsunt enim nuptiæ,
Quarum tonat initium
in tubis epulantium
et finis per psalterium.
Sponsum millena millia
una laudant melodia
sine fine dicentia,
alleluya, alleluya.

Secundum Johannem. c. 10

In illo témpore, Facta sunt Encænia in Hierosólymis: et hiems erat; et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, et dicébant ei; Quoúsque ánimam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis

[1] tantum dominica infra Octavas.—Grad.
[2] arca ligno fabricata, Noe servat gubernata.—94. servans.—4L. 57. Grad.
[3] ita 26. etc. quam.—94. 34. 55P. Grad.

palam. Respóndit eis Jesus; Loquor vobis, et non créditis: opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt: et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis: et non períbunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus ómnibus est: et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.

Non dicitur Credo nisi Dominica fuerit. Si hoc festum a Capite jejunii, usque ad Cœnam Domini contigerit, nihil fiat de festo nisi tantum in prima die, præter memoriam infra Octavas et in Octavis.

In Consecratione Ecclesiæ.

Ad Missam: Officium. Gen. 28

TERRÍBILIS est locus iste, hic domus Dei est et porta cœli, et vocábitur aula Dei.

In tempore Paschali, Allelúya.

Ps. 92 Dóminus regnávit; decorem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem et præcínxit se.

Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui sacrandorum tibi auctor es munerum; effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per.

Epistola. [1]Ego Johannes[1] vidi civitatem, ut supra in die Dedicationis.

Gradale. Locus iste a Deo factus est inæstimábile sacraméntum: irreprehensíbilis est.

℣. Deus cui adstat angelórum chorus: exáudi preces servórum tuórum.

Allelúya. ℣. Ps. 137 Adorábo ad templum sanctum tuum: et confitébor nómini tuo.

Sequentia Quam dilecta, ut supra in Octavis Dedicationis.

Evangelium, Egréssus Jesus perambulábat, ut supra in die Dedicationis.

Offertorium. 1 Paral. 29 Domine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus obtuli univérsa: et pópulum tuum qui repértus est vidi cum ingénti gáudio: Deus Israel, custódi hanc voluntátem.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

DEUS, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis et totus operaris; accepta sacrificium nomini tuo benignus oblatum; et hujus domus cujus es fundator, esto protector; ut in virtute Spiritus Sancti fiat [2]hic[2] semper servientium, etiam tibi devota libertas. Per. In unitate ejusdem.

Communio. Matth. 21 Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis qui petit áccipit: et qui quærit invénit, et pulsánti aperiétur.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SACRAMENTIS, Domine, refecti salutaribus, gratias tibi referimus; reple, quæsumus, hoc templum tuæ gloria majestatis; ut in honorem nominis tui, fiat populo tuo domus orationis. Per.

[1] non habent 92. 98.
[2] non habent 13. 15. 26.

In Reconciliatione Ecclesiæ.

Ad Missam: Officium. Ezech. 36

DUM sanctificátus fúero in vobis, congregábo vos de univérsis terris: et effúndam super vos aquam mundam: et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et dabo vobis spíritum novum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Ps. 33 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Oratio.

DEUS, qui dixisti Domus mea domus orationis vocabitur, domum istam gentium spurcitiis contaminatam mundare et sanctificare digneris; ut omnium preces et vota in loco hoc ad te clamantium clementer exaudias et benigne perficias. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Epistola, Ego Johannes, sicut in die Dedicationis.

Gradale. Ps. 95 Tóllite hóstias et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

℣. Ps. 28 Revelávit Dóminus condénsa: et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Allelúya. ℣. Ps. 104 Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annunciáte inter gentes ópera ejus.

Secundum Lucam. c. 6

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Non est arbor bona quæ facit fructus malos; neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid enim vocatis me, Domine, Domine: et non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me et audit sermones meos et facit eos: ostendam vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum et posuit fundamentum supra petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere: fundata enim erat supra firmam petram.

Offertorium. Dan. 9 Orávi Deum meum ego Dániel dicens, exáudi, Dómine, preces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum, et propítius intende pópulum istum super quem invocátum est nomen tuum, Deus.

Et finiatur in Tractu præcedente cum Allelúya, allelúya.

Secreta.

HÆC hostia, quæsumus, Domine, et locum istum ab immunditiis iniquorum (vel patratæ offensionis) expurget; et supplicationes nostras hic et ubique tibi reddat acceptas. Per Dominum.

Communio. Ps. 50 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocáusta: super altáre tuum, Dómine.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PERCIPIENTES, Domine, munera salutis æternæ, te supplices exoramus, ut templum hoc (vel cœmeterium) a barbarorum (vel iniquorum) inquinamentis emundatum, tua benedictione maneat sanctificatum, et pectora nostra ab omni sorde vitiorum aliena, tibi semper assistant devota. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Finit Temporale.

Oratio præambula ad canonicum servitium septem horarum.

Septies in hac die laudem dicam tibi, Domine, memor operum tuorum magnorum nimis et mirabilium quibus universa septem diebus ab initio condidisti; memor præterea septiformis gratiæ tui Sancti Spiritus, cujus in singulis septem horis canonicis, quas ego indignus sacro et regulari instituto tuæ Ecclesiæ ad laudem tui sancti nominis coram te hodie dicere propono. Singula mihi, obsecro, dona gratiarum largiri dignare, quatenus illo tuo beatissimo Spiritu septemque suis muneribus abunde repletus, et velut columnis septem, quas in domus suæ ædificationem sapientia excidit, suffultus, per circulum septem feriarum quibus in orbem repetitis tempora volvuntur, perque decursum septem ætatum quibus assidue mortalis infirmitas ad mortem procedit: ita tibi placere merear, ut per laboriosum mystici septenarii in septem virtutum operatione exercitium septem mortifera peccata, quæ sunt septem dæmonia ab illa evangelica Maria per Christum ejecta, vitare valeam; septemque nequiores spiritus quos ille fortis armatus ad hominum subversionem secum assumit, superare tandemque ad triumphalem octonarium beatitudinum post peractam præsentis vitæ militiam perduci. Rogo autem tuam clementissimam pietatem, ut dum canonicas has horas laudi tuæ majestatis exsolvo, cordi meo semper digneris assistere, linguam meam gubernare, ut apte, integre, perfecte, tractim et distincte verba pronuntiet, mentem a vagis ac volatilibus cogitationibus expedire, ad teque, dum tecum loquitur, indesinenter attentam efficere, ne dum per rerum imagines a te qui secreto conscientiæ delectaris foris egrediendo discedit, etiam te a se merito discessisse misera defleat. Accipe igitur ex ore meo sacrificium laudis salutare, quod te honorificet, meque hostiam vivam, sanctam, probatam, tibi placitam, coram te offerat: et diffunde gratiam tuam in labiis meis ut de corde bono eructare verbum bonum, et propter gratiam labiorum te regem amicum habeam, dumque in voce exsultationis et confessionis os meum aperiam, tua illud benedictione implere digneris.
Amen.[1]

Sequuntur Orationes in missis dicendæ pro bono felici ac prospero statu Christianissimi atque excellentissimi regis nostri Henrici septimi.

Quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut rex noster Henricus septimus qui tua miseratione regni suscepit gubernacula, virtutum omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum voraginem devitare, corporis incolumitate gaudere, hostes superare, et in tranquilla pace dum in humanis aget tam feliciter possit sua tempora pertransire, ut post hujus vitæ decursum ad te qui via, veritas, et vita es, gratiosus valeat pervenire.

Secreta.

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica, ut nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et famulo tuo Henrico septimo regi nostro obtinendum

[1] ex 19PO. desumitur.

animæ corporisque salutem: et ad peragendum in firma fide et solida pace injunctum sibi officium te largiente usquequaque proficiant.

Postcommunio.

HÆC, quæsumus, Domine, salutaris sacramenti perceptio famulum tuum Henricum septimum regem nostrum ab omnibus tueatur adversis, quatenus diuturnam et prosperam vitam in tranquillitate Ecclesiasticæ pacis obtineat; et post hujus vitæ decursum ad æternam beatitudinem tua gratia cooperante perveniat.[1]

Instructio sacerdotum vel Speculum Sacerdotum missam celebrare volentium.

Primo ante missam habenda sunt tria,
Intentionis discussio,
Generalis contritio,
Et pura confessio.

Intentionis discussio
Ne propter vanam gloriam celebret,
Ne propter verecundiam celebret,
Ne propter alicujus personæ favorem celebret,
Ne propter lucrum temporale celebret,
Ne propter consuetudinem celebret.

Generalis contritio
De omissis bonis quæ facere debuit.
Et de commissis corde verbo et opere.

Pura confessio
Notabilium criminum notorum et ignotorum.

In missa sit
Diligens circa locum:
id est ut recipere possit utrumque.
Diligentior circa calicem:
ne sit fractus vel reparatus.
Diligentissimus circa materiam:
ne hostia sit corrupta, vinum acetosum, aut desit aqua.

In canone sit diligentia
Magna in signis, ut humiliter faciat.
Major in verbis, ut veraciter dicat.
Maxima in intentione, ut firma fide consecrare intendat.

In consecratione habeat
Diligentiam ad conficiendum corpus Christi,
Reverentiam ad tangendum corpus Christi,
Devotionem ad sumendum corpus Christi.

In tangendo corpus Christi sit reverentia
Magna propter continentiam tam excellentis corporis Christi.
Major propter continentiam tam excellentis animæ Christi.
Maxima propter continentiam tam excellentis divinitatis Christi.

Quid in consecrando intendit facere.
Deum per lacrimas colere.
Mortem Christi memorare.
Totam ecclesiam adunare.

Quid in consecrando intendit consequi.
Augmentum dilectionis.
Inseparabilitatem unionis.
Accelerationem fruitionis.

Sit humilis oratio in primo, et in secundo memento,

[1] ex 8V. desumitur.

Ne tam indignus minister
indigne recipiat
tam dignissimum mysterium.
Ne tam indevotus presbyter
tam justissimum judicem flectat
in suum judicium.
Ne tam immundus hospes
tam excellentissimum hospitem
a se repellat
fetore criminum.
Et ut eum Dominus
piissimus participem faciat
electorum sacerdotum.

In primo memento pro se et pro vivis oret,

Ut sint participes
tanti mysterii.
Auditores habiles
missarum beneficii.
Contemptores humiles
vanitatum mundi.
Satisfactores stabiles
defectus proprii.
Et sectatores vigiles
divini beneficii.

In secundo memento pro defunctis oret,

Ut per suavissimum mysterium
habeant continuum subsidium.
Ut per preces ecclesiæ fidelium,
habeant suave a pœnis refrigerium.
Ut per hoc nostrum divinum viaticum
habeant secum reditum ac sanctorum
consortium.

Post missam sit summa gratiarum actio,

De tanto pane suavissimo angelorum
creatore creaturarum recepto.
De tanto cibo perpetuo omnium sanctorum
creatore creaturarum recepto.
De tanto viatico proficuo Christi electorum
creatore creaturarum recepto.

Bernardus dicit,

O sacerdos, corpus tuum quotidie
efficitur sepulchrum Christi.
Quomodo ex ore tuo progreditur falsitas:
per quod ingreditur Veritas?
Quomodo oculi tui vident vanitatem: qui
quotidie aspiciunt Veritatem?
Quomodo manus tuæ extendantur ad illicita: quæ tenent Tenentem omnia?
Quomodo te reples et ingurgitas vino:
qui debes esse plenus Deo?[1]

Oratio beatissimi Augustini dicenda per sacerdotem ante Missam pro devotione sua.

Summe sacérdos et vere póntifex Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram et immaculátam in ara crucis pro nobis míseris peccatóribus; qui dedísti carnem tuam ad manducándum, et sánguinem tuum ad bibéndum; et posuísti istud mystérium in virtúte Spíritus Sancti, dicens; Hæc quotiescúnque fecéritis, in mei memóriam faciétis: ego vero, memor hujus venerándæ passiónis, confugio et accédo ad altáre tuum, sicut peccator indignus, ut ófferam tibi sacrifícium quod tu ipse instituísti, et offérri præcepísti in commemoratióne tua pro salúte nostra. In quo quidem caro tua in veritáte súmitur, sanguis tuus in veritáte bíbitur; ima summis, divina humanis conjunguntur. Sed quis digne hoc celebráre potest, nisi tu, Deus omnípotens, offeréntem féceris dignum? Certe scio et idípsum boni-

[1] ex 15. desumitur.

táti tuæ confíteor, quod non sum dignus accédere ad tantum mystérium propter nímia peccáta mea et negligéntias meas infínitas. Sed scio et veráciter credo, totoque corde et ore confíteor quia tu potens es me fácere dignum, qui solus de indignis dignos, de immúndis mundos, de peccatóribus justos facis et sanctos. Per hanc igitur omnipoténtiam tuam et inenarrabilem caritatem implorando clementiam tuam te rogo, ut mihi peccatori, quem inter cætera dona ad officium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ, concedere digneris hoc cœleste sacrificium celebrare, ac tantum tractare mysterium ea reverentia et honore devotione et timore ac cordis puritate quibus decet, de ipsoque credere, intelligere, sentire, firmiter retinere, dicere et cogitare quod tibi placet et expedit animæ meæ: ita ut placide ac benigne suscipias de manibus meis ad salutem mei et omnium tam vivorum quam defunctorum. Qui vivis et regnas.[1]

Oratio sancti Augustini dicenda a sacerdote in missa dum canitur Officium et Kýrie et Glória in excélsis et Credo in unum: vel tota dicitur ante Missam, quod melius est.

(E Missali MS dato Ecclesiæ de Brommisgrove A. D. Mcccccxi a domino Priore ecc. cath. Wigorniæ.

Et ut plenius habetur in Ordine Missæ a J. Burckard in Missali Romano. Venet. MDXXV.)

Summe sacérdos et vere póntifex, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam vivam, puram, et immaculátam in ara crucis pro nobis míseris peccatóribus. Quique dedísti nobis carnem tuam ad manducándum et sánguinem tuum ad bibéndum; et posuísti mystérium illud in virtúte Spíritus Sancti, dicens, Hoc quotiescúnque fecéritis in mei memóriam faciétis; rogo te per sánguinem tuum pretiósum, magnum salútis nostræ prétium, rogo te étiam per hanc miram et inenarrabilem caritátem qua nos míseros et indígnos sic amáre dignátus es, ut laváres nos a peccátis nostris sánguine tuo. Doce me indígnum servum tuum, quem inter cætera dona tua étiam ad officium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis sed sola misericórdiæ tuæ dignatióne; doce me, quæso, per Spíritum Sanctum tuum tantum tractáre mystérium ea reveréntia et honóre, ea devotióne et timóre, quibus opórtet et decet. Fac me, quæso, per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere et intellígere, sentíre, fírmiter tenére, dícere et cogitáre, quod tibi placet et expédit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur veritátem tantorum mysteriórum; profúnda sunt quippe nimis et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi Missárum solémnia puro corde et munda mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me, quæso, beatórum angelórum pia et fida tutéla atque fortíssima custódia, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti

[1] ex 12.

angeli tui repélle a me et a cunctis servis tuis[1] spurcissimum et nefandissimum spíritum inanis gloriæ, iracundiæ, fornicatiónis, supérbiæ et cenodóxiæ, invídiæ, avaritias, blasphémiæ et immunditiæ, dubietátis et diffidentiæ, ut tantum sacrificium cum omni puritate valeam tibi offerre.[1] Confundántur qui me persequúntur. Péreant illi qui pérdere cuncta bona festínant. Rex vírginum, Deus amátor castitátis et integritátis, cœléstis rore benedictiónis tuæ extíngue in córpore meo totum fómitem ardéntis libídinis, ut máneat in me tenor totíus castitátis et integritátis ánimæ et córporis. Mortífica in membris meis carnis stímulos, omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram et perpétuam castitátis sanctimoniam, cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritáte, ut sacrifícium laudis tuæ casto córpore et mundo corde quotídie váleam tibi offére. Quanta enim cordis contritióne et lacrymárum fonte, quanta reveréntia, timóre, et tremóre, quanta córporis castitáte et ánimæ puritáte, illud divínum et cœleste sacrifícium est celebrándum, Dómine Deus meus, ubi caro tua in veritáte súmitur, et sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis jungúntur, ubi adest sanctórum angelórum præséntia, ubi tu es sacérdos mirabíliter et ineffabíliter.

Quis digne hoc celebráre potest, nisi tu, omnípotens Deus, offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, ac idípsum bonitáti tuæ confíteor, quod non sum dignus accédere ad tantum mystérium propter nímia peccáta mea, et infínitas negligéntias meas. Sed scio veráciter, et credo ex toto corde meo, et ore confíteor, quia tu me potes dignum fácere, qui solus [2]potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine,[2] et de peccatóribus justos facis et sanctos.

Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, concéde mihi peccatóri hoc cœleste sacrifícium celebráre, cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrymárum fonte, cum spirituali lætítia et gáudio cœlésti. Séntiat mens mea, Dómine, dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, et excúbias sanctórum angelórum tuórum in circúitu meo. Ego enim memor venerándæ passiónis tuæ accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam de donis tuis sacrifícium quod tu instituísti, et offérri tuæ majestáti præcepísti, in commemoratiónem tuam, et pro nostra salúte. Súscipe ergo illud, quæso, summe Pastor, pro Ecclésia tua sancta et pópulo tuo quem acquisivísti sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te et eúndem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me boni operis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis mihi créditæ non recúses, ne per me indígnum fámulum tuum eórum salútis péreat pretium pro quibus, víctima factus, dignátus es esse redémptio salutáris.

Rófero ergo, Dómine, si dignéris propítius intuéri, tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, defectus senum, suspíria júvenum, vota virginum et laménta viduárum; tu enim miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti.

Memoráre, Dómine, quæ sit nostra substántia, quia tu Pater noster es; tu Deus noster es, ne irascáris, neque mul-

[1] duríssimum spíritum supérbiæ et cenodóxiæ, invídiæ et blasphémiæ, fornicatiónis et immundítiæ, dubietátis et pertináciæ.—MS.

[2] de indignis dignos de immundis mundos.—MS.

titúdinem víscerum tuórum misericórdiæ tuæ super nos contíneas; non in justificatiónibus prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis.

AUFER a nobis, Dómine, iniquitátes nostras, et ignem Sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer a nobis cor lapídeum de carne nostra, et da nobis cor cárneum, quod te tímeat, te amet, te díligat, in te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri nóminis tui offícia præstolántem, aspícere dignéris, et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse audíre propítius et exaudíre delectéris.

ROGÁMUS te etiam, Pater sancte, et pro omnium fidelium animabus[1] defunctórum ut sit illis salus ætéma, perpétua sánitas, gáudium et refrigérium sempitérnum. Hoc magnum securitatis sacraméntum, Deus meus, sit illis hódie magnum et plenum convívium de te, pane vivo, qui de cœlo descendísti, et das vitam mundo de carne tua sancta et benedícta, agni vidélicet immaculáti qui tollit peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso útero beatæ vírginis Maríæ est assúmpta, et de Spíritu sancto concépta; de illo pretióso sánguine tuo qui pietátis fonte per lánceam mílitis ex tuo sanctíssimo látere felíciter emanávit, ut inde sanáti, refrigeráti, refécti et consoláti,[2] exsúltent in laude et gloria tua.

PETO cleméntiam tuam, piíssime Redémptor, ut descéndat super hunc panem et cálicem istum plenitúdo Divinitátis tuæ. Descéndat etiam, Dómine, illa Sancti Spiritus tui invisíbilis forma et incomprehensibilis majéstas, sicut quondam in patrum hóstias descendébat, quæ et oblatiónes nostras corpus et sánguinem tuum effíciat, et me indígnum sacerdótem tuum dóceat tantum tractáre mystérium, cum cordis puritáte et lacrymáram fonte, cum omni reveréntia et tremóre, ita ut plácide et benígne suscípias sacrifícium laudis de mánibus meis ad salútem ómnium, tam vivórum quam fidélium defunctórum.

ROGO te, Domine, per ipsum sacrosánctum mystérium corporis et sánguinis tui pretiosíssimi, quo quotídie in ecclésia tua sancta páscimur et potámur, ablúimur et sanctificámur, atque uníus tuæ summæ Divinitátis partícipes effícimur, ut mihi concédas virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bona consciéntia ad altáre tuum accédam, ita ut hæc sacraménta cœléstia efficiántur mihi salus et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et benedícto, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita; Qui mandúcat me vivet propter me; Ipse manet in me et ego in eo; Ego sum panis vivus qui de cœlo descéndi; Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amoris tui. Sana me, Dómine, ab omni languóre, ut nullam præter te séntiam dulcédinem, nullum præter te quæram amorem, nullam præter te amem pulchritúdinem.

PANIS candidíssime, habens omne delectaméntum et omnem sapórem suavitátis, qui nos de te semper réficis et in te nunquam déficis, cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera animæ meæ.

[1] pro spíritibus fidélium.—MS.
[2] refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti—MS.

Mandúcat te ángelus pleno ore in patria; mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático.

Panis sancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui descendísti de cœlo et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam, sana et sanctífica me intérius et extérius. Esto tutámen et perpétua salus et protéctio córporis et ánimæ meæ. Repélle a me insidiántes mihi hostes; recédant procul [1] a poténtia præséntiæ tuæ, ut tua protectióne foris et intus munítus,[1] recto trámite ad regnum tuum pervéniam, ubi non mystériis, sicut in hoc témpore agitur, sed fácie ad fáciem te [2] videam, Amen.[2]

Incipit Dictamen beati Augustini de regimine sacerdotum.

Viri venerabiles, sacerdotes Dei,
  præcones altissimi, lucernæ fidei,
  caritatis radio fulgentes et spei,
  auribus percipite verba oris mei.
Vos in sanctuario Dei deservitis;
  vos vocavit palmites Christus vera vitis;
  cavete ne steriles aut inanes sitis,
  si cum vero stipite vivere cupitis.
Vos estis catholicæ legis protectores,
  sal terræ, lux homiuum, ovium pastores,
  muri domus Israel, morum correctores,
  judices Ecclesiæ, gentium doctores.
Si cadat protectio legis, lex labetur;
  si sal evanuerit, in quo salietur?
  nisi lux appareat, via nescietur:
  nisi pastor vigilet, ovile frangetur.
Vos existis vineam Dei propagare,
  quam doctrinæ rivulis debetis rigare,
  spinas atque tribulos procul extirpare,
  ut radices fidei possint germinare.
Vos estis in area boves triturantes,
  prudenter a palea grana separantes.
  vos habent in speculo legem ignorantes
  laici qui fragiles sunt et inconstantes.
Quicquid vident laici vobis displicere
  sibi procul dubio dicunt non licere.
  quicquid vos in opere vident adimplere
  credunt esse licitum et culpa carere.
Cum pastores ovium sitis constituti
  non estote desides sicut canes muti.
  vobis non deficiant latratus [3] veriti,[3]
  lupus rapax invidet ovium saluti.
Grex fidelis duplici cibo sustinetur;
  corpore Dominico, quo salus augetur,
  sermonis compendio, quod discrete detur,
  mundano cibario ne periclitetur.
[4] Ovibus tenemini[4] vestris prædicare,
  sed quid, quibus, qualiter, ubi, quando, quare,
  debetis sollicite præconsiderare;
  ne quis in officio dicat vos errare.
Spectat ad officium vestræ dignitatis,
  gratiæ petentibus dona dare gratis,
  nec cuiquam fidei munera vendatis,
  incursuros gregibus lepra vos fiatis.
Gratis eucharistiam plebi ministrate,
  gratis confitemini, gratis baptizate;

[1] præséntia poténtiæ tuæ, ut foris et intus munítus per te.—MS.

[2] vidébimus, cum tradíderis regnum Deo Patri, et Deus erit ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut neque esúriam neque sítiam in ætérnum. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.—MS.

[3] *forte* acuti.

[4] Quibus te nemini (correxit B. W.)

ut gratis accepistis, sic et gratis date;
solum id quod fuerit vestrum conservate.
Vestra conversatio sit religiosa,
munda conscientia, virtus virtuosa,
regularis habitus [1]sit honorosa,[1]
nulla vos coinquinet labes criminosa.
Nullus fastus intima premat vestræ mentis,
gravis sit intuitus, habitus sit testis,
nihil vos illaqueet curis inhonestis,
quibus claves traditæ sunt regni cœlestis.
Estote breviloqui, ne vos ad reatum
protrahat loquacitas, nutrix vanitatum;
verbum quod proponitis sit abbreviatum,
nam in multiloquio non deest peccatum.
Estote benevoli, sobrii, prudentes,
justi, casti, simplices et compatientes,
hospitales, humiles, subditos docentes,
consulentes miseros, pravos corrigentes.
Utinam sic gerere curam pastoralem
possitis, et ducere vitam spiritalem,
ut cum exueritis chlamydem carnalem
induat vos Dominus stolam æternalem.
Amen.[2]

Oratio dicenda a sacerdote ante missam.

Deus, qui de indignis dignos facis et de peccatoribus justos et sanctos, et de immundis mundos; munda cor et corpus meum ab omni contagione et sorde peccati, et fac me dignum atque strenuum sanctis altaribus tuis ministrum, et concede propitius ut in hoc altari ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis et offensis meis, et innumeris quotidianisque excessibus meis atque cunctorum simul Christianorum culpis abluendis; et per eum sit tibi votum meum acceptabile, qui se tibi Deo Patri pro nobis obtulit sacrificium. Qui tecum vivit et regnat.[3]

Oratio dicenda ante missam.

Deus, qui de indignis dignos, de peccatoribus justos,[4] de immundis mundos facis: munda cor et corpus meum ab omni contagione et sorde peccati, et fac me dignum altaribus tuis ministrum; et concede propitius ut in hoc altari ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ pro peccatis et offensionibus meis, [5]et innumeris quotidianis[5] excessibus; et pro omnibus hic circumstantibus universisque mihi familiaritate et[6] affinitate conjunctis; atque me odio aliquo insectantibus et adversantibus; cunctisque fidelibus Christianis vivis et mortuis; et per eum sit tibi meum votum atque sacrificium acceptabile qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.[7]

Oratio dicenda a sacerdote ante Missam.

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed confisus de tua

[1] *forsan* ne sit onerosa, *vel* vestis honorosa, *ut in 54. correxit quispiam.*
[2] ex 34 desumitur.
[3] ex 26. desumitur.
[4] et.—4L.
[5] innumeris quotidianisque.—4L. 20.
[6] vel.—4L.
[7] ex 15.

pietate ad altare tuum accedo, infirmus ad medicum vitæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, egenus ad dominum cœli et terræ, nudus ad regem gloriæ, ovis ad pastorem, figmentum ad suum creatorem, desolatus ad pium consolatorem, miser ad misericordem, criminosus ad veniæ largitorem, impius ad justificatorem, induratus ad gratiæ infusorem, rogans immensæ misericordiæ tuæ abundantiam; quatenus meam digneris sanare infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, reducere errantem, consolari desolatum, reconciliare reum, peccatori dare veniam, misero indulgentiam, criminoso vitam, mortuo justificationem; ut te, panem angelorum, regem regum et dominum dominantium, recipere merear ea corporis castitate et animi puritate, ea cordis contritione et lacrymarum fonte, ea lætitia spirituali et cœlesti gaudio, eo timore et tremore, ea reverentia et honore, ea fide et humilitate, eo proposito et amore, ea devotione et gratiarum actione, quibus oportet et decet, ita ut prosit mihi ad vitam æternam, et in remissionem omnium peccatorum meorum. Amen.[1]

Alia Oratio.

OBSECRO te, piissime Domine Jesu Christe, ut per merita beatissimæ virginis Mariæ matris tuæ et omnium sanctorum et sanctarum tuarum doceas me, et permittas cum tanta cordis puritate mentisque munditia, cum tanta devotione et reverentia, ad tam mirabile sacramentum corporis et sanguinis tui accedere, quanta decet et expedit animæ meæ; sentiat, benignissime Domine Jesu Christe, cor meum dulcedinem beatæ præsentiæ tuæ; sit totius mei languoris spiritalis purgatio; sit scelerum meorum [2]absolutio[2]; sit mihi contra infinita hujus mundi pericula protectio. Gustet nunc anima mea quam suavis es, Domine; ut te gustato, omnis ab ea carnalis voluptas discedat. O panis delectabilis, O refectio vitalis: esca desiderabilis, O epulum perdulce, omnia reficiens et nunquam deficiens: angeli et spiritus justorum pleno ore te sumunt. Placeat tibi, Domine, ut nunc te sumat fideliter anima mea peccatrix in sua peregrinatione, ut a te virtutem recipiens, iter suum per te usque ad te perficiat sine impedimento Sathanæ; mortifica in membris meis et in corde meo omnes stimulos carnis, et omnes libidinosas commotiones; ut tu, rex virginum et amator castitatis, in meo tabernaculo quietam habeas mansionem. Tu, Domine, nosti, quot et quantis fluctibus læsa est anima mea; sed tu, Domine, qui es summus medicus, veni et sana eam; cui est tradita omnis potestas et imperium; per infinita sæcula sæculorum. Amen.[3]

Oratio devota de sacramento altaris.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, ecce accédo ad sacraméntum córporis et sánguinis unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi; accédo, inquam, infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ. Rogo ergo imménsæ majestátis tuæ abundántiam, quátenus meam dignéris sanáre infirmitátem, dítare paupertátem, ut panem angelórum, regem regum, tanta reveréntia et tremóre, tanta contritióne et amóre suscípiam, si-

[1] ex 26. desumitur.
[2] absolutio,—4PV.
[3] ex 13. desumitur.

cut éxpedit ánimæ meæ. Da mihi, quæso, illíus domínici córporis et sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam virtútem sacraménti. Dulcíssime Deus, da mihi sic suscípere corpus unigéniti tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de vírgine María, ut córpori suo mýstico mérear incorporári, ac inter ejus membra connumerári. O Pater amantíssime, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem quidem velátum suscípere propóno, reveláta tandem fácie contemplári. Qui tecum et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.[1]

Oratio ante missam dicenda.

OMNÍPOTENS [2]sempitérne[2] Deus, ecce accédo ad sacraméntum córporis et sánguinis unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi; accédo, inquam, infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ,[3] nudus ad regem glóriæ. Rogo ergo imménsæ majestátis tuæ abundántiam, quátenus meam dignéris sanáre infirmitátem, laxare fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem; ut panem angelórum, regem regum, dóminum dominántium, tanta reveréntia et tremóre, tanta suscípiam contritióne et amóre, tanta fide et puritáte, tali propósito et humilitáte, sicut éxpedit ánimæ meæ. Da mihi, quæso, illíus Domínici córporis et sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam virtútem sacraménti. Dulcíssime Jesu, da mihi sic suscípere corpus Unigéniti tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de vírgine María, ut córpori suo mýstico mérear incorporári ac inter ejus membra connumerári. O Pater amantíssime, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem quidem velátum suscípere propóno, reveláta tandem fácie contemplári. Qui tecum et cum Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.[4]

Sequuntur Præparationes ad Missam.

Sacerdos volens confiteri dicat,

Benedicite, pater.

Sacerdos.

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad confitendum omnia peccata tua. In nomine Patris et Filii etc.

Tunc dicat peccata sua. Quibus dictis dicat sacerdos.

Misereatur tui, omnipotens Deus, etc.

Indulgentiam et absolutionem etc.

Meritum passionis Domini nostri Jesu Christi, suffragia sanctæ matris Ecclesiæ, bona quæ fecisti et quæ per Dei gratiam facies, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum,

Injungat pœnitentiam, dicens,

et pro pœnitentia speciali, dices hoc et hoc, vel facies hoc et hoc.

Tunc absolvat et dicat.

Dominus noster Jesus Christus, qui est summus pontifex, per suam piissimam misericordiam te absolvat. Et ego auctoritate mihi concessa absolvo te, primo a sententia minoris excommunicationis, si in-

[1] ex 26. desumitur.
[2] sic 4L. 20. et miséricors.—16.
[3] egénus ad Dóminum cœli et terræ.—16.
[4] ex 4L. desumitur.

digeas; deinde absolvo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti etc.

Sacerdos volens accedere ad altare, induat se sacris vestibus, dicens, Veni etc.[1]

Ordinarium Missæ.[2]

Ad Missam dicendam, dum sacerdos induit se sacris vestibus, dicat Hymnum sequentem.

Hymnus.

VENI, Creátor Spíritus,
mentes tuórum vísita,
imple supérna grátia
quæ tu creásti péctora.
Qui Paráclitus díceris,
donum Dei altíssimi,
fons vivus, ignis, cáritas
et spiritális únctio.
Tu septifórmis múnere,
dextræ Dei tu dígitus,
tu rite [3]promísso[3] Patris,
sermóne ditans gúttura.
Accénde lumen sénsibus,
infúnde amórem córdibus,
infírma nostri córporis
virtúte firmans pérpetim.
Hostem repéllas lóngius,
pacémque dones prótinus,
ductóre sic te prævio,
vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
noscámus atque Fílium;
te utriúsque Spíritum
credámus omni témpore.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito;
nobísque mittat Fílius
carísma Sancti Spíritus. Amen.

℣. Emitte Spíritum tuum et creabúntur;
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Oratio.

DEUS, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum, purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, ut [4]te perfécte[4] dilígere et digne laudáre mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum. In unitáte ejúsdem.

Deinde sequatur Antiphona, Introíbo ad altáre Dei. Ps. Júdica me, Deus, et discérne. Totus Psalmus dicitur cum Glória Patri. Deinde dicitur Antiphona,

Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Kýrie eléyson. Christe eléyson. Kýrie eléyson.
Pater noster.
Ave María.

His finitis, et Officio Missæ inchoato, cum post Officium Glória Patri incipitur, accedat sacerdos cum suis ministris ad gradum altaris, et dicat ipse confessionem, diacono assistente a dextris et subdiacono a sinistris. Hoc modo incipiendo,

Et ne nos indúcas in tentatiónem.
Sed líbera nos a malo.

Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

[1] ex Breviario desumitur.
[2] Alphabetum sacerdotum.—97.
[3] sic 26. etc. promissum.—55P. B56.
[4] perfecte te.—92. 94. 97. 98.

Confessio.

CONFÍTEOR Deo, beátæ Maríæ, ómnibus sanctis, et vobis; [1]quia[1] peccávi nimis cogitatióne, locutióne, et ópere: mea culpa: precor sanctam Maríam, omnes sanctos Dei, et vos, oráre pro me.

Ministri respondeant.

MISEREÁTUR vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra; líberet vos ab omni malo; consérvet et confírmet in bono; et ad vitam perdúcat ætérnam.

Sacerdos, Amen.

Et postea dicant, Confíteor. Quo dicto, dicat sacerdos, Misereátur, ut supra. Deinde dicat sacerdos.

ABSOLUTIÓNEM et remissiónem ómnium peccatórum vestrórum, spátium veræ pœniténtiæ, et emendatiónem vitæ, grátiam et consolatiónem Sancti Spíritus, tríbuat vobis omnípotens et misércors Dóminus.

Ministri respondeant, Amen.

[2]Et sciendum est, quod quicunque sacerdos Officium exsequatur, semper episcopus si præsens fuerit ad gradum [3]altaris[3] dicat Confíteor, Misereátur, et Absolutiónem.[2]

Deinde dicat sacerdos Versum.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini,

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum,

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Orémus.

Deinde, finitis precibus, sacerdos deosculetur diaconum, et postea subdiaconum, ita dicens,

HABÉTE ósculum pacis et dilectiónis, ut apti sitis sacrosáncto altári, [4]ad perficiéndum offícia divína.[4]

Et hoc semper observetur per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis et in tribus proximis feriis ante Pascha.

His itaque peractis, ceroferarii candelabra cum cereis ad gradum altaris dimittant; deinde accedat sacerdos ad altare, et dicat in medio altaris, tacita voce, inclinatoque corpore et junctis manibus,

Orémus.

AUFER a nobis, [5]quæsumus, Dómine, cunctas[5] iniquitátes nostras, ut ad sancta sanctórum puris [6]mereámur méntibus[6] introíre. Per Christum Dóminum nostrum.

Tunc erigat se sacerdos et osculetur altare, et hoc in medio, et signet se in facie sua, ita dicens,

In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Deinde ponat diaconus thus in thuribulum, et dicat prius sacerdoti,

Benedícite.

Et sacerdos dicat,

Dóminus. Ab ipso [7]benedicátur[7] [8]hoc incénsum,[8] in cujus honóre cremábitur. In nómine Patris etc.

Tunc diaconus, ei thuribulum tradens, deosculetur manum ejus, et ipse sacer-

[1] non habent 94. 97.
[2] non habet B56.
[3] chori.—92. 94. 97. 98.
[4] Domini ministerio.—94.
[5] Domine, quæsumus, omnes.—4L, 57. B56. non habet quæsumus 98.
[6] mentibus mereamur.—98. 4L. 57. B56.
[7] sanctificetur.—97.
[8] non habent 92. 97. 98.

dos thurificet medium Altaris et utrumque cornu Altaris,[1] primo in dextera, secundo in sinistra parte, et interim in medio.[1]

Deinde ab ipso diacono ipse sacerdos thurificetur; et postea Textum ministerio subdiaconi sacerdos deosculetur.

His itaque gestis in dextro cornu Altaris cum diacono et subdiacono, Officium missæ usque ad Orationem prosequatur, vel usque ad Glória in excélsis, quando dicitur.

Et post Officium et Psalmum, repetatur Officium; et postea dicitur Glória Patri et Sicut erat: tertio repetatur Officium. Et hoc per totum annum observetur, tam in Dominicis quam in festis sanctorum, et in octavis et infra quando chorus regitur, et in omnibus missis de sancta Maria per totum annum observetur; nisi in Dominica Passionis Domini et abhinc usque ad Cœnam Domini, ad Missam scilicet de temporali tantum; tunc enim statim post Psalmum qui dicitur post Officium reincipiatur Officium, sine Glória Patri.

Post repetitionem Officii principalis rector chori Officium missæ a cantore quærere debet, deinde illud socio suo intimare, et postea simul incipere; et similiter Kýrie, Sequentia, Offertorium, Sanctus, Agnus, et Communio quærantur, intimentur et incipiantur.

His finitis, et Officio missæ inchoato, cum post Officium Glória Patri incipitur, tunc accedant ministri ad Altare ordinatim, primo ceroferarii duo pariter incedentes, deinde thuribularii, post subdiaconus, exinde diaconus, post eum sacerdos; diacono et subdiacono casulis indutis, scilicet quotidie per Adventum et a Septuagesima usque ad Cœnam Domini, quando de temporali dicitur missa, nisi in vigiliis et Quatuor temporibus, manus tamen ad modum sacerdotis non habentibus; cæteris vero ministris, scilicet ceroferariis, thuribulariis et acolyto, in albis cum amictibus exsistentibus. In aliis vero temporibus anni, quando de temporali dicitur missa, et in festis sanctorum totius anni, utantur diaconus et subdiaconus dalmaticis et tunicis, nisi in vigiliis et Quatuor temporibus, et nisi in vigilia Paschæ et Pentecostes et Nativitatis Domini, si in Dominica contigerit, et excepto jejunio Quatuor temporum quod celebratur in hebdomada Pentecostes; tunc dalmaticis et tunicis indui debent. In die Parasceves et in Rogationibus ad missam jejunii et [2]processionis[2] et in missis dominicalibus et sanctorum quæ in [3]capitulo[3] dicuntur; tunc enim albis cum amictibus utantur; ita tamen quod in tempore Paschali de quocunque dicitur missa, nisi in Inventione sanctæ Crucis, utantur ministri altaris vestimentis albis ad missam. Similiter fiat in festo Annunciationis beatæ Mariæ et in Conceptione ejusdem et in utroque festo sancti Michaelis et in festo sancti Johannis apostoli in hebdomada Nativitatis Domini et per octavas et in octavis Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ et in commemorationibus ejusdem per totum annum et per octavas et in octavis Dedicationis ecclesiæ. Rubeis vero utantur vestimentis omnibus Dominicis per annum extra tempus Paschæ, quando de Dominica agitur, et in quarta feria in Capite jejunii et in Cœna Domini et in utroque festo sanctæ Crucis, in quolibet festo martyrum, apostolorum et evangeli-

[1] non habent 92. 98.
[2] ad processionem.—4L. processionibus.—97.
[3] capis.—92. 98.

starum extra tempus Paschæ. In omnibus autem festis unius confessoris vel plurimorum confessorum, utantur vestimentis crocei coloris.

Quo facto, sacerdos et sui ministri in sedibus paratis se recipiant et exspectent usque ad Glória in excélsis, quod incipiatur semper in medio Altaris quandocunque dicitur.

Omnibus Dominicis per annum quando Glória in excélsis dicitur, dicitur unum istorum pro dispositione cantoris[1]:—





In omnibus majoribus duplicibus dicitur unum istorum pro dispositione cantoris:—





In omnibus aliis duplicibus dicitur unum istorum pro dispositione cantoris:—





In utroque festo sancti Michaelis et in festo sancti Dunstani dicitur hic cantus:—

In omnibus festis, et in octavis quando Invitatorium a tribus cantatur, dicitur unum istorum pro dispositione cantoris:—



In omnibus aliis festis simplicibus, tam trium quam novem lectionum, in quibus chorus regitur, dicitur unum istorum cantuum:—



In omnibus festis trium lectionum et in octavis quando chorus non regitur, dicitur unum istorum:—



In commemoratione beatæ Mariæ dicitur hic cantus per totum annum quando dicitur Glória in excélsis:—

[1] laus angelica.—26.



Nisi quando ultimo fit servitium de sancta Maria ante Adventum Domini et ante Septuagesimam et in octavis Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ: tunc enim dicitur sequens cantus [1]tam a choro quam a sacerdote et ejus ministris ad altare[1] [2]cum sua farsura, videlicet in choro; et etiam dicitur cum sua prosa in quotidianis missis in capella beatæ Mariæ omni sabbato.[2]



GLÓRIA in excélsis Deo. Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, rex cœléstis, Deus, Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe, *Spíritus et alme orphanórum paráclite*, Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris, *Primogénitus Maríæ vírginis matris*, Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatiónem nostram, *Ad Maríæ glóriam*. Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus sanctus, *Maríam sanctíficans*, Tu solus Dóminus, *Maríam gubernans*, Tu solus altíssimus, *Maríam coronans*, Jesu Christe cum Sancto Spíritu in glória Dei Patris. Amen.

In omnibus aliis missis quando dicendum est, dicitur sine prosa. Post inceptionem Glória in excélsis divertat se sacerdos ad dextrum cornu altaris, et ministri cum eo prosequentes, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris, submissa voce dicant idem. In duplicibus festis, principalis rector chori Glória in excélsis quando debet dici quærat a cantore et sacerdoti injungat.

Notandum est, quod omnes clerici stare tenentur ad missam, nisi dum lectio Epistolæ legitur et Gradale et Allelúya vel Tractus cantatur. In duplicibus tamen festis, stare tenentur omnes dum a choro Allelúya canitur. Pueri vero semper sint stantes ad missam choro canente; rectores vero chori, cum duo tantum habentur, sequantur per omnia regulam clericorum de secunda forma ad Vesperas, Matutinas et ad Missam; nisi quod semper dum chorus canit Allelúya stare tenentur, et in inceptionibus cantuum ad Missam ad Altare se convertant. In duplicibus festis, omnes rectores chori imitentur omnia ut supra.

Et notandum est quod omnes clerici conversi ad Altare stare tenentur dum ad Missam Glória in excélsis inchoatur, quousque chorus cantet: et in eodem hymno ad hæc verba Adorámus te, et ad hæc verba Súscipe deprecatiónem nostram, et in fine ejusdem cum dicitur Jesu Christe cum Sancto Spíritu in glória Dei usque ad Epistolam vel Lectionem.

[3]Dictoque Gradali Allelúya vel Sequentia vel Tractu a sacerdote privatim cum suis ministris, accipiat subdiaconus panem et vinum et aquam cum calice, et ea præparet ad Eucharistiæ ministrationem; benedictione prius aquæ a sacerdote petita hoc modo, Benedícite; sic respondeat sacerdos, Dóminus. Ab eo sit benedícta, de cujus látere exívit sanguis et aqua. In nómine Patris etc.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 4L. 57.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.

Sacerdos vero interim sedeat in sede sua.[3]

In fine vero Gradalis vel Tractus vel Allelúya vel Sequentiæ, chorus ad Altare se inclinet antequam ad lectorem Evangelii se vertat, et ad Glória tibi, Dómine, semper ad Altare se vertat lector Evangelii, et etiam omnes clerici signo crucis se signent; quod ter ad Missam publice observatur, scilicet ad Glória in excélsis, quando dicitur In Glória Dei Patris, Amen, et ad Glória tibi, Dómine, et post Sanctus cum dicitur Benedíctus qui venit, et ad inceptionem Credo in unum quousque chorus cantet: et iterum ad Altare ter inclinet, scilicet dum dicitur hæc clausula, Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María vírgine, secundo, Et homo factus est, tertio, Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto, et in fine cum dicitur, Et vitam ventúri sæculi, Amen. Abhinc quousque etiam inchoetur Offertorium et post Offertorium quousque compleatur totum officium missæ, hunc gestum chorus imitetur omni festo per annum. Per totum autem Adventum non dicitur Glória in excélsis, de quocunque dicitur missa, nec a Septuagesima usque ad vigiliam Paschæ.

His itaque peractis, factoque signaculo crucis in facie sua, vertat se sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis junctisque manibus, dicat hoc modo:—



Dominus vobiscum.

Et chorus respondeat,

Et cum spíritu tuo.

sub eodem tono. Et iterum revertat se sacerdos ad Altare, et dicat hoc modo:—

Oremus.

Quotiescunque dicitur Dóminus vobíscum ad Missam, semper sub eodem tono dicitur similiter et Orémus; nisi in Præfationibus et nisi in Missa Sponsalium cum fit benedictio super sponsum et sponsam ante Pax Dómini. Tunc enim dicitur sic et in consimilibus ita determinando:—



Dominus vobiscum. Oremus.

Deinde dicitur oratio, sic determinando:

Per omnia sæcula sæculorum.†

A - men.

Et si aliqua Memoria habenda est, iterum dicat sacerdos Orémus ut supra. Et quando sunt plures collectæ dicendæ, tunc omnes Orationes quæ sequuntur sub uno Per Dóminum et uno Orémus dicuntur. Ita tamen quod septenarium numerum excedere non debent secundum usum Ecclesiæ Sarum.

Et semper dum stat sacerdos ad officium missæ, post eum stet diaconus directe in proximo gradu, et subdiaconus simili modo directe in secundo gradu, post diaconum; ita quod quoties sacerdos ad populum se convertit, diaconus similiter se convertat. Subdiaconus vero interim genuflectendo, de capsula sacerdotis aptan-

[1] Has notas correximus secundum duo ex antiquioribus editionibus, (scil. H. et 94. quæ inter se fere semper concordant) quibus consentit Missale manuscriptum Vigorniense. In plerisque libris impressis hæcce *Dominus vobiscum* et *Oremus* notantur sicut infra habentur in Missa Sponsalium.

†In quibusdam exemplaribus (*ex. gra.* 4L. et 15.) nota A, (*La*) in hoc loco invenitur.

da subministret. Et si episcopus celebraverit, omnes diaconi in gradu diaconorum consistant, principali diacono medium locum inter eos obtinente. Simili modo in gradu subdiaconorum se habeant, cæteris omnibus diaconis et subdiaconis gestum principalis diaconi et principalis subdiaconi imitantibus; excepto quod principalis subdiaconus sacerdoti ad populum convertenti solus subministret.

Sciendum est autem quod quicquid a sacerdote dicitur ante Epistolam, in dextro cornu altaris expleatur; præter inceptionem Glória in excélsis. Similiter fiat post perceptionem sacramenti. Cætera omnia in medio Altaris expleantur, nisi forte diaconus defuerit. Tunc enim in sinistro cornu Altaris legatur Evangelium.

Post Introitum vero Missæ, unus ceroferariorum panem, vinum, et aquam, quæ ad Eucharistiæ ministrationem disponuntur, deferat; reliquus vero pelvim cum aqua et manutergio portet.

Chorum licet ingredi usque ad completorium primæ Collectæ.

Cætera usque ad Credo dicuntur ut supra in prima Dominica Adventus Domini notatum est.

Symbolum Nicænum.





Hic inclinet se chorus cum dicat,

*In Missalibus verba *Credo in unum Deum* sola notantur. Cætera e Graduali sumpsimus.

†Notam E. (*Mi*) quam in hoc loco in Graduali MS. [add. MS. 17,001 Musei Britannici] invenimus, correxit quisquam in G. (*Sol*) in Graduali impresso. Correctorem sequimur.

Iterum inclinet se chorus cum dicat,



Et homo factus est.

Tertio inclinet se chorus cum dicat,

Crucifixus eti-am pro nobis sub Pon-



ti-o Pilato, passus et sepultus est.



Et resurrexit terti-a di-e secundum



scripturas, et ascendit in cœlum,



se-det ad dexteram Patris, Et iterum



venturus est cum glori-a judicare



vi-vos et mor-tu-os, Cujus regni non



erit finis. Et in Spi-ritum Sanctum



Dominum et vivi-ficantem, Qui ex



Patre Fi-li-oque procedit, Qui cum

Patre et Fi-li-o simul adoratur et



conglo-ri-fi-catur, Qui locutus est per



prophetas. Et unam sanctam Cath-



o-licam et Apostolicam Ecclesi-am.

Con-fi-te-or unum baptisma in re-

missi-onem peccatorum, et exspecto

resurrecti-onem mortu-orum,

In fine inclinet se chorus, cum dicat,



Et vitam venturi sæ--culi.

A - - - - - men.

[1]Post inceptionem Credo in unum Deum, reversis ministris de pulpito ad altare, diaconus librum Evangelii sacerdoti porrigat deosculandum, vel alias Textum accipiens de manu subdiaconi, ipsum sacerdoti porrigat in dextris ejus osculandum; deinde acolyto ministrante subdiacono, subdiaconus ipsi diacono.

[1]Dum a choro canitur Credo, accedat diaconus post lectum Evangelium et offerat sacerdoti librum Evangeliorum vel Textum deosculando in sinistris ejus. Deinde.—4L. 67. Nihil habent 92. 94. 98. B56.

Postea[1] sequatur Dóminus vobíscum et Orémus. Deinde dicitur Offertorium.

Post Offertorium vero porrigat diaconus sacerdoti calicem cum patena et sacrificio, et osculetur manum ejus utraque vice. Ipse vero accipiens ab eo calicem, diligenter ponat in loco suo debito super medium altare; et inclinato parumper elevet calicem utraque manu, offerens sacrificium Domino, dicendo hanc Orationem,

SÚSCIPE, Sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam ego indígnus peccátor óffero in honóre tuo, beátæ Maríæ et ómnium sanctórum tuórum, pro peccátis et offensiónibus meis: et pro salúte vivórum et réquie ómnium fidélium defunctórum. In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti accéptum sit omnipoténti Deo hoc sacrifícium novum.

Dictaque Oratione, reponat calicem et cooperiat eum corporalibus, ponatque panem super corporalia decenter ante calicem vinum et aquam continentem; et osculetur patenam, et reponat eam a dextris [1]sacrificii[1] super Altare, sub corporalibus parum cooperiendo. Hoc peracto, accipiat thuribulum a diacono et thurificet sacrificium, videlicet ultra ter signum crucis faciens et in circuitu et ex utraque parte calicis et sacrificii; deinde [2]locum ter[2] inter se et altare. Et dum thurificat, dicat versum sequentem;

DIRIGÁTUR, Dómine, ad te orátio mea, sicut incénsum in conspéctu [3]tuo[3].

Postea thurificetur ipse sacerdos ab ipso diacono, et subdiaconus deferat ei Textum deosculandum: deinde acolytus thurificet chorum, incipiens a rectoribus chori; deinde superiorem gradum ex parte decani, incipiens ab ipso decano vel a proximiori stallo, eo absente; postea superiorem gradum ex parte cantoris: eodem ordine secundas, exinde primas formas; ita quod ipse puer singulos [4]clericos[4] incensando illis inclinet, subsequente eum [5]subdiacono[5] cum Textu ab omnibus deosculando.

Si episcopus celebraverit et duplex festum fuerit, duo pueri venient cum thuribulis et duo subdiaconi cum duobus Textibus vel reliquiis. Si autem episcopus non celebraverit et duplex festum fuerit, Textum deferat acolytus ex parte cantoris.

Primo autem thurificandus est cantor qui stat in medio chori cum cæteris rectoribus chori, scilicet in festis majoribus duplicibus tantum: deinde principales rectores chori ex utraque parte sui; exinde duo rectores secundarii; postea chorus more solito; eodem quoque ordine sequantur Textus.

Quando vero non dicitur Credo tunc immediate post Orémus et Offertorium accedat diaconus et offerat sacerdoti calicem cum patena; et cætera solito more expleantur; et thurificet sacrificium more solito: sed chorus non thurificetur. Nunquam enim incensatur chorus post Evangelium ad missam nisi quando dicitur Credo; sed tunc semper.

His itaque peractis, eat sacerdos ad dextrum cornu Altaris, et abluat manus dicens,

[1] non habent 92. 94. 98. 4L. B56.
[2] locum.—92. 98. 4L. 57. locet—94.
[3] majestatis tuæ.—94.
[4] pueros.—4L. 57.
[5] diacono.—92. 4L. 57.

QUNDA me, Dómine, ab omni inquinaménto [1]mentis et córporis[1]; ut possim mundus implére opus sanctum Dómini.

[2]Diacono interim ipsum Altare in sinistro cornu thurificante et reliquias more solito in circuitu.

Ablutis manibus sacerdos revertat se ad Altare ad divinum officium exsequendum; et diaconus et subdiaconus in gradibus suis ordinate supradicto modo se teneant.[2]

Deinde revertat se, et stans ante Altare, inclinatoque capite et corpore, junctis manibus dicat hanc Orationem.

IN spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur, Dómine, a te: et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo, ut a te suscipiátur hódie, et pláceat tibi, Dómine Deus [3]meus[3].

Et erigens se, deosculetur Altare a dextris sacrificii; et dans benedictionem ultra sacrificium, postea signet se dicens,

In nómine Patris, etc.

Deinde vertat se sacerdos ad populum, et tacita voce dicat,

ORÁTE, fratres et soróres pro me, ut meum paritérque vestrum [4]accéptum[4] sit Dómino Deo [5]nostro[5] sacrifícium.

Responsio [6]clerici[6] privatim,

SPÍRITUS Sancti grátia illúminet cor tuum et lábia tua, et accípiat Dóminus digne hoc sacrifícium laudis de mánibus tuis pro peccátis et offensiónibus nostris.

[7]In missis vero pro defunctis, post ablutionem manuum sacerdotis, statim incipiat sacerdos junctis manibus in medio Altaris, conversus ad Altare, dicens:—





Et chorus cantando respondeat,

Tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus; fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam.

Et interim dicat sacerdos,

In spíritu humilitátis.

Deinde statim dicat, conversus ad populum, tacita voce:—

ORÁTE, fratres et soróres, pro fidélibus defúnctis.

Responsio [8]clerici[8] cantando.

RÉQUIEM ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis, quam olim Abrahæ promisísti et sémini ejus.

Notandum est quod in omnibus missis pro corpore præsenti, et in anniversariis cujuscunque fuerint, et in trigintalibus, dicitur Hóstias et preces, cum versu Réquiem ætérnam et Quam olim. In omnibus vero aliis missis pro defunctis non dicuntur, nec in die Animarum.[7]

Et reversus ad Altare, sacerdos Secretas Orationes dicat, juxta numerum et ordinem ante-dictarum ante Epistolam, ita incipiens, Orémus.

[1] cordis et corporis mei.—94. 97. 4L.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] non habent 92. 94. 98. 4L. 57. B56.
[4] aptum.—94. 97.
[5] non habent 92. 98. 8RM. 57. B56.
[6] cleri.—98.
[7] Pro defunctis post ablutionem manuum sacerdos agat, utut habetur infra in Officio mortuorum.—94. 97.
[8] cleri.—92. 98. clericorum.—8RM.

Quibus finitis, dicat sacerdos [1]aperta[1] voce, Per ómnia sæcula sæculórum; manibus non levatis donec dicitur Sursum corda. Et tunc accipiat subdiaconus offertorium et patenam de manu diaconi, ipsam patenam tenendam quousque Pater noster dicitur, quam acolyto offertorio coopertam committat, in gradu scilicet post diaconum interim constituto. Quod etiam observetur in omni missa ad autenticum altare celebranda per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis; tamen in die Animarum observabitur.

Sequuntur Præfationes. Et primo Præfatio de Nativitate Domini. Hæc Præfatio dicitur in die Nativitatis Domini ad omnes missas et quotidie per hebdomadam et in die Circumcisionis, et in omnibus missis de sancta Maria ab hac die usque ad Purificationem, et etiam in die Purificationis. Dicatur etiam in missis de Corpore Christi. Dicatur etiam in festo Corporis Christi et in octavis ejusdem et infra quando de eo fit servitium.

Dicatur etiam in commemoratione ejusdem. Communicántes vero dicitur tantum usque ad Circumcisionem et in die Circumcisionis.





Nota quod infra Canonem ad primam missam in nocte Nativitatis Domini dicitur Communicántes et noctem sacratíssimam etc. Ad omnes alias missas dicitur diem sacratíssimum [2]infra Canonem.[2]

COMMUNICÁNTES et [3]diem sacratíssimum[3] celebrántes, quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas huic mundo édidit Salvatórem, Sed et memóriam venerántes, Inprimis ejúsdem gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis [4]ipsíus[4] Dei et Dómini nostri Jesu Christi: Sed et beatórum etc.

Sequens Præfatio dicitur in die Epiphaniæ et per octavas et in octavis; et Communicántes similiter dicitur.



[1] alta.—8RM.
[2] quandocunque dicitur.—55P.
[3] et noctem sacratíssimam.—13. 55P.
[4] ejúsdem.—97. 55P.

Infra Canonem.

COMMUNICÁNTES et diem sacratíssimum celebrántes, quo Unigénitus tuus in tua tecum glória coætérnus in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit, Sed et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi. Sed et beatórum apostolórum etc.

Sequens Præfatio dicitur in feria quarta in Capite jejunii, et in omni missa de jejunio, nisi in Dominicis, abhinc usque ad Cœnam Domini.



Nota quod in Dominicis per Quadragesimam dicitur Præfatio quotidiana. In Cœna Domini etiam Præfatio quotidiana dicitur. Infra Canonem, Communicántes et Hanc ígitur oblatiónem et Qui prídie, tam ab episcopo quam a sacerdote dicuntur.

Infra Canonem.

COMMUNICÁNTES et diem sacratíssimam celebrántes quo Dóminus noster Jesus Christus pro nobis tráditus est, Sed et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi. Sed et beatórum apostolórum etc.

HANC ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus[1] ob diem in qua Dóminus noster Jesus Christus trádidit discípulis suis córporis et sánguinis sui [2]mystéria celebránda,[1] [2] Quæsumus, Dómine.

QUI prídie quam paterétur pro nostra omniúmque salúte, hoc est hódie, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas; et, elevátis óculis in cœlum ad te Deum Patrem, etc.

Sequens Præfatio dicitur in die Paschæ et per totam hebdomadam et in omnibus Dominicis usque ad Ascensionem quando de Dominica sive de Pascha dicitur missa. Sed in vigilia Paschæ tantum dicitur in

[1] Pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum.—97. 55P.
[2] mysteria veneranda.—98. veneranda mysteria.—94.

Præfatione, Sed in hac potíssimum nocte. Quandocunque vero alias dicetur, dicitur Sed in hoc potíssimum die. Communicántes vero et Hanc ígitur per hebdomadam et in octavis Paschæ tantum dicuntur: ita quod in vigilia Paschæ tantum dicitur noctem sacratíssimam; in die vero Paschæ et alias quando dicitur, dicitur diem sacratíssimum.



Infra Canonem.

COMMUNICÁNTES et diem sacratíssimum (vel et noctem sacratíssimam) celebrántes resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi secundum carnem, Sed et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi. Sed et beatórum.

Item.

HANC ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ quam tibi offérimus, pro his quoque quos regeneráre dignátus es ex aqua et Spíritu Sancto, tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum, Quæsumus, Dómine.

Sequens Præfatio dicitur in die Ascensionis Domini et per octavas et in octavis et in Dominica infra octavas quando de Dominica agitur, et Communicántes.

Præfatio.



*Cantum in hac syllaba elevant per semitonum 94. H. 4L. 15.



Infra Canonem.

COMMUNICÁNTES et diem sacratíssimum celebrántes, quo Dóminus noster Jesus Christus, unigénitus Fílius tuus, unítam sibi fragilitátis nostræ substántiam, in glóriæ tuæ déxtera collocávit; Sed et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi; Sed et beatórum apostolórum.

Sequens Præfatio dicitur in die Pentecostes et per hebdomadam, et in omnibus missis de Sancto Spiritu. Communicántes et Hanc ígitur in die Pentecostes, et abhinc usque ad festum Sanctæ Trinitatis dicuntur tantum.





Infra Canonem.

COMMUNICÁNTES et diem sacratíssimum Pentecóstes celebrántes, quo Spíritus Sanctus apóstolis in igneis linguis appáruit; sed et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ semper vírginis Maríæ genetrícis[1] Dei et Dómini nostri Jesu Christi; Sed et beatórum apostolórum.

Item.

HANC ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre digná-

*Quædam edd. notas super verba *omnes cœlos* non variant.
[1] ejúsdem.—94. 13. 57. sed vide Defensorium Directorii apud Maskell 2. 346.

tus es ex aqua et Spíritu Sancto, tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum, Quæsumus, Dómine, ut placátus.

Sequens Præfatio dicitur in die Sanctæ Trinitatis, et in omnibus Dominicis usque ad Adventum Domini quando de Dominica dicitur missa licet in capitulo[1] dicatur, et in omnibus commemorationibus Sanctæ Trinitatis per totum annum, et in omni missa sponsalium.





Sequens Præfatio dicitur in omnibus festis apostolorum et evangelistarum, et per octavas apostolorum Petri et Pauli atque Andreæ quando de octavis dicitur missa; præterquam in festo sancti Johannis apostoli et evangelistæ in hebdomada Nativitatis Domini. In octavis vero ejusdem dicetur, et in festo ejus in tempore Paschali.



[1] capella.—94. 97. 13.
*94. 97. H. 15 vocem elevant super penultimam verbi *unius*, ea syllaba scilicet producta.
†In quibusdam edd. nota hujusce syllabæ non elevatur.
‡In quibusdam edd. nota hujusce syllabæ non elevatur.
‖In quibusdam edd. nota hujusce syllabæ non elevatur.



suppliciter exorare ut gregem tu-um,

Pastor æterne, non deseras,* sed per

be-atos Apostolos tu-os conti-nu-a



protecti-one cus-to-di-as: ut i-isdem



rectoribus gubernetur quos operis tu-i

vicari-os e-idem contu-listi præ-es-se

pasto-res. Et ide-o cum angelis &c.

Sequens Præfatio dicitur in utroque festo Sanctæ Crucis, et in commemorationibus ejusdem per totum annum.



Æterne De-us: Qui salutem humani



generis in ligno crucis constitu-isti, ut



unde mors ori-ebatur, inde vi-ta



re-surgeret, et qui in ligno vicerat, in



ligno quoque vincere-tur: Per Chris-



tum Do-mi-num nostrum. Per quem

majestatem tu-am laudant Angeli.

Sequens præfatio dicitur in omni festo beatæ Mariæ Virginis, nisi in Purificatione ejusdem: dicatur etiam per octavas Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ et in commemorationibus ejusdem per totum annum, nisi a die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

Æterne De-us: Et te in



conceptione
annunciatione
assumptione
nativitate
visitatione
veneratione

Be-atæ et glo-ri-

osæ semper Virginis Mari-æ exsul-

tantibus animis lauda-re, benedicere,



et præ-di-ca-re. Quæ et Unigenitum

tu-um Sancti Spiritus obumbrati-one

concepit et virginitatis glori-a perma-

*94. 4L. H. notas super verbum *deseras* non variant.

nente huic mundo lumen æternum


ef-fu-dit Jesum Christum Do-mi-num

nostrum. Per quem majestatem &c.

Hoc modo incipiantur omnes Præfationes ad missam per totum annum tam in feriis quam in festis.

Per om-ni-a sæcula sæcu-lo-rum.

Amen.

[1]Hic elevet sacerdos manus, dicens,[1]


Dominus vo-bis-cum.


Et cum spi-ri-tu tu-o.[2]


Sur-sum cor-da.


Habemus ad Do-mi-num.

Grati-as agamus Domi-no De-o


nos-tro.


Dig-num et jus-tum est.

Sequens Præfatio est quotidiana, et dicitur quotidie; nisi in festis et per octavas in quibus propria habeatur: ita tamen quod omnes Præfationes totius anni sub hoc tono dicuntur, sive propriæ habeantur sive non, tam in feriis quam in festis, secundum usum Ecclesiæ Sarum.

Vere dignum et justum est, æquum


et salutare, nos tibi semper et ubique


grati-as agere, Domine sancte, Pater


omnipotens, æterne De-us. Per Chris-

tum Do-mi-num nostrum. Per quem

ma-jesta-tem tu-am laudant ange-li,


a*dorant domina-ti-ones, tremunt po-

testa-tes, cœli cœlorumque virtutes ac

be-ata seraphin, soci-a exsultati-o-ne

[1] non habent 94. 98.
[2] Hic elevet sacerdos manus, dicens.—94. 98.
* In hac syllaba rectus tonus servatur in 97.

conce - lebrant. Cum quibus et nostras

voces ut admitti jube-as depre-camur,



sup † plici confes-si - o-ne di-centes,

Sequitur.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth; pleni sunt cœli et terra glória tua; Osánna in excélsis.

Item in aliis Præfationibus conclusio.



Et ide-o cum Angelis et Arch-



an-gelis cum ‡ thronis et dominati-o-

nibus cumque omni mi-li-ti-a cœlestis

exercitus, hymnum glori-æ tu-æ cani-

mus, sine fi - ne di-cen-tes:

Sequitur Sanctus.

Dum sacerdos dicit Sanctus, Sanctus, erigat parumper brachia sua, et jungat manus suas usque ad hæc verba In nómine Dómini; tunc semper signet se in facie sua.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth; pleni sunt cœli et terra glória tua; Osánna in excélsis; benedíctus qui venit in nómine Dómini; Osánna in excélsis.

℣ Quando ultimo fit servitium de sancta Maria ante Adventum et ante Septuagesimam et in octavis Visitationis, Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ, tunc dicitur hoc modo,

Benedíctus Maríæ fílius qui venit.[1]

Deinde confestim, manibus junctis et elevatis oculis, incipiat,

Te ígitur, clementíssime Pater, etc. corpore inclinato donec dixerit, ac pétimus.

† Secundum H. et 94. elevatur vox per semitonum in prima syllaba.
‡ Rectum tonum servant 94. H. 55P.
[1] non habent 92. 94. 97. 98.

Sequitur Canon.

TE IGITUR, clementíssime Pater, per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, súpplices rogámus
[1]corpore inclinato donec dicat,[1]
ac pétimus,
hic erigens se [2]sacerdos[2] osculetur Altare a dextris sacrificii dicens,
uti accépta hábeas et benedícas
[3]hic faciat sacerdos tres cruces super calicem et panem, dicendo,[3]
hæc do✠na, hæc mú✠nera, hæc san✠cta sacrifícia illibáta,
factis signaculis super calicem, elevet manus suas, ita dicens,
Imprimis quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta Cathólica, quam pacificáre, custodíre, adunáre, et régere dignéris toto orbe terrárum, una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Antístite nostro N.
id est, proprio episcopo tantum,
et Rege nostro N.
et dicuntur nominatim.
Sequatur.
et ómnibus orthodóxis atque cathólicæ et apostólicæ fídei cultóribus.
hic [4]oret[4] pro vivis,
MEMÉNTO, Dómine, famulórum famularúmque tuárum N. et N.
[5]In qua oratione, ordo debet attendi propter ordinem caritatis. Quinquies orat sacerdos; primo pro seipso; secundo pro patre et matre, carnali videlicet et spirituali, et pro aliis parentibus; tertio pro amicis specialibus, parochianis et aliis; quarto pro omnibus adstantibus; quinto pro omni populo Christiano: et potest hic sacerdos omnes suos amicos Deo commendare. Consulo tamen, ut nullus ibidem nimis immoretur; tum propter cordis distractionem, tum propter immissiones quæ possunt fieri per angelos malos, tum propter alia pericula.[5]
et ómnium circumstántium[6], quorum tibi fides cógnita est et nota

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 98.
[3] non habent 92. 94. 98.
[4] oret cogitando.—97. roget cogitando.—M54.
[5] non habent 92. 94. 97. 98.
[6] atque ómnium fidélium Christianorum.—M54.

devótio; pro quibus tibi offérimus vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis, pro se suísque ómnibus, pro redemptióne animárum suárum pro spe salútis et incolumitátis suæ, tibíque reddunt vota sua ætérno Deo vivo et vero.

COMMUNICÁNTES et memóriam venerántes, Inprimis gloriósæ [1]sempérque[1] vírginis

[2]inclinando parumper, dicat[2]

Maríæ, genetrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi, Sed et beatórum apostolórum ac mártyrum tuórum, Petri,[3] Pauli, Andréæ, Jacóbi, Johánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi, Lini, Cleti, Cleméntis, Sixti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Johánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni, et ómnium sanctórum tuórum, quorum méritis precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Hic respiciat sacerdos hostiam cum magna veneratione, dicens,

HANC ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias, diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Hic iterum respiciat hostiam, dicens,

QUAM oblatiónem tu, Deus omnípotens, in ómnibus, quæsumus,

[4]Hic faciat tres cruces super utrumque, cum dicat,[4]

bene✠díctam, ascrí✠ptam, ra✠tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris, ut nobis

Animadvertat hic sacerdos quo ordine in hac Oratione incedat. Qui ordo quamvis et in aliis, tum et in his quæ ad Canonem spectant et ad profectum caritatis faciunt, maxime servandus est. Proinde dum quinquies orationem facere tenetur, primam pro seipso effundat. Secundam vero pro patre et matre carnali. Interim ne obliviscatur parentum spiritualium, quo vel honor atque reverentia qua alios antecellunt eis rite impendatur. Tertiam pro amicis spiritualibus, parochianis, et aliis de se ipso bene merentibus, necnon et sedule orationi suæ commissis. Quartam pro circumastantibus, divinumque sacrificium atque oblationem pie colentibus. Quintam denique pro communi Christiano populo, cultui Catholico addicto. Quæ tamen, quamvis ultima in ordine sit, cum sit cuique statui equivalens omnibusque communis, præ aliis dignior habenda est. Potest et hic sacerdos nonnullos suorum amicorum singularius Deo commendare, maxime quidem si aliquo morbo vel periculo degraventur. Consulo tamen ut nullus ibidem nimis immoretur; tum propter cordis distractionem, tum propter immissiones quæ possunt fieri per angelos malos, tum propter plura alia inopinata pericula.—28.

[1] semper.—92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] et.—92. 98.
[4] non habent 92. 94. 98. Hic tria signacula crucis faciat super utrumque, dicens.—97.

[1]Hic faciat crucem super panem, dicens,[1]
cor✠pus
[2]Hic super calicem,[2]
et san✠guis
[3]junctisque manibus, dicat,[3]
fiat dilectíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi.

Hic erigat sacerdos manus et conjungat; et postea tergat digitos, et elevet hostiam, dicens,

QUI prídie quam paterétur,[4] accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et, elevátis óculis in cœlum

Hic elevet oculos suos.[5]
ad te Deum Patrem [6]suum[6] omnipoténtem,

Hic inclinet se, et postea elevet paululum dicens,
tibi grátias agens, bene✠díxit, fregit,
[7]Hic tangat hostiam, dicens,[7]
dedítque discípulis suis, dicens, Accípite et manducáte ex hoc omnes.

Hoc est enim corpus meum.

Et debent ista verba proferri cum uno spiritu et sub una prolatione, nulla pausatione interposita. Post hæc verba [8]inclinet se sacerdos ad hostiam[8] [9] et postea elevet eam[10] supra frontem ut possit a populo videri, [11]et reverenter illam[11] reponat ante calicem in modum crucis per

[1] non habent 92. 94. 98. Hic respiciat hostiam, dicens.—97.
[2] non habent 92. 94. 98. Respiciat calicem, dicens.—97.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] Hic erigat sacerdos manus et conjungat et postea tergat digitos, et elevet hostiam parumper, ita quod non videatur a populo, et sic debet tenere quousque dixerit verba consecrationis; quia si ante consecrationem elevetur et populo ostendatur, sacerdotes sicut fatui faciunt populum idolatrare, adorando panem purum tanquam corpus Christi, et in hoc peccat. Et sacerdos debet præcipue in hoc loco congregare seipsum ad se; scilicet cor ad verba diligenter attendendum et os ad distincte proferendum, ut ab hoc loco, videlicet Qui prídie usque ibi Unde et mémores, nullæ aliæ rei attendat, nullaque dictio nullaque syllaba evadat, nihil de forma verborum vel signorum omittat vel diminuat. Accipiendo panem, dicat.—M54.
[5] non solum corporales sed etiam spirituales.—M54.
[6] non habet M54.
[7] Hic non debet tangi hostia, modo fractionis, sicut aliqui fatui tangunt et male faciunt. Videtur tamen ex ordine verborum quod prius debet frangi quam consecrari cum dicat, benedíxit, fregit: per hæc verba videtur quod prius est fractio quam consecratio. Sed Ecclesia prius consecrat quam frangit: sic aliter facit Ecclesia quam Christus fecit; et sic Ecclesia videtur errare et per consequens delinquit. Solutio. Dicendum est, quod Ecclesia non delinquit; quia Christus post consecrationem et benedictionem fregit; licet ordo verborum aliter sonat. Et dicat sacerdos inclinando.—M54.
[8] non habent 92. 94. 98.
[9] et capite inclinato illam adoret.—M54.
[10] mature.—M54.
[11] Et caveat ne nimis diu teneat eam, nec aliquo modo corpus Christi osculetur, nec super oculos ponat, sicut solent quidam stulti facere, nec aliquam partem corporis ullo modo tangere debet, nisi tantum digitis ad hoc specialiter consecratis. Tunc illud.—M54.

[1]eandem factæ; et tunc[1] discooperiat calicem et teneat inter manus suas, non disjungendo pollicem ab indice nisi dum facit benedictiones tantum, ita dicens,

SÍMILI modo posteáquam cœnátum est, accípiens et hunc præclárum cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas, item tibi

Hic inclinet se, dicens,

grátias agens, bene✠díxit, dedítque discípulis suis, dicens, Accípite et bíbite ex eo omnes.

Hic elevet sacerdos parumper calicem, ita dicens,

Hic est enim calix sanguinis mei
novi et æterni testamenti,
mysterium fidei, qui pro vobis et
pro multis effundetur in
remissionem peccatorum.

Hic elevet calicem usque ad pectus vel ultra caput, dicens,

Hæc quotiescúnque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Hic reponat calicem et [2]fricet digitos suos ultra calicem propter micas, et cooperiat calicem. Deinde[2] elevet brachia sua in modum crucis, junctis digitis, usque ad hæc verba, de tuis donis ac datis.

UNDE et mémores, Dómine, nos [3]tui servi[3] sed et plebs tua sancta ejúsdem Christi Fílii tui Dómini Dei nostri tam beátæ passiónis, necnon et ab ínferis resurrectiónis, sed et in cœlos gloriósæ ascensiónis, offérimus præclárae majestáti tuæ de tuis donis ac datis

[4]Hic quinque cruces fiant: sed tres primæ cruces super hostiam et calicem, dicendo,[4]

hóstiam pu✠ram, hóstiam san✠ctam, hóstiam immacu✠látam,

[5]Quarta super panem, dicendo,[5]

pa✠nem sanctum vitæ ætérnæ,

[6]Quinta super calicem, dicendo,[6]

et cáli✠cem salútis perpétuæ.

SUPRA quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris, et accépta habére sicut accépta habére dignátus es múnera púeri tui justi Abel, et sacrifícium patriárchæ nostri Abrahæ, et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchísedech, sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

Hic sacerdos, corpore inclinato et cancellatis manibus, dicat, Súppli-

[1] eum fiendæ, reposito corpore Christi in loco suo.—M54.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] servi tui.—M54. B56.
[4] non habent 92. 94. 97. 98.
[5] non habent 92. 94. 97. 98.
[6] non habent 92. 94. 97. 98.

ces te rogámus usque ad hæc verba ex hac altáris participatióne. Et tunc erigat se, deosculans Altare a dextris sacrificii, et faciat signum crucis super hostiam et calicem et in facie sua, cum dicit omni benedictióne cœlésti.

SÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, jube hæc perférri per manus sancti ángeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ, ut quotquot

Hic erigens se, osculetur Altare a dextris sacrificii, dicens,

ex hac Altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui

[1]Hic faciat signum crucis super hostiam, dicens,[1]

cor✠pus

[2]Deinde super calicem, dicens,[2]

et san✠guinem sumpsérimus, omni

Hic signet se in facie, dicens,

bene✠dictióne cœlésti et grátia repleámur, per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Hic oret pro mortuis,

MEMÉNTO étiam, Dómine, [3]animárum[3] famulórum famularúmque tuárum N. et N.[4] qui nos præcessérunt cum signo fídei et dórmiunt in somno pacis;[5] ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus locum refrigérii, lucis et pacis, ut indúlgeas deprecámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Hic percutiat pectus suum semel, dicens,

NOBIS quoque peccatóribus fámulis tuis de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus, partem áliquam et societátem donáre dignéris, cum tuis sanctis apóstolis et martýribus, cum Johánne, Stéphano, Matthía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anastásia, et cum ómnibus sanctis tuis, intra quorum nos consórtium non æstimátor mériti, sed véniæ, quæsumus, largítor admítte. Per Christum Dóminum nostrum.

[6]Non dicitur Amen.[6]

PER quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas,

Hic sacerdos ter signet calicem, dicens,

sancti✠ficas, viví✠ficas, bene✠dícis, et præstas nobis.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] non habet 26.
[4] Hic oret sacerdos cogitando pro defunctis.—M54.
[5] reminiscatur defunctorum eorum præcipue pro quibus tenetur orare. Deinde dicat.—B56.
[6] Amen.—M54.

Hic sacerdos discooperiat calicem, et faciat signaculum crucis cum hostia quinquies. Primo, ultra calicem ex utraque parte: secundo, calici æquale: tertio, infra calicem: quarto, sicut primo: quinto, ante calicem.[1]

Per ip✠sum et cum ip✠so et in ip✠so est tibi Deo Patri ✠ omnipoténti in unitáte Spíritus ✠ Sancti omnis honor et glória.

Hic cooperiat sacerdos calicem, et teneat manus suas super Altare usque dum dicitur Pater noster qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum, ita dicens,[2]



Per om-ni-a sæcula sæcu-lo-rum



A - men.



O-remus.



Præceptis saluta-ribus moniti et



divina instituti-one formati, audemus

dicere:

Hic accipiat diaconus patenam,[3] eamque a dextris sacerdotis extento brachio in altum usque ad Da propítius pacem in diébus discoopertam teneat. Hic elevet sacerdos manus, dicens,



Pater noster qui es in cœlis sancti-

fi-ce-tur no-men tu-um. Adveni-at



reg-num tu-um. Fi-at vo-luntas tu-a



sicut in cœ-lo et in terra. Panem



nostrum quoti-di-anum da nobis ho-

di-e: et dimitte nobis debita nostra

sicut et nos dimittimus debi-to-ri-bus

nostris. Et ne nos inducas in ten-

ta-ti- o -nem,

[1] Interim vero diaconus a dextris sacerdotis assistat, manibus prius lotis, eique in corporalibus sustinendis subministret, et in recessu deosculetur Altare et humerum sacerdotis dextrum, sic dicente.—M54.

[2] sequitur Per omnia cum Pater noster cum nota; et cantatur in omni festo, ita dicens.—97.

[3] de manu subdiaconi.—M54.

[1]Chorus dicat,

Sed líbera nos a malo.[1]

Sacerdos privatim, Amen.

LÍBERA nos, quæsumus, Dómine, ab ómnibus malis, prætéritis, præséntibus, et futúris; et intercedénte[2] beáta et gloriósa sempérque vírgine Dei genetríce María[3] et beátis apóstolis tuis Petro et Paulo atque Andréa, cum ómnibus sanctis,

Hic committat diaconus patenam sacerdoti, deosculans manum ejus: et sacerdos deosculetur patenam: postea ponat ad sinistrum oculum, deinde ad dextrum; postea faciat crucem cum patena ultra caput: et tunc reponat eam in locum suum, dicens.

Da propítius pacem in diébus nostris, ut, ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi et ab omni perturbatióne secúri.

Hic discooperiat calicem, et sumat corpus cum inclinatione, transponens in concavitate calicis, retinendo inter pollices et indices; et frangat in tres partes: [4]prima fractio[4] dum dicitur,

Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum,

Secunda fractio,

Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Hic teneat duas fracturas in sinistra manu, et tertiam fracturam in dextera manu in summitate calicis, ita dicens aperta voce,



Per om-ni-a sæcula sæcu-lo-rum :

Chorus respondeat,



A-men.

[5]Hic faciat tres cruces infra calicem

[1] Chorus respondeat etc.—92. 97. respondeat sic.



Sed libera nos a ma - lo.

Deinde dicat.—M54.

[2] pro nobis.—M54.

[3] Hic inclinet parumper et dicat.—M54.

[4] non habent 92. 94. 97. 98.

[5] non habent 92. 94. 98. M54.

[1] Deinde si episcopus celebraverit, diaconus ad populum conversus baculum episcopi in dextera tenens, curvatura baculi ad se conversa, dicat hoc modo.



*Humili-ate vos ad benedictionem.**

**vel forsan*

cum tertia parte hostiæ, dicens,[5] [1]



bis-cum.

Chorus respondeat,

[2]Et cum spíritu tuo.[2]

Ad Agnus Dei dicendum, accedant diaconus et subdiaconus ad sacerdotem, uterque a dextris, diaconus propior, subdiaconus remotior, et dicant privatim,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi:
miserére nobis.

vos ad be - ne - dic - ti - o - nem.

Choros respondeat,

De-o gra-ti-as.

Postea, eucharistia super patenam reposita, episcopus super populum faciat benedictionem. Post benedictionem sequatur.—M54.



2 *Et cum spi-ritu tu-o.*—M54.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
dona nobis pacem.

In missis pro defunctis, dicitur hoc modo,

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi:
dona eis réquiem.[3]

cum hac additione in tertia repetitione, sempitérnam.

Hic cruce signando, deponat dictam tertiam partem hostiæ in sacramentum sanguinis, sic dicendo,

[3] tribus vicibus, cum hac additione, sempiternam tertia vice.

Exequiæ quas nos facimus pro mortuorum excessibus celebrantur.

Quare ad missam mortuorum pax non datur, triplex assignatur ratio. Prima est quoniam hoc officium triduanam Christi sepulturam significat ubi pax non datur propter osculum Judæ. Secunda quia non communicamus mortuis, quia nobis non respondent: unde est quod corpus nunquam debet esse in ecclesia quamdiu missa de die celebratur. Tertia est, quoniam sicut ex multis granis collectis unus panis efficitur et ex multis racemis vinum eliquatur, sic et ex multis fidelibus (quorum quidam boni, quidam mali) una Ecclesia constituitur et coadunatur. Quia ergo mortuo homine nescitur utrum sit ipse de conformitate Ecclesiæ, et pacem cum Creatore suo habeat, ideo pacem non damus, nec Benedicamus nec Deo gratias nec aliquas laudes referimus pro mortuis, quia non est unde agendæ sint; non enim apparet eorum requies.—M54.

HÆC sacro✠sáncta commíxtio córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi, fiat mihi omnibúsque suméntibus salus mentis et córporis, et ad vitam ætérnam promeréndam et capescéndam præparátio salutáris. [1]Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen[1].

Antequam pax detur, dicat sacerdos,

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, da mihi hoc sacrosánctum corpus et sánguinem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi ita digne súmere ut mérear per hoc remissiónem ómnium peccatórum meórum accípere et tuo Sancto Spíritu repléri; et pacem tuam habére; quia tu es Deus [2]solus et præter te non est álius, cujus regnum et impérium gloriósum sine fine permanet[2] in sæcula sæculórum. Amen.

Hic osculetur sacerdos corporalia in dextera parte et summitatem calicis, [3]et postea[3] [4]diaconum dicens,[4]

Pax tibi et Ecclésiæ [5]Dei[5].

Responsio.

Et cum spíritu tuo.

Diaconus a dextris sacerdotis ab eo pacem recipiat, et subdiacono porrigat. Deinde ad gradum chori ipse diaconus pacem portet rectoribus chori, et ipsi pacem choro portent, uterque suæ parti, incipiens a majoribus. In festis vero et feriis quando chorus non regitur, pax a diacono choro apportatur per duos extremos de secunda forma: cætera sicut prius.[6]

Post pacem datam, dicat sacerdos Orationes sequentes privatim, antequam se communicet: tenendo hostiam duabus manibus.

DEUS Pater, fons et orígo totíus bonitátis, qui ductus misericórdia Unigénitum tuum pro nobis ad ínfima mundi descéndere et carnem súmere voluísti, quam ego indígnus hic in mánibus meis téneo,

Hic inclinet se sacerdos ad hostiam, dicens,

Te adóro, te glorífico, te tota [7]mentis ac[7] cordis intentióne laudo et

[1] Per eúndem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.—M54. Per eúndem Dóminum nostrum. Amen.—B56.

[2] et non est alius præter te, cujus regnum gloriosum permanet.—92. 98. Non habet *regnum et* M54.

[3] corpore dominico prius tactam et.—M54.

[4] diacono dicat.—13. 26. 57.

[5] non habent 92. 98.

[6] Si episcopus celebraverit, primo osculetur diaconus principalem subdiaconum, a quo cæteri subdiaconi pacem sumant; deinde duos secundarios rectores si duplex festum fuerit, qui primo deferant ad rectores principales; postea ipsis principalibus rectoribus ipsam pacem ex parte decani et cantoris deferentibus, secundariis vero ex parte cancellarii et thesaurarii.—M54.

[7] non habent 92. 94. 97. 98.

precor; ut nos fámulos tuos non déseras, sed peccáta nostra dimíttas, quátenus tibi soli[1] vivo ac vero Deo, puro corde et casto córpore, servíre valeámus.[1] Per eúndem Christum Dóminum nostrum.
Amen.

DÓMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti; líbera me, [2]quæso,[2] per hoc sacrosánctum corpus et hunc sánguinem tuum a cunctis iniquitátibus meis et ab univérsis malis; et fac me tuis semper obedíre mandátis, et a te nunquam in perpétuum [3]separári permíttas,[3] [4]Salvátor mundi.[4] Qui cum Deo Patre et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas [5]Deus per ómnia[5] sæcula sæculórum. Amen.

CÓRPORIS et sánguinis tui, Dómine Jesu [6]Christe,[6] sacraméntum, quod licet indígnus accípio, non sit mihi judício et condemnatióni; sed tua prosit pietáte córporis mei et ánimæ salúti, Amen.

Ad corpus dicat cum humiliatione antequam percipiat,

AVE in ætérnum, sanctíssima caro Christi, mihi ante ómnia et super ómnia summa dulcédo. Corpus Dómini nostri Jesu Christi sit mihi peccatóri via et vita,[7]
In nó✠mine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, Amen.

Hic sumat corpus, cruce prius facta cum ipso corpore ante os. Deinde ad sanguinem cum magna devotione, dicens,

AVE in ætérnum, cœléstis potus, mihi ante ómnia et super ómnia summa dulcédo. Corpus et sanguis Dómini nostri Jesu Christi prosint mihi peccatóri ad remédium sempitérnum in vitam ætérnam. Amen.
[8]In nó✠mine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.[8]

Hic sumat sanguinem; quo sumpto,[9] inclinet se sacerdos et dicat

[1] Deo vivo ac vero puro corde ac casto corpore servire mereamur.—92. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] permittas separari.—92. 98.
[4] non habent 92. 97. 98.
[5] in.—26. 57.
[6] non habent 92. 98.
[7] Caveat sibi sacerdos post istas orationes dictas a nimia prolixitate tractandi propter cogitationes volubiles aliquorum; tamen in præmissis orationibus debet sacerdos meditari de Incarnatione, nativitate, passione, et piissima morte Domini nostri Jesu Christi et de hujus sacramenti virtute; et tunc cum magna devotione et omni reverentia et timore debet communicari (cruce prius facta, ex ipso corpore scilicet Christi, ante os recipientis) dicens.—M54.
[8] non habet 26.
[9] eat ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus, adhuc digitis conjunctis sicut prius, et accedat

cum devotione orationem sequentem,

GRÁTIAS tibi ago, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, qui me refecísti de sacratíssimo córpore et sánguine Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi; et precor, ut hoc sacraméntum salútis nostræ quod sumpsi indígnus peccátor, non véniat mihi ad judícium neque ad condemnatiónem pro méritis meis; sed ad proféctum córporis [1]mei et ánimæ salúti[1] in vitam ætérnam. Amen.

Qua dicta, eat sacerdos ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus, digitis adhuc conjunctis sicut prius: et accedat subdiaconus, et effundat in calicem vinum et aquam: et resinceret sacerdos manus suas ne aliquæ reliquiæ corporis vel sanguinis remaneant in digitis vel in calice.

Cum vero aliquis sacerdos debet bis celebrare in uno die, tunc ad primam missam non debet percipere ablutionem ullam, sed ponere in sacrario vel in vase mundo usque ad finem alterius missæ; et tunc sumatur utraque ablutio.

Post primam ablutionem[2] dicitur hæc Oratio.

QUOD ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus; et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum.

Hic lavet digitos in concavitate ca-

diaconus et effundat in calicem vinum vel aquam, et resinceret sacerdos manus suas ne aliquæ reliquiæ corporis remaneant in digitis vel sanguinis in calice. Cum vero aliquis sacerdos bis debeat celebrare in uno die, tunc non debet percipere ablutionem ullam in prima missa, sed ponere in sacrario aut in vase mundo usque in finem alterius missæ, et tunc sumatur utraque ablutio post primam ablutionem.

Deinde sequatur hæc Oratio Quod ore etc. Hic lavet digitos suos in concavitate calicis cum vino a diacono effuso; quo hausto, sequatur ista Oratio.

Hæc nos, Domine, communio purget a crimine et cœlestis remedii faciat esse participes.

Hic infundat idem diaconus aquam in calicem; qua hausta, eat sacerdos ad medium altaris, et involvat calicem super patenam, et postea inclinet se ante altare cum magna devotione, dicens hanc Orationem.

Gratias . . . corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, Te precor . . . corporis mei et animæ meæ salutem in vitam æternam. Amen.

Et cum hac Oratione eat sacerdos ad dextrum cornu Altaris, et ibi abluat manus, et subdiaconus ei ministret, diaconus vero interim corporalia complicet et ad dextrum cornu Altaris subdiaconus librum portet, et accepto a diacono calice jacente super patenam, et redeunte sacerdote ad dextrum cornu Altaris, si quid in eo infusionis remanserit, idem diaconus ori sacerdotis porrigat sumendum.

Post perceptionem sacramenti, sacerdote ad manus abluendum veniente, diaconus corporalia complicet, et in loculo reponat, postea vero ipsa corporalia calici cum offertorio supponat, ipsumque calicem, dum Communio dicitur, ipsi acolyto committat. Qui dum Per omnia sæcula sæculorum. Amen, post Orationem dicitur, ea solemnitate qua cum apportaverit reportet.

Ablutis manibus, sacerdos revertat se ad dextram cornu Altaris, et.—M54.

[1] et ánimæ.—92. 98.

[2] vel effusionem.—92. 94. 97. 98. 57.

licis cum vino infuso a subdiacono: quo hausto, sequatur Oratio.

HÆC nos commúnio, Dómine, purget a crímine, et cœléstis remédii fáciat esse consórtes.

Post perceptionem ablutionum ponat sacerdos calicem super patenam, ut si quid remaneat stillet. Et postea, inclinando se, dicat,

ADORÉMUS crucis signáculum: per quod salútis súmpsimus sacraméntum.

Deinde lavet manus: diaconus interim corporalia complicet. Ablutis manibus, et redeunte sacerdote ad dextrum cornu Altaris, diaconus calicem porrigat ori sacerdotis, si quid infusionis in eo remanserit resumendum. Postea vero dicat cum suis ministris Communionem; deinde, facto signo crucis in facie, vertat se sacerdos ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis et junctis manibus, dicat, Dóminus vobíscum.[1] Et iterum revertens se ad altare dicat, Orémus. Deinde dicat Postcommunionem juxta numerum et ordinem antedictarum Orationum ante Epistolam. Finita ultima Postcommunione, factoque signo crucis in fronte, iterum vertat se sacerdos ad populum, et dicat, Dóminus vobíscum.[2] Deinde diaconus,[3] Benedicámus Dómino. Alio vero tempore dicitur, Ite, missa est. Quotiescunque enim dicitur, Ite, missa est, semper dicitur ad populum convertendo; et cum dici debeat Benedicámus Dómino vel Requiéscant in pace, convertendo ad altare dicitur. His dictis, sacerdos, inclinato corpore junctisque manibus, tacita voce coram altari in medio dicat hanc Orationem.

PLÁCEAT tibi, Sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ, et præsta ut hoc sacrifícium quod óculis tuæ majestátis indígnus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihíque et ómnibus[4] pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Qua finita, erigat se sacerdos, signans se in facie sua, dicens, In nómine Patris etc. Et sic, inclinatione facta, eo ordine quo prius accesserunt ad altare in principio missæ, sic induti, cum ceroferario et cæteris ministris redeant. Et statim post Deo grátias incipiatur in choro hora nona quando post missam dicitur. Sacerdos vero in redeundo dicat Evangelium, In princípio. Cum vero sacerdos exuerit casulam et alia indumenta sacerdotalia, dicat psalmos [5]subscriptos cum[5] Antiphona Trium

[1] Responsio, Et cum spíritu tuo.—15.
[2] Responsio, Et cum spíritu tuo.—15.
[3] sua casula reindutus, quando utitur, dicat.—M54.
[4] illis.—97. 13. 26.
[5] sub uno Glória Patri cum hac.—M54.

puerórum. Ps. Benedícite sacerdótes usque ad finem cantici. Ps. Laudáte Dóminum in sanctis ejus totus. Ps. Nunc dimíttis cum Glória Patri et Sicut erat. Deinde dicitur tota Antiphona.

Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant in camíno ignis benedicéntes Dóminum.

Kýrie eléison.

Christe eléison.

Kýrie eléison.

Pater noster.

Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Sed líbera.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu.

Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: et laudábilis et gloriósus[1] in sæcula.

Benedícat et custódiat nos [2]Trínitas Sancta:[2] Amen.

Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine: quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Dómine Deus virtútum, convérte nos;

Et osténde fáciem tuam et salvi érimus.

Dómine, exáudi oratiónem meam.

Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium, concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Oratio.

URE igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus et mundo corde placeámus.

Oratio.

ACTIÓNES nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo prævéni et adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra operátio [3]et[3] a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Et finiantur hæ tres Orationes sic,

Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Preces in prostratione.

Et sciendum est, quod in omni missa, quando de feria dicitur, fiat prostratio a toto choro statim post Sanctus usque Pax Dómini, per totum annum, nisi a Pascha usque Deus ómnium.

Notandum est quod a Dómine, ne in ira usque ad Cœnam Domini, et a Deus ómnium usque ad vigiliam Nativitatis Domini, dicuntur istæ preces sequentes ad missam tantum in feriis et festis trium lectionum sine regimine chori, et in octavis et infra quando chorus non regitur. Et dicuntur post Per ómnia sæcula sæculórum et Pater noster, inter Per ómnia sæcula sæculórum et Pax Dómini; sacerdote sic dicente, Per ómnia sæcula sæculórum. Et choro respondente, Amen. Statim incipiat chorus Preces in prostratione, hoc modo.

Psalmus 78

Deus, vénerunt gentes in hæreditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tanquam aquam in circúitu Hierúsalem: et non erat qui sepelíret.

[1] et superexaltatus.—M54.
[2] Omnipotens et misericors Dominus.—M54. Sancta Trinitas.—98.
[3] non habent 94. 97. 8RM. et oratio.—B56.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris: subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usque quo, Dómine, irascéris in finem: accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes quæ te non novérunt: et in regna quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob: et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutáris noster, et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in géntibus, Ubi est Deus eórum? et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui: pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: impropérium ipsórum quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus et oves páscuæ tuæ: confitébimur tibi in sæculum.

In [1]generatióne et generatiónem[1] annunciábimus laudem tuam.

Glória Patri.

Psalmus 66

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam: in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi populi omnes.

Læténtur et exsúltent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte: et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi pópuli omnes, terra dedit fructum tuum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri et Fílio.

Psalmus 20

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: et super salutáre tuum exsultábit vehemén-ter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam præveníst eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: [2]et[2] tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: glória et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: et in misericórdia altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

[1] generationem et generationem.—V. Paris. 1785. generatione et generatione.—S. Hieron. Vallarsii, 9. 1233.

[2] non habent 97. 98.

Fructum eórum de terra perdes: et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos [1]dorsum:[1] in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Glória Patri.

Antiphona.

Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine, tu es super omnes gentes: da pacem, Dómine, in diébus nostris.

Kýrie eléison.

Christe eléison.

Kýrie eléison.

Pater noster.

Et hæc omnia sine nota dicuntur, tam a clericis in choro quam a sacerdote cum suis ministris.

Deinde dicat sacerdos cum nota.

Et ne nos indúcas in tentatiónem.

Sed líbera.

Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus.

Et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Non nobis, Dómine, non nobis.

Sed nómini tuo da glóriam.

Orémus pro afflictis et captívis.

Líbera, Deus, Israel ex ómnibus [2]tribulatiónibus[2] eórum.

Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

Et de Sion tuére eos.

Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

A fácie inimíci.

Dómine, salvum fac regem.

Et exáudi nos in die qua invocavérimus te.

Dómine, exáudi oratiónem meam.

Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, ut terram quam Unigenitus Filius tuus proprio sanguine consecravit, de manibus inimicorum crucis Christi eripiens, restituas cultui Christiano vota fidelium ad eius liberationem [3]instantium[3] misericorditer dirigendo in viam pacis æternæ.[4]

Oratio.

REGE, quæsumus, Domine, famulum tuum pontificem nostrum; et, intercedente beata Dei genitrice semperque virgine Maria cum omnibus sanctis tuis, gratiæ tuæ dona in eo multiplica, ut ab omnibus liberetur offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, famulo tuo regi nostro salutem mentis et corporis; ut, bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sequatur.

Pax Dómini sit semper vobíscum.

[1] deorsum.—94. 98.
[2] iniquitatibus.—92. 94.
[3] instantia.—94.
[4] Per Christum Dominum nostrum. Amen.—26.

In fine missæ dicitur unus istorum cantuum pro dispositione cantoris.[1]



















In festis trium lectionum dicitur unus istorum cantuum quando dicitur Ite missa est.





[1] Post unamquemque cantum super *Benedicamus Domino* sequitur in H. 94. 97. cantus similis super *Ite missa est*. Cantus super *Benedicamus Domino* in editionibus et ordine et numero variantur: in plerisque decem solum inveniuntur.

In vigilia Paschæ et Pentecostes dicitur



Notandum est quod quandocunque cantus istorum sequentium dicitur super Kýrie, idem etiam cantus sequatur super Ite, missa est.























In omnibus feriis per annum et in vigiliis Quatuor temporum (exceptis vigiliis Paschæ et Pentecostes et in hebdomada Pentecostes dicatur) et in missa Salus pópuli et de cruce, et in omnibus festis trium lectionum sine Te Deum, in quibus dicitur nocturnum, dicitur hic cantus:

In omnibus missis pro defunctis dicitur hic cantus:



Oratio dicenda a sacerdote post missam.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, conservátor animárum mundíque redémptor; me famulum tuum ante majestátem tuam prostratum benigníssime réspice: et hoc sacrifícium quod in honóre nóminis tui pro salúte fidélium tam vivórum quam mortuórum, ac etiam pro peccátis et offensiónibus nostris óbtuli, piissime réspice, iram tuam amove a me, grátiam et misericórdiam tuam mihi concéde, jánuam paradísi mihi pande, et ab ómnibus malis me poténter éripe; et quicquid reatu próprio commisi indúlge; sic in hoc sæculo præcéptis tuis me fac perseveráre ut dignus effíciar electórum gregi copulári; te præstánte, Deus meus, cujus nomen benedictum honor atque regnum permanet in sæcula sæculórum. Amen.[1]

Oratio dicenda a sacerdote post missam.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, Jesu Christe, Dómine, esto propítius peccátis meis, per assumptiónem córporis et sánguinis tui: tu enim loquens dixísti, Qui mánducat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in eo. Ideo te supplex déprecor, ut in me cor mundum crees, et spíritum rectum in viscéribus meis ínnoves; et spíritu principáli me confirmáre dignéris; atque ab ómnibus insídiis diáboli ac vítiis emúndes ut gaudiórum cœléstium mérear esse párticeps. Qui vivis et regnas.[2]

Oratio dicenda a sacerdote post missam.

GRÁTIAS tibi ago, Dómine Deus, omnípotens Pater, qui me dignátus es satiáre córpore et sánguine dilecti Fílii tui Domini nostri Jesu Christi. Deprecor immensam clementiam tuam, omnipotens et misericors Domine, ut hæc sancta communio non sit mihi ad judicium seu ad condemnationem, sed sit mihi arrha fidei et scutum bonæ voluntatis ad evacuandas insidias inimici de mente mea, ad extirpandam superbiæ pestem, gulæ libidinem, et linguæ procacitatem, et ad illud introire convivium ubi lux vera et ubi sunt perpetua gaudia justorum. Item, peto, Domine, ut hæc sancta communio sit mihi dux et viaticum ad portum salutis æternæ. Ipsa sit mihi consolatio dum tribulor in cogitationibus; in bono proposito amor suavissimus; in tribulatione et angustia patientia: in infirmitate medicina. Per hæc sacratissima mysteria quæ sumpsi, præsta mihi fidem rectam, spem firmam, caritatemque perfectam, mundi abrenunciationem, desiderii purificationem, mentis dulcedinem, tui ardentem dilectionem, ad dilecti Filii tui passionis memoriam ac viscerosam compassionem; vitam meam plenam virtutibus in tua laude et sincera fide servare, et in hora exitus mei gratiam tanti mysterii cum vera fide, certa spe, et sincera caritate percipere, ut te videam sine fine. Amen.[3]

Presbyter, in Christi mensa
quid agis, bene pensa.
Aut tibi vita datur,
aut mors æterna paratur.

[1] ex 26 desumitur.
[2] ex 26 desumitur.
[3] ex 26 desumitur.

Dum candela luit,
se destruit officiando;
Presbyter ita ruit,
si sit reus, celebrando.
Mors tua, mors Christi,
fraus mundi, gloria cœli,
Et dolor inferni,
sunt memoranda tibi.

Oratio valde bona dicenda post celebrationem missæ.

GRÁTIAS ago tibi, dulcíssime Dómine Jesu Christe, lux vera, salus credéntium, solátium trístium, spesque cunctorum, gaudium angelorum. Quod me miserum et magnum peccatorem famulum tuum hodie sacratissimo corpore et sanguine tuo pascere dignatus es. Ideo ego miserrimus, et innumerabilibus criminibus infectus, lacrymosis precibus imploro benignissimam misericordiam tuam et summam clementiam, ut hæc dulcissima refectio, summa et incomprehensibilis communio, non sit mihi in judicio animæ meæ, sed prosit mihi in remedium ad evacuandas omnes insidias et nequitias diabolicæ fraudis, ita ut nulla ejus dominetur iniquitas in corde, corpore, anima et sensibus meis; sed tua clementia me perducat ad superna convivia angelorum, ubi tu es vera beatitudo, clara lux, sempiterna lætitia. Amen.

Oratio post Missam dicenda.

GRATIAS tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me immundum et indignum peccatorem ad sacerdotalem dignitatem pervenire fecisti, et mihi hodie ex dono largifluæ bonitatis tuæ, et non ex meis meritis, concessisti gratiam consecrandi et percipiendi sacratissimum corpus tuum et sanguinem; et concede, quæso, per benignissimam misericordiam et ineffabilem pietatem et sanctissimam passionem et crucem tuam, ut hoc ineffabile sacramentum quod sumpsi indignus peccator, non sit mihi reatus ad pœnam sed intercessio salutaris ad veniam, ut quicquid hodie ad sanctum altare tuum deliqui, cogitationibus pravis, illicitis, immundis, minore reverentia quam debui, gestu, actu, vel aliqua negligentia, iteratione verborum vel corruptione mentis, vel quocunque modo, tuam sanctissimam pietatem implora, quatenus mihi clementer indulgere, et me plenissime ab his et ab omnibus digneris absolvere. Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum.[1]

Oratio dicenda post missam.

OMNIPOTENS sempiterne Deus misericordissime, qui venisti peccatores redimere; peto te per dulcissimum sacramentum corporis et sanguinis tui, mysterium quod ego indignus accepi, ut mihi dones indulgentiam et remissionem omnium peccatorum meorum præsentium et futurorum; ut dignam agere valeam pœnitentiam, in bonis operibus perseverantiam habeam, ac toto corde meo te intelligere et quæ tibi placita sunt tota dilectione perficere, et te puro corde meditari; et post hanc vitam nunquam a te separari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.[2]

[1] ex 20 desumitur.
[2] ex 20 desumitur.

Oratio ad impetrandum bonum finem, ac remissionem peccatorum, tam pro se quam pro amicis.

DOMINE Deus, pater omnipotens, qui justis præmia et delinquentibus veniam promisisti; qui non vis mortem peccatorum nec lætaris in perditione morientium; te suppliciter deprecor, ut mihi famulo tuo N. dones per merita sanctissimæ Dei genetricis Mariæ et omnium sanctorum et electorum, et per tuam misericordiam, remissionem omnium peccatorum meorum, et perducas me ad illam pœnitentiam per quam David salvasti, et Petrum flentem respexisti, et Mariam Magdalenam mundasti. Expelle, Domine Jesu Christe, de corde meo quæ tibi displicent, et talem mihi infunde amorem ut te perfecte diligere ac timere possim, ut nec cogitem vel desiderem nisi quod tibi Domino placere cognovero. Deprecor te, beatissima virgo Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti. Deprecor et vos sanctos archangelos Michaelem, Gabrielem, et Raphaelem, et sanctos angelos nobis ad custodiam deputatos, cum novem ordinibus angelorum; ut intercedatis pro me; Petrum, Paulum, Andream, Johannem, apostolosque omnes, martyres, confessores, virgines, omnes sanctos et electos Dei; ut dignentur mihi patrocinari, quando ante tribunal æterni regis præsentatus ero ad judicandum. Commendo tibi, piissime Jesu Christe, omnes diligentes me et qui mei curam gerunt et qui mihi opem misericordiæ tribuunt, et omnes debitores meos sive propinquos, et etiam pro inimicis meis te peto ut eos ad pacem convertas, et veram pœnitentiam agere concedas. Deprecor te, Domine Jesu Christe, ut omnes qui mei memoriam habent et qui se meis indignis precibus commendaverunt, et qui mihi aliquid caritatis vel pietatis impenderunt, seu et illos qui consanguinitate vel familiaritate vel confessionis affectu mihi propinqui sunt, tam ipsos qui consistunt in corpore quam ipsos qui teguntur funere, misericorditer numerare, et illos visitare jubeas; ut qui fideliter serviunt, et ab omnibus tueantur adversis, et hos meque absolvas ab omnibus pœnis, et perducas ad requiem sempiternam. Et hoc magnifice supplico, ut cum dies mortis meæ advenerit, tu ipse qui judicas contra accusatores, fias mihi defensor, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.[1]

Alia Oratio.

DEUS misericordiæ et veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor, ut mihi miserrimo innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi; quatenus, te miserante, in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus ad beatitudinis æternæ participatione(m) pertingam: cunctis etiam in corpore sive extra corpus fidelibus qui mihi spirituali vel carnali conjunctione cohærent, et qui se mihi confitendo vel rogando commendaverunt; necnon et quorum pecunias et eleemosynas suscepi, vel qui per meam malitiam seu negligentiam corrupti sunt, manum misericordiæ tuæ porrigas, et per ineffabilem largitatem tuam optatam eis indulgentiam peccatorum concedas, et ad requiem beatorum eos perducas. Amen.[2]

[1] ex 33 desumitur.
[2] ex 33 desumitur.

Missa recollectionis festorum beatæ Mariæ Virginis.

Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Maríæ vírginis, de cujus solemnitátibus gaudent ángeli: et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi.

Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos conceptiónis, nativitátis, annunciatiónis, visitatiónis, purificatiónis, et assumptiónis beátæ et gloriósæ vírginis Maríæ gáudia recoléndo lætíficas; concéde nobis sic láudibus ejus et servítio digne insístere, ut [1]eam[1] in omni necessitáte et angústia, et præcipue in hora mortis, præséntem et auxiliátricem sentiámus, et tecum post mortem per ipsam, et cum ipsa, gaudére mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 2

SURGE, própera, amíca mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérnis macériæ. Osténde mihi fáciem tuam; sonet vox tua in áuribus meis. Vox enim tua dulcis est, et fácies tua decóra. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es; oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano; veni coronaberis. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum. In uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Gradale. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te.

℣. Nationes ex longinquo ad te venient et munera deferentes adorabunt in te Dominum, et terram tuam sanctificationem habebunt.

Alleluya. ℣. Beati omnes qui diligunt te, virgo: et qui gaudent super pace tua: benedictus Dominus qui exaltavit te et posuit super te regnum ejus in sæcula sæculorum.

Sequentia.

QUITTIT ad sterilem
non quemvis nuntium
sed summi angelum
luce refulgentem
amator hominis.
Miratur et credit
et læta concipit
Dei genitricem
quam gaudens peperit
cunctis amabilem.
Virgo singularis
manet in abdito;
mente servit Deo
canticis et hymnis
mundo profutura.
Castum propositum
voto confirmavit,
angelos meretur
habere consortes
nostra reparatrix.
A summo cardine
mittit archangelum,
audit et suscipit
puella nuntium,
credit et concipit.

[1] etiam.—13

Festinat gravida
virgo puerpera,
visitat sterilem
matrem præcursoris
[1]Rex[1] ineffabilis.
Mundi redemptorem
peperit intacta,
gaudium angelis
pretium hominum
victisque triumphum.
Humilis infantem
Deo repræsentat
illi munus offert
quod lex præceperat
hoc senex excipit.
Mundi dominatrix
choros angelorum
transcendit assumpta
regina cœlorum,
Dei mater alma.
Illic concathedrat
virginem Filius
imponit coronam
super caput ejus
ad gloriam Dei.
Ista mirifica
plebs tua celebrat;
tibi mente psallit
et voce jubilat,
mater orphanorum.
Pro nobis obtine
genitrix veniam
et reatum dilue
et dona patriam
in arce siderum. Amen.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 1

In illo témpore, Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elízabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exsultávit in gáudio infans in útero ejus. Et repléta est Spíritu Sancto Elízabeth, et exclamávit voce magna et dixit; Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María; Magnificat ánima mea Dóminum; et exsultávit spiritus meus in Deo salutári meo.

Offertorium. Beatam te dicent omnes generationes quia fecit tibi Dominus magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Secreta.

Domine Jesu Christe, sanctarum cogitationum suspirator; qui servos tuos gloriosam matrem tuam honorare docuisdti; concede propitius ipsius solemni cum sacrificio laudis debita cum devotione celebrare in terris, ut ejus intercessione regnando jubilare mereamur in cœlis. Qui vivis et regnas Deus.

Præfatio de beata Virgine Maria.

Communio. Benedicite Deum cœli cum timore: et exsultate ei cum tremore: quia fecit nobiscum misericordiam: cum in cœlis matrem pro nobis esse voluit advocatam.

Postcommunio.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, sacramenta quæ sumpsimus in honore beatæ Mariæ virginis matris immaculato corde servare: ut nunc festa ejus colentes, post excessum hujus vitæ ad ipsius mereamur transire consortium. Per eundem Dominum.

[1] res.—26

Cautelæ Missæ.[1]

Sequuntur informationes et cautelæ observandæ presbytero volenti divina celebrare.

Prima cautela est, ut sacerdos missam celebraturus conscientiam suam per puram confessionem optime præparet, [2]sacramentum[2] vehementer desideret, et confiteri intendat. Notulam de modo agendi officium memoriter et bene sciat. Gestus valde compositos ac devotos habeat. Cum enim quilibet teneatur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus suis; hic Deum diligere non probatur, qui in mensa Altaris ubi Rex regum et Dominus omnium tractatur et sumitur, irreligiosus, indevotus, impudicus, distractus, vagus, aut desidiosus apparuerit. Attendat igitur unusquisque quod ad mensam magnam sedeat. Cogitet qualiter eum præparari oporteat. Sit cautus et circumspectus. Stet erectus; non jacens in Altari. Cubitos jungat lateribus. Manus exaltet, ut extremitates digitorum modicum super humeros videantur. Intellectum signis et verbis coaptet, quoniam magna latent in signis, majora in verbis, maxima in intentione. Tres digitos jungat quibus signa faciat, reliquos duos in manu componat. Signa faciat directe non oblique, alte satis ne calicem evertat. Non circulos pro crucibus. Cum vero inclinandum erit, non oblique sed directe ante Altare, toto curvatus corpore se inclinet.

Secunda est, ut non putet sed certo sciat se debitas materias habere; hoc est panem triticeum et vinum cum aqua modica. De vino et aqua poterit sic certificari. Exigat a ministro ut gustet tam vinum quam aquam. Ipse autem presbyter gustare non debet. Guttam fundat in manum; digito terat et odoret; sic erit certior. Non credat ampullæ signatæ, non colori, quoniam sæpius fallunt. Videat calicem ne sit fractus. Consideret vinum; si est [3]acetosum,[3] nullo modo celebret; [4]si est acetosum,[4] dissimulet; si nimis aquosum, abstineat, nisi sciat vinum aquæ prævalere. Et in omni casu, si contingat dubitari vel propter acedinem vel propter mixturam vel illimpiditatem, utrum possit confici, consulimus abstinere; quia in hoc sacramento nihil sub dubio est agendum, ubi certissime est dicendum, Hoc est enim corpus meum et Hic est enim calix sanguinis mei. Item oblatas convenientes eligat, et vinum competenter infundat; quia hoc sacramentum debet sensibus deservire ad videndum, tangendum, et gustandum; ut sensus reficiatur ex specie, et intellectus ex re contenta foveatur. Aqua etiam in parvissima quantitate infundatur, ut a vino absorbeatur et saporem vini recipiat; non est enim periculum quantumcunque modicum apponatur de aqua; est autem periculum si multum. Apponitur etiam aqua solum ad significandum. Sed una gutta tantum significat quantum mille. Ideo caveat sacerdos ne cum impetu infundat, ne nimis cadat.

Tertia est, ut Canonem morosius legat quam cætera. Et præcipue ab illo loco, Qui pridie quam pateretur accepit. Tunc enim respirans attendere debet, et se totum colligere, si prius non potuit, singulis ver-

[1] Has primas cautelas non habet 15.
[2] conficere.—55P.
[3] ita 26. etc. corruptum.—55P
[4] sed si acidum.—13.

bis intendens. Et dum dixerit Accipite et manducate ex hoc omnes respiret, et uno spiritu tractim dicat Hoc est enim corpus meum; sic non immiscet se alia cogitatio. Non enim videtur esse rationabile discontinuare formam tam brevem, tam arduam, tam efficacem, cujus tota virtus dependet ab ultimo verbo, scilicet meum, quod in persona Christi dicitur. Unde non debet cuilibet verbo punctus imponi; cum id nulla ratione valeat ut dicatur, Hoc, est, enim, corpus, meum. sed totum simul proferat. Pari modo hoc idem in forma consecrationis sanguinis observetur.

Item, proferendo verba consecrationis circa quamlibet materiam, sacerdos semper intendat conficere id quod Christus instituit et Ecclesia facit.

Quarta est, ut si plures hostias habet consecrare, debet harum unam elevare quam sibi deputaverat a principio ad missam, et teneat illam penes alias, ita quod visum et intentionem ad omnes simul dirigat, et signando et dicendo Hoc est enim corpus meum omnes cogitet quas demonstrat.

Consulimus quoque ut Canonem presbyter [1]memoriter[1] sciat, quia devotius dicitur; semper tamen liber habeatur, ut ad ipsum memoriter recurratur.

Quinta est, ut dum sumat, nunquam uno haustu calicem sumat; ne propter impetum tussis inopinate occurrat; sed bis vel ter caute sumat, ut impedimentum non habeat. Si vero plures hostias debet sumere, ut quando hostia est renovanda, primo sumat eam quam confecit et sanguinem; post hæc alias quæ supersunt; suam prius sumat quam alias, quia de suis credit et scit, de aliis credit et nescit; demum desuper ablutiones, et non prius.

Sexta est, ut paucorum nominibus se astringat in Canone; nec perpetuo, sed quamdiu velit faciat, quando velit omittat: quia Canon de multitudine nominum prolixatur; et per hoc cogitatio distrahitur. Dignum tamen est, ut pater, mater, frater, soror, ibi nominentur, et si qui pro tempore commendantur, et specialiter pro quibus missa celebratur. Non tamen ibi fiat vocalis expressio sed mentalis.

Septima est, ut ante missam non os vel dentes lavet, sed tantum labia exterius, ore clauso, si indiget;[2] ne forte aquæ [3]gustum[3] cum saliva immittat. Post missam etiam caveat [4]execrationes[4] quantum potest, donec comederit et biberit; ne forte aliquid inter dentes remanserit aut in faucibus quod [5]execrando[5] ejiceretur. Quamvis autem missa devotissime sit celebranda, contemplationis causa; est tamen modus habendus, ne protractione nimia vel acceleratione fiat homo notabilis. Nam acceleratio signum est incuriæ; protractio est occasio detractionis. Sed medio tutissimus ibit. Eo autem affectu est quælibet missa habenda et dicenda a quocunque sacerdote, quasi prima dicatur et nunquam amplius sit dicenda. Tam magnum enim donum semper debet esse novum.

Habeat itaque sacerdos diligentiam ad conficiendum, reverentiam ad tangendum, et devotionem ad sumendum. Sic sentiendo et agendo, digne tractabitur sacramentum, rite peragetur officium, atque pericula et scandala evitabuntur.

[1] ita 26. etc. diligenter.—55P.
[2] secundum aliquos.—26.
[3] ita 26. etc. guttam.—55P.
[4] ita 26. etc. excreationes.—4L. 55P.
[5] ita 26. etc. excreando.—4L. 55P.

Item in Collectis dicendis semper impar numerus observetur. Una propter unitatem Deitatis. Tres propter trinitatem personarum. Quinque propter quinquepartitam passionem Christi. Septem propter septiformem gratiam Spiritus Sancti. Septenarium numerum excedere non licet.

Item, quandocunque oratio dirigitur solum ad Patrem, in fine dicatur Per Dominum nostrum Jesum Christum. Si vero dirigitur ad Patrem, et mentio fit Filii in ipsa, in fine dicatur Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Si autem oratio dirigitur solum ad Filium, in fine dicatur Qui cum eodem Patre et Spiritu Sancto. Et si mentio Spiritus Sancti in quacunque oratione fiat, in fine dicatur,[1] ejusdem Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Incipiunt [2]cautelæ servandæ[2] quid agendum sit circa defectus vel casus qui oriri possunt in missa, et præsertim circa consecrationem eucharistiæ.

Primo, quid sit agendum cum sacerdos [3]deficit.[3]

Si sacerdos deficiat sive moriatur ante Canonem, non est necesse ut alius missam compleat. Si tamen alius vult celebrare, debet ab initio missam reincipere, et totum rite peragere.

Si autem in Canone deficiat, factis jam aliquibus signis; tamen ante [4]transubstantiationem et[4] consecrationem sacramenti: tunc alius sacerdos ab illo loco ubi ille dimisit debet reincipere, et tantum illud supplere quod omissum est.

Si autem sacerdos in actu consecrationis deficiat, verbis aliquibus jam in parte prolatis sed in toto non completis; secundum Innocentium, alius sacerdos debet incipere ab illo loco Qui pridie.

Si tamen sacerdos deficiat, consecrato corpore sed non sanguine: alius sacerdos compleat consecrationem sanguinis, incipiens ab illo loco Simili modo.

Si, consecrato corpore, percipiat vinum non esse in calice: debet hostia munde reponi in corporali, et, calice rite præparato, incipiat ab illo loco Simili modo.

Si ante consecrationem sanguinis percipiat aquam non esse in calice, debet statim apponere et conficere.

Si autem post consecrationem sanguinis percipiat quod aqua desit in calice; debet nihilominus procedere, nec debet miscere aquam cum sanguine, quia pro parte sequeretur corruptio sacramenti; debet tamen sacerdos dolere et puniri.

Si post consecrationem sanguinis percipiat quod vinum non fuerit positum sed aqua tantum in calice; siquidem hoc percipit ante sumptionem corporis, debet aquam deponere, et imponere vinum cum aqua, et resumere consecrationem sanguinis ab illo loco Simili modo.

Si percipiat hoc post sumptionem corporis, debet apponere de novo aliam hostiam iterum cum sanguine consecrandam, secundum doctores [5]in sacra pagina; debet autem[5] resumere verba consecrationis ab illo loco Qui pridie; in fine autem iterum debet sumere hostiam illam ultimo consecratam, non obstante si prius sumpsit aquam et etiam illum san-

[1] et.—98. 4L.
[2] ita 26. etc. aliæ cautelæ.—55P.
[3] deficiat.—94. 98. 4L.
[4] transubstantialem.—55 P. transubstantialem et.—26.
[5] et.—15.

guinem. [1]Innocentius tamen dicit, quod si ex prolongatione sacerdos timet scandalum, quod sufficiunt tantum illa verba per quæ consecratur sanguis, scilicet Simili modo, et sic sumere sanguinem.[1]

Quid autem faciet cum aquam sumpto corpore jam habet in ore, et jam primo sentit quod sit aqua—utrum debeat eam deglutire vel emittere: require in Summa Hostiensis in titulo "de celebratione Missæ." Tutius tamen est eam deglutire quam emittere; et hoc ideo ne aliqua particula corporis cum aqua exeat.

Item si sacerdos post consecrationem recordetur se non esse jejunum, vel commisisse aliquod peccatum, vel esse excommunicatum; debet nihilominus procedere, cum proposito satisfaciendi et absolutionem impetrandi.

Si autem ante consecrationem recordetur prædictorum; tutius est missam incœptam deserere, et absolutionem petere; nisi inde grave scandalum oriatur.

Item si musca vel aranea vel aliquid talium ante consecrationem in calicem ceciderit, vel etiam venenum immissum fore deprehenderit; vinum debet effundi quod est in calice, et abluto calice aliud vinum cum aqua poni ad consecrandum. Sed si aliquod horum post consecrationem acciderit; debet musca vel aranea vel aliquid talium caute capi, et diligenter inter digitos pluries lavari, et vermis comburi; et ablutio cum cineribus combustis in sacrario reponi. Venenum autem nullo modo debet sumi; sed cum reliquiis debet sanguis talis cui venenum est immissum in vasculo mundo conservari. Et ne sacramentum maneat imperfectum, debet calicem denuo rite præparare, et resumere consecrationem sanguinis ab isto loco Simili modo posteaquam cœnatum est. [2]Et nota quod secundum doctores, nihil abominabile sumi debet occasione hujus sacramenti.[2]

Item si sacerdos non recolit se dixisse aliquod horum quæ debuit dicere, non debet mente turbari; non enim qui multa dicit semper[3] recolit quæ dixit. Etiam, si sibi pro certo constat quod aliqua omiserit; si talia non sunt de necessitate sacramenti, sicut sunt Secretæ vel aliqua verba Canonis, ultra procedat, nec aliquid resumat. Si tamen probabiliter sibi constat quod omisit aliquid quod sit de necessitate sacramenti, sicut forma verborum per quam consecratur, omnia verba consecrationis super suam materiam resumere debet,[4] quia consecratio facta non esset ; quod tamen non oportet, si prætermissa esset conjunctio enim vel alia verba quæ præcedunt vel sequuntur formam: quæ non sunt de ipsius substantia.

Si autem sacerdos dubitaret an aliquod verbum pertinens ad substantiam formæ omisisset vel non; nullatenus debet servare formam conditionalem, sed sine temeraria assertione formam totam super suam propriam materiam debet resumere cum hac intentione, quod si consecratio esset facta, nullo modo [5]voluisset consecrasse;[5] sed si consecratio non esset facta, vellet corpus et sanguinem consecrare.

Item, si quis tempore consecrationis ab actuali intentione et devotione distractus fuerit, nihilominus consecrat, dummodo

[1] non habet 15.
[2] non habet 15.
[3] omnium.—94. 98. 4L.
[4] non habet 15.
[5] ita 26. etc. vellet consecrare.—55P.

intentio habitualis in eo remanserit; summo sacerdote, scilicet Christo, supplente ejus defectum.[4]

Si autem per nimiam distractionem habitualis intentio cum actuali tolleretur, videtur quod deberet verba consecrationis cum actuali intentione resumere, sic tamen quod nollet consecrare si consecratio facta esset.

Item, si hostia consecrata propter frigus vel alia de causa labitur sacerdoti in calicem, sive ante divisionem hostiæ sive post; non debet eam de sanguine extrahere, nec aliquid propter hoc reiterare vel immutare circa celebrationem sacramenti, sed procedat in signis et in aliis ac si haberet eam in manibus.

Si eucharistia ad terram ceciderit, locus ubi jacuit radatur et incineretur per ignem, et cinis juxta altare recondatur.

Item, si per neglegentiam aliquid de sanguine stillaverit super tabulam quæ terræ adhæret, stilla per sacerdotem cum lingua lambatur et locus tabulæ radatur; et rasura igni comburatur, et cinis juxta altare cum reliquiis recondatur; et quadraginta diebus pœniteat cui hoc accidit.

Si vero super altare stillaverit calix; sorbeatur stilla, et tribus diebus pœniteat.

Si vero super linteum et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum stilla sanguinis pervenerit, viginti diebus pœniteat: et linteamina quæ stilla tetigerit tribus vicibus lavet sacerdos vel diaconus, calice supposito, et ablutio cum reliquiis recondatur.

Item, si quis aliquo casu gulæ eucharistiam evomuerit; vomitus ille debet incinerari, et cineres juxta altare debent recondi. Et si fuerit clericus, monachus, presbyter, vel diaconus, quadraginta diebus pœniteat: episcopus septuaginta; laicus triginta.

Si vero ex infirmitate evomuerit, quinque diebus pœniteat.

Qui vero non bene custodit sacramentum, ita quod mus vel aliud animal comederit; quadraginta diebus pœniteat.

Qui autem perdiderit illud, vel pars ejus ceciderit et non fuerit inventa: triginta diebus pœniteat. Eadem pœnitentia videtur dignus sacerdos per cujus negligentiam putrescunt hostiæ consecratæ: dictis autem diebus pœnitens debet jejunare, et a communione et a celebratione abstinere. Pensatis tamen circumstantiis delicti et personæ, potest minui vel augeri pœnitentia prædicta, secundum arbitrium discreti confessoris. Hoc tamen tenendum est, quod ubicunque inveniuntur species sacramenti integræ, reverenter sumendæ sunt; quod si sine periculo fieri non potest, sunt tamen pro reliquiis reservandæ.

Item si hostia vel pars hostiæ inventa fuerit sub palla vel corporali; et dubitatur si est consecrata vel non: debet eam post sumptionem sanguinis reverenter sumere, ut in titulo "de celebratione missæ" plenius invenies.

Item circa materiam sanguinis, vide ne sit agresta, vel vinum ita debile quod nullo modo habeat speciem vini; ne sit aqua rubea expressa de panno intincto in vino rubeo; ne sit acetum vel vinum omnino corruptum; ne sit claretum, vel vinum de moris aut malogranatis confectum: quia veram speciem vini non retinent.

Conficiens cum vino quod est in via corruptionis, vel ad corruptionem[1] gravissime peccat, licet conficiat; quoniam non retinet speciem vini.

[1] tendens.—13. 26.

Item cavendum est ne apponatur nisi modicum de aqua; quia si tantum poneretur quod speciem vini tolleret, non conficeretur.

Item, si qua hic desunt, requirantur in Summa et Lectura Hostiensis in titulo "de celebratione missarum."

Deo gratias.

[1]Incipit proprium festivitatum sanctorum [2]et sanctarum ad consuetudinem[2] ecclesiæ Sarum; et primo[1] in vigilia sancti Andreæ apostoli.

Ad Missam: Officium. Matt. 4

DÓMINUS secus mare Galilǽæ vidit duos fratres, Petrum et Andréam, et vocávit eos, veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Ps. 18 Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut beátus Andréas apóstolus tuum pro nobis implóret auxílium; ut a nostris reátibus absolúti a cunctis etiam perículis eruámur. Per.

Memoria fiat de martyribus, si ante Adventum hæc vigilia contigerit; si infra, nequaquam.

Oratio.

DEUS, qui nos beatórum martýrum tuórum Saturníni atque Sisinnii concédis natalítiis pérfrui, eórum nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

Epistola. Benedíctio Dómini ut in Communi, fol. 572.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

Si hæc vigilia in Dominica evenerit, dicitur sequens

Allelúya. ℣. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

et dicatur Missa in capitulo. Et hoc in omnibus Missis propriis de vigiliis quæ in Dominica contingunt, observetur, nisi in vigilia Nativitatis Domini tantum.

Evangelium: secundum Johannem. c. 1

IN illo témpore, Stabat Johánnes et ex discípulis ejus duo. Et respíciens Jesum ambulántem, dixit; Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Jesum. Convérsus autem Jesus, et videns eos sequéntes se, dixit eis; Quid quæritis? Qui dixérunt ei; Rabbi, (quod dícitur interpretátum, magíster) ubi hábitas? Dicit eis; Veníte et vidéte. Venérunt et vidérunt ubi manéret, et apud illum mansérunt die illo. Hora [3]autem[3] erat quasi décima. Erat autem Andréas frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audíerant a Johánne, et secúti fúerant eum. Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dixit ei; Invénimus Méssiam (quod est interpretátum, Christus). Et addúxit eum ad Jesum. Intúitus autem eum Jesus, dixit; Tu es Simon fílius Johanna: tu vocáberis Cephas (quod interpretátur Petrus). In crástinum autem vóluit exíre in Galilǽam, et invénit Philíppum. Et dicit ei Jesus; Séquere me. Erat autem Philíppus a Bethsáida, civitáte Andréæ et Petri. Invénit Philíppus Nathánael, et dicit ei; Quem scripsit Móyses in lege et prophétæ invénimus Jesum fílium Joseph a Názareth. Et dicit ei Nathánael; A Názareth potest áliquid boni esse? Dicit ei Philíppus; Veni et vide. Vidit Jesus Nathanaelem veniéntem ad se, et dixit de eo; Ecce vere Israelíta, in quo dolus non est. Dicit ei Nathánael; Unde me nosti?

[1] non habent 92 4L. 15. 57. Grad.
[2] secundum usum.—94. 97. 98.
[3] enim.—13. 15. 26.

Respóndit Jesus et dixit ei; Priúsquam te Philíppus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te. Respóndit ei Nathánael et ait; Rabbi, tu es Fílius Dei: tu es rex Israel. Respóndit Jesus et dixit ei; Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis? majus his vidébis. Et dicit eis: Amen, amen, dico vobis; vidébitis cœlum apértum et ángelos Dei ascendéntes et descendéntes supra Fílium Hóminis.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

SACRÁNDUM tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Andréæ [1]apóstoli tui[1] solémnia jejúniis et devótis offíciis recoléntes, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus. Per Dóminum. In unitate.

Alia Secreta.

OBLATUM tibi, Domine, munus pro beatorum martyrum tuorum Saturnini atque Sisinnii passione propitius assume; quod eorum intercessione majestati tuæ fiat acceptum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Johan. 1 Dixit Andréas Simóni fratri suo: invénimus Méssiam qui dícitur Christus: et addúxit eum ad Jesum.

Postcommunio.

PERCÉPTIS salutáribus sacraméntis humíliter te, Dómine, deprecámur, ut intercedénte beáto Andréa apóstolo tuo, quæ pro illíus veneránda [2]régimus[2] solemnitáte, nobis proficiant ad [3]salútem.[3] Per Dóminum.

Alia Postcommunio.

UT hæc communio nos, Domine, tua visitatione dignos efficiat, beati Saturnini martyris tui sociorumque ejus pia, quæsumus, intercessio semper imploret. Per Dominum. In unitate.

In die sancti Andreæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

MIHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Gloria Patri.

Si extra Adventum contigerit, dicitur Glória in excélsis. Si vero infra, non dicitur, sed post Orationem, scilicet Majestátem, fiat Memoria de Adventu et de Sancta Maria. Et hoc in omnibus festis sanctorum quæ infra Adventum contigerint, observetur.

Oratio.

MAJESTÁTEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

Ad Romanos. c. 10

FRATRES, Corde créditur ad justítiam, ore autem confésssio fit ad salútem. Dicit enim scriptúra; Omnis qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judæi et Græci. Nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] gerimus.—94.
[3] medelam.—94.

illum. Omnis enim quicúnque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo [1]ergo[1] invocábunt, in quem non credidérunt? aut quómodo credent ei quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? quomodo vero prædicábunt nisi mittántur? Sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona. Sed non omnes obédiunt evangélio. Esaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu; audítus autem per verbum Christi. Sed dico. Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terra verba eórum.

Gradale. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.
℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.
Allelúya. ℣. Diléxit Andréam Dóminus: in odórem suavitátis.

Sequentia.

SACROSANCTA hodiernæ
festivitatis præconia
Digna laude universa
cathegorizet Ecclesia.
Mitissimi sanctorum
sanctissima
extollendo merita;
Apostoli Andreæ
admiranda
præfulgentis gratia.
Hic, accepto a Johanne Baptista
Quia venisset qui tolleret peccata,
Mox ejus intrans habitacula
audiebat eloquia,
Inventoque fratre suo Bariona,
Invenimus ait ovans Messiam.
Et duxit eum ad [2]dulcifluam[2]
Salvatoris præsentiam,
Hunc perscrutantem maria
Christi vocavit clementia,
Artem piscandi commutans
dignitate apostolica.
Hujus animam post clara
festi Paschalis tempora
Sancti Spiritus præclara
perlustravit potentia,
Ad prædicandum populis pœnitentiam
Et Dei Patris per Filium clementiam.
Gratulare ergo tanto patre, Achaia,
Illustrata ejus salutari doctrina,
Honorata multimoda
signorum frequentia.
Et tu gemens plora,
trux carnifex Ægea;
Te lues inferna
et mors tenet æterna,
Et Andream felicia
per crucem manent gaudia.
Jam regem tuum spectas,
jam adoras
jam in ejus conspectu Andrea stas.
Odorem suavitatis
jam aspiras
quam divini amoris aromata dat.
Sis ergo nobis inclyta
Dulcedo spirans intima
Cœlestis vitæ balsama.

Sciendum est quod in omnibus festis ix. lectionum vel iii. lectionum cum regimine chori[3] dicatur Sequentia ad Missam, extra Septuagesimam usque ad Pascha; nisi in festis plurimorum Confessorum et in festo sancti Michaelis in monte Tumba. In octavis vero et infra, sive fuerint cum regimine chori sive non, Sequentia ad Missam

[1] sic 34. etc.—autem.—4L. 13. 26.
[2] lucifluam.—94.
[3] et in commemoratione beatæ Mariæ et sancti loci.—Grad.

non dicitur, nisi per octavas et in octavis [1]Visitationis,[1] Assumptionis, et Nativitatis beatæ Mariæ, et in Dominica infra octavas et in octavis Dedicationis ecclesiæ, et in octavis apostolorum Petri et Pauli.

Secundum Matthæum. c. 4

In illo témpore, Ambulans Jesus juxta mare Galiléæ, vidit duos fratres Simónem qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Erant enim piscatóres. Et ait illis; Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Et procédens inde, vidit álios duos fratres, Jacóbum Zebedéi et Johánnem fratrem ejus in navi cum Zebedéo patre eórum, reficiéntes rétia sua; et vocávit eos. Illi autem statim relíctis rétibus et patre, secúti sunt eum. Credo.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

Sacrifícium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, beáti Andréæ precátio sancta concíliet: ut cujus honóre solémniter exhibétur, ejus meritis efficiátur acceptum. Per Dóminum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Hæc Præfatio dicitur in omnibus festis apostolorum et evangelistarum, et per octavas apostolorum Petri et Pauli atque Andreæ; præterquam in festo sancti Johannis apostoli in hebdomada Nativitatis Domini. In octavis vero eiusdem dicetur et in festo ejusdem in Paschali tempore.

Communio. Matt. 4 Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum: at illi relíctis rétibus et navi secúti sunt Dóminum.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, beáti Andréæ festivitáte lætántes, quæ sicut tuis sanctis ad glóriam, ita nobis, quæsumus, ad véniam prodésse perfícias. Per Dóminum.

Per octavas dicitur Missa de sancto Andrea, sicut in prima die; sed sine Sequentia et Credo, et nisi Missa Salus pópuli restat cantanda; et nisi in sabbato, quando fit plenum servitium de sancta Maria; et nisi infra Adventum Domini. Infra Adventum vero nihil fiet de eo, præter memoriam, usque ad octavam diem; tunc enim de eo totum fiat servitium [2]nisi in sabbato vel in Dominica contigerit; et tunc dicitur Missa de octavis in capitulo.[2] Quando vero festum sancti Andreas a Dominica differtur in secundam feriam, tunc in sequenti[3] Dominica dicatur Missa de octavis in capitulo cum una Oratione. Similiter quando festum sancti Nicolai a Dominica differtur in secundam feriam, tunc in [3]ipsa secunda feria missa de octavis dicitur in capitulo, similiter[4] cum una Oratione. Eodem modo una Oratio tantum dicitur ad Missam quæ dicitur in capitulo in octavis sancti Laurentii, [5]atque ad missam de sancta Sabina.[5]

[1] non habent 92. 94. 98. 4L. 57. Grad.
[2] non habent 92. 98.
[3] sabbato vel.—Grad.
[4] sequenti dominica ipsa secunda feria, missa de ipsis octavis in capitulo dicitur.— Grad. (*Sed hic, ut alibi, minus accurate quam Missalia Graduale impressum esse videtur; verba enim* sequenti dominica *sensu carent*.)
[5] non habent 92. 94. 97. 98.

Sancti Osmundi, episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Osmúndi confessóris tui atque pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas; tuam súpplices exorámus cleméntiam, ut cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis ætérnæ vitæ remédia consequámur. Per.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia, Adest nobis ut in Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam péregre ut in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum, et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

PROPITIÁRE, Dómine, quæsumus, supplicatiónibus nostris; et, intercedénte pro nobis beáto Osmúndo confessóre tuo atque pontífice, his sacraméntis cœléstibus serviéntes, ab omni culpa líberos esse concéde; ut purificánte nos grátia tua, iísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per.

Communio. Matt. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine Deus noster, ut divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Osmúndo confessóre tuo atque pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

Sancti Nicolai episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit ei sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui beátum Nicoláum pontíficem tuum innúmeris decorásti miráculis, tríbue nobis, quæsumus, ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndibus liberémur. Per Dóminum.

Epistola. Ecce sacerdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia.

Congaudentes exsultemus
vocali concordia,
Ad beati Nicolai
festiva solemnia;
Qui in cunis adhuc jacens,
servando jejunia,
Ad papillas cœpit summa
promereri gaudia.
Adolescens amplexatur
literarum studia,
Alienus et immunis
ab omni lascivia.
Felix confessor cujus fuit
dignitatis vox de cœlo nuncia:
Per quam provectus præsulatus
sublimatur ad summa fastigia.
Erat in ejus animo
pietas eximia,
Et oppressis impendebat
multa beneficia.
Auro per eum virginum
tollitur infamia,
Atque patris earundem
levatur inopia.
Quidam nautæ navigantes
et contra fluctuum sævitiam luctantes
navi pene dissoluta:
Jam de vita desperantes,
in tanto positi periculo clamantes,
voce dicunt omnes una,
O beate Nicolae,
nos ad maris portum trahe,
de mortis angustia;
Trahe nos ad portum maris,
tu qui tot auxiliaris
pietatis gratia.
Dum clamarent nec incassum,
ecce quidam dicens, Assum
ad vestra præsidia.
Statim aura datur grata,
et tempestas fit sedata,
quieverunt maria.
Ex ipsius tumba manat
unctionis copia,
Quæ infirmos omnes sanat
per ejus suffragia.
Nos qui sumus in hoc mundo
vitiorum in profundo
jam passi naufragia,
Gloriose Nicolae,
ad salutis portum trahe,
ubi pax et gloria.
Ipsam nobis unctionem
impetres a Domino
prece pia,
Qua sanavit læsionem
multorum peccaminum
in maria.
Hujus festum celebrantes
gaudeant per sæcula,
Et coronet eos Christus
post vitæ [1]curricula.[1]

Evangelium. Homo quidam péregre proficíscens in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sanctifica, quæsumus, Domine, hæc munera, quæ in veneratione [2]sancti pontificis[2] tui Nicolai offerimus, ut per ea vita nostra inter adversa [3]ubique dirigatur et prospera.[3] Per Dominum.

Communio. Matt. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vi-

[1] pericula.—4L. 15.
[2] antistitis.—92. 98.
[3] ita 13. 26. et prospera ubique dirigatur.—94. 4L. 15. 57. et prospera dirigatur.—92. 98. ubique et prospera dirigatur.—97.

gilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SACRIFÍCIA quæ súmpsimus, Dómine, pro solemnitáte sancti pontíficis tui Nicolái, sempitérna, quæsumus, nos protectióne confírment Per Dóminum.

In octavis sancti Andreæ apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

IHI autem minis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Glória Patri.

Sicut erat.

Oratio.

PROTEGAT nos, quæsumus, Domine, sæpius beati Andreæ apostoli tui repetita solemnitas, ut cujus patrocinia pia devotione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus. Per Dominum.

Epistola. Fratres, Corde créditur ad justítiam ut in die fol. 384.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

Allelúya. ℣. Diléxit Andream Dóminus: in odórem suavitátis.

Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. c. 1

IN illo tempore, Postquam traditus est Johannes, venit Jesus in Galilæam prædicans evangelium regni Dei, et dicens, Quoniam impletum est tempus, et [1]appropinquabit[1] regnum Dei; pœnitemini et credite evangelio. Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare. Erant enim piscatores. Et dixit eis Jesus; Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum.

Offertorium. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

INDULGENTIAM nobis præbeant munera, quæsumus, Domine, largiorem, quæ [2]beati[2] Andreæ apostoli tui suffragiis offeruntur. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Domine.

Communio. Matt. 4 Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum: at illi relíctis rétibus et navi secúti sunt Dóminum.

Postcommunio.

PRÆBEAT nobis, Domine, quæsumus, beatus Andreas apostolus optatum præsidium, quo salutare nobis sumptum proficiat sacramentum. Per Dominum.

In conceptione beatæ Mariæ virginis.

Ad Missam: Officium.

AUDEÁMUS omnes in Dómino: diem festum celebrántes sub honóre Maríæ vírginis: de cujus conceptióne gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum dico ego ópera mea regi.

Gloria Patri.

Non dicitur Glória in excélsis.

[1] appropinquavit.—92. 97. 98. 57. V.
[2] venerabilis.—92. 97.

Oratio.

SUPPLICATIÓNEM servórum tuórum, Deus miserátor, exáudi; ut qui in conceptióne Dei genitrícis et vírginis congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúndem Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24

EGO quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et magnitudinis et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me; et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Memoria mea in generatione sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Gradale. Ps. 44 Audi fília et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere procéde, et regna.
Allelúya. ℣. Concéptio gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, orta de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Sequentia.

DIES iste celebretur
in quo pie recensetur
Mariæ conceptio:
Virgo mater generatur,
concipitur et creatur,
recta vena veniæ.
Adæ vetus exilium
et Joachim opprobrium
hinc habent remedia;
Hoc prophetæ præviderunt,
patriarchæ præsenserunt,
inspirante gratia;
Virgo florem conceptura,
stella solem paritura,
hodie concipitur;
Flos de virga processurus,
sol de stella nasciturus,
Christus intelligitur.
O quam felix et præclara,
nobis grata, Deo cara,
fuit hæc conceptio;
Terminatur miseria,
datur misericordia,
luctus cedit gaudio.
Nova mater novam prolem,
nova stella novum solem,
nova profert gratia;
Genitorem genitura,
Creatorem creatura,
Patrem parit filia.
O mirandam novitatem,
novam quoque dignitatem,
ditat matris castitatem
Filii conceptio;
Gaude virgo gratiosa,
virga flore speciosa,
mater prole generosa,
plene plena gaudio.
Quod præcessit in figura,
nube latet sub obscura,
hoc declarat genitura,
semel matris virgo pura,
pariendi vertat jura,
fusa mirante natura,
Deitatis pluvia;
Triste fuit in Eva væ;
sed ex Eva formans Ave,
versa vice, sed non prave,
intus zelans in conclave,
verbum bonum et suave;
nobis mater virgo fave,
tua frui gratia.
Omnis homo sine mora,

laude plena solvens ora,
istam colas, ipsam ora,
omni die, omni hora,
sit mens supplex, vox sonora,
sic supplica, sic implora,
hujus patrocinia;
Tu spes certa miserorum,
vere mater orphanorum,
tu levamen oppressorum,
medicamen infirmorum,
omnibus es omnia;
Te rogamus voto pari,
laude digna singulari,
ut errantes in hoc mari,
nos in portu salutari,
tua sistat gratia.

Initium sancti Evangelii: secundum Matthæum.

LIBER generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham autem génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob; Jacob autem génuit Judam et fratres eius, Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esrom; Esrom autem génuit Aram; Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naáson: Naáson autem génuit Salmon: Salmon autem génuit Booz de Raab. Booz autem génuit Obeth ex Ruth. Obeth autem génuit Jesse: Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam: Róboam autem génuit Abíam: Abía autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat: Jósaphat autem génuit Joram: Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham: Jóatham autem génuit Achaz: Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen: Manásses autem génuit Amon: Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis, Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel: Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Helíachim; Helíachim autem génuit Azor: Azor autem génuit Sadoch. Sadoch autem génuit Achim: Achim autem génuit Eliud; Eliud autem génuit Eleázar, Eleázar autem génuit Mathan; Mathan autem génuit Jacob; Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum et in sæculum sæculi.

Secreta.

UNIGÉNITI tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas; ut qui natus de vírgine integritátem matris non mínuit sed sacrávit, in conceptiónis ejus solémniis a nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram sibimet fáciat esse accéptam Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Præfatio. Et te in conceptióne.

Communio. Vera fides géniti purgávit crímina mundi:
et tibi virgínitas invioláta manet.

Postcommunio.

SÚMPSIMUS, Dómine, celebritátis ánnuæ votiva sacraménta; præsta, quæsumus, ut, intercedénte beáta María semper vírgine, et temporális vitæ nobis remédia præbeant et ætérnæ. Per.

Non dicitur Ite missa est.

Sanctæ Luciæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

EXÁUDI nos, Deus salutáris noster; ut sicut de beátæ Lúciæ vírginis tuæ et mártyris festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Epistola. Dómine Deus meus in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ.
Allelúya. ℣. 2 Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Sequentia. Exsultemus in hac die ut in Communi, fol. 607.

Evangelium. Simile est regnum cœlórum thesáuro in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

GRATANTER, Domine, quæsumus, munera dicanda intuere, quæ nomini tuo pro solemnitate sanctæ Luciæ virginis et martyris tuæ suppliciter immolamus. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

SANCTÆ Luciæ virginis et martyris tuæ nos, Domine, quæsumus, precatio tibi grata conciliet; ut per hæc sancta, quæ sumpsimus, salutaria sentiamus. Per.

In vigilia sancti Thomæ apostoli:

quære omnia in vigilia unius apostoli, in Communi, fol. 572. Si hæc vigilia in dominica, vel in quarta feria vel in sexta feria vel in sabbato Quatuor temporum evenerit, nihil ad Missam fiat de vigilia præter memoriam; sed in quacunque alia feria contigerit, de eadem vigilia dicatur Missa.

In die sancti Thomæ apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

IHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, beáti Thomæ apóstoli tui ita solemnitátibus gloriári, ut ejus semper et patrocíniis sublevémur et fidem cóngrua devotióne sectémur. Per Dóminum.

Epistola. Jam non estis ut in Communi, fol. 573.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum.
℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.
Allelúya. ℣. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Sequentia. Clare sanctorum in Communi, fol. 574.

Evangelium: secundum Johannem. c. 20

IN illo témpore, Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixérunt er-

go ei álii discípuli; Vídimus Dóminum. Hic autem dixit eis; Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus, jánuis clausis, et stetit in médio et dixit eis; Pax vobis. Deínde dixit Thomæ; Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incrédulus sed fidélis. Respóndit Thomas et dixit ei; Dóminus meus et Deus meus! Dixit ei Jesus; Quia vidísti me, Thoma, credidísti; beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui: in omni progénie et generatióne.

Secreta.

DÉBITUM, Dómine, nostræ réddimus servitútis, supplíciter exoránte ut, suffrágiis beáti Thomæ apóstoli tui, in nobis tua múnera tueáris, cujus honorándo confessiónem, laudis tibi hóstias immolámus. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Domine.

Communio. Johan. 20 Mitte manum tuam et cognósce loca clavórum, allelúya: et noli esse incrédulus sed fidélis, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PROSIT plebi tuæ, misericors Deus, divini perceptio sacramenti et intercessio beati Thomæ apostoli tui; ut salvationem mentis et corporis et incessabiliter expetat et affluenter accipiat. Per Dominum.

Sancti Felicis episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Gloria Patri.

Glória in excélsis.

Et dicitur in omni festo sanctorum extra Adventum, et a Septuagesima usque ad Pascha: præterquam in festo sanctæ Petronillæ virginis cum post octavas sanctæ Trinitatis et Corporis Christi evenerit; et in festo sancti Bertini abbatis, et sanctæ Theclæ virginis, et sancti Romani episcopi et confessoris, in quibus dicitur nocturnus.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sancti Felicis martyris tui atque pontificis exempla nos provocent; quatenus cujus solemnia celebramus, etiam actus imitemur. Per Dominum.

Epistola. Testificor in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Inveni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum.

Evangelium. Qui vos audit, me audit ut in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, beati Felicis martyris tui [1]atque pontificis[1] dicatas meritis benignus assume: et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus: corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

TUA sancta sumentes, Domine, suppliciter deprecamur, ut beati Felicis martyris tui [2]atque pontificis,[2] cujus celebramus solemnitatem, sentiamus protectionem. Per Dominum.

Sciendum est quod si aliquod festum trium lectionum vel octavæ sine regimine chori ab octavis Epiphaniæ usque ad [3]Quadragesimam,[3] et ab octavis Paschæ usque ad proximam dominicam ante Ascensionem Domini, et rursum [4]ab inceptione Deus ómnium[4] usque ad Adventum Domini, in sabbato contigerit; vel per totius anni spatium in dominicis sive in jejuniis Quatuor temporum vel in vigilia evenerit, nihil fiat ad Missam de sanctis, nisi tantum memoria, nisi quando dicitur Missa de aliquo sancto vel octavis in capitulo, unde aliquod proprium habetur, et tunc non dicitur ad Missam de die de eis memoria. In sabbato enim solet fieri totum servitium de sancta Maria, nisi festum ix. lectionum vel trium lectionum cum propriis Responsoriis vel Laudibus vel vigilia vel jejunium Quatuor temporum vel octavæ cum regimine chori impedierint; tunc enim fiat in aliqua feria ipsius hebdomadæ. In dominicis autem diebus Missa dominicalis cantatur, nisi [5]interim[5] festum vel octavæ cum regimine chori impediant: tamen si in ipsa dominica nova historia inchoanda fuerit, festum, si simplex fuerit, differatur, et Missa de dominica dicitur; nisi sit festum translationis sancti Edmundi episcopi, vel sancti Barnabæ apostoli, vel sancti Petri ad vincula, vel decollationis sancti Johannis Baptistæ, vel aliquod tale festum ix. lectionum quod in crastino non sequatur aliud festum ix. lectionum et si historia non fuerit duratura nisi per unam hebdomadam, et in ipsa hebdomada tot feriæ non vacaverint in quibus possit historia percantari, festum differatur, et missa de dominica dicatur.

In vigiliis vero et Quatuor temporibus semper dicatur missa de jejunio; cum moderatione tamen quæ est supra in vigilia sancti Andreæ. Quod si festum ix. lectionum ibi evenerit, missa de festo post tertiam dicitur; missa vero de jejunio post sextam; utraque ad principale altare; ita tamen quod diaconus et subdiaconus sint albis cum amictibus induti, absque tunicis vel casulis ad illam missam, scilicet de jejunio; utantur etiam clerici in choro cappis nigris,[6] et fiat prostratio post Sanctus more solito; et dicuntur preces feriales, licet duplex festum fuerit ipso die. Excipiuntur tamen quædam festivitates trium lectionum scilicet sanctorum Johannis et Pauli, Hippoliti sociorumque ejus, sancti Britii episcopi, et undecim [7]milia[7] virginum, secundum antiquum Ordinale; quæ si in sabbato contigerint, missa de eis di-

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] quinquagesimam.—94. 97.
[4] a festo sanctæ Trinitatis.—94. 97. 98.
[5] ita 15. etc. iterum.—4L. 8RM.
[6] ad missam de jejunio.—Grad.
[7] milium.—92. 97.15. 26.

citur, et missa de [1]commemoratione[1] beatæ Mariæ in aliqua feria ipsius hebdomadæ celebretur. Si vero quædam istarum festivitatum, ut est sanctorum Johannis et Pauli, Hippoliti, et sancti Britii, in dominica evenerint, [2]magna[2] missa de festis dicitur, et missa dominicalis in capitulo, nisi forte, ut supra dictum est, nova historia in ipsa dominica inchoanda fuerit: tunc enim missa de dominica dicetur, et hujusmodi festa in crastinum differentur.

Sancti Mauri abbatis et confessoris.

Ad Missam: Officium. Ps. 91

USTUS ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri.

Psalmus. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.

Oratio.

DEUS, qui æternæ gloriæ participem beatum Maurum Levitam atque abbatem fieri concessisti; concede nobis propitius, ipso intercedente, aditum regni cœlestis, cujus ad bene vivendum informamur exemplis. Per.

Epistola. Justus cor suum in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Eccli. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Evangelium. Nemo accendit ut in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

ECCLESIÆ tuæ, Domine, munera propitiatus sanctifica; et concede, ut per hæc veneranda commercia, intercedente beato Mauro confessore tuo atque abbate, pane cœlesti refici mereamur. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut [3]intercedente[3] beato Mauro confessore tuo atque abbate, et tua in nobis dona multiplices et tempora nostra disponas. Per.

Sancti Marcelli papæ et martyris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo.

Oratio.

PRECES pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; ut beáti Marcélli mártyris tui atque pontíficis méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Epistola. Omnis póntifex in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto unxi eum: manus

[1] conceptione.—92. 98. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 98. 4L. 57.
[3] interveniente.—92. 94.

enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.
℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.
Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

UT nostræ saluti munera oblata proficiant, sancti Marcelli martyris tui atque pontificis, Domine, quæsumus, obtineat intercessio salutaris. Per Dominum.

Communio. Matt. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus eum: euge, serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis: supra multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut sacramenti tui participatione vegetati, sancti quoque Marcelli martyris tui atque pontificis precibus adjuvemur. Per.

Sancti Sulpicii episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Sulpicii confessoris tui atque pontificis depositionem colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Epistola. Justum dedúxit in Communi, fol. 603.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus qui in diebus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem excélsi.
Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SUPPLICATIONIBUS nostris tibi, Domine, grata pariter existat oblatio: quam pro sancti Sulpicii confessoris tui atque pontificis commemoratione deferimus; atque indulgentiam nobis ejus suffragiis largiaris. Per.

Communio. Matt. 24 Fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

PRÆSTENT nobis, Domine, tua sancta præsidium; quæ interventionibus beati Sulpicii confessoris tui atque pontificis et meritis, nos [1]ab omnibus absolvant[1] peccatis. Per Dominum.

Sanctæ Priscæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

LOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

[1] absolvant a.—92. 94. 98. 4L. 57.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DA, quǽsumus, omnípotens Deus, ut qui beátæ Priscæ vírginis et mártyris tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Epistola. Dómine Deus meus in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
Allelúya. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

Evangelium. Simile est regnum cœlórum thesáuro in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis: in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

MUNERA nostra, quæsumus, Domine, gratanter assume; et per [1]interventionem[1] beatæ Priscæ virginis tuæ et martyris, omnium nostrum corda ad cultum veræ religionis converte. Per.

Communio. Ps. 118 Feci judícium et justítiam, Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

ADJUVENT nos, Domine, quæsumus, et hæc mysteria sancta quæ sumpsimus, et beatæ Priscæ virginis tuæ et martyris intercessio veneranda. Per.

Si festum alicujus sancti novem lectionum ab octavis Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, et ab octavis Paschæ usque ad Pentecosten, et a Deus ómnium usque ad Adventum Domini, in Dominica contigerit, fiat servitium de ipso sancto.

[2]Processio etiam in ipsa Dominica fiat de sancto cum novem Responsoriis communis Historiæ vel cum aliquo Responsorio de Historia ipsius, si propria habeatur. In redeundo, scilicet in introitu chori, dicitur aliqua Antiphona vel Responsorium de sancta Maria cum Versu et Oratione quæ tempori conveniant. Tamen si fuerit majus duplex alicujus sancti, tunc in eundo et redeundo fiat totum de sancto. Dominica vero infra octavas et in octava Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ, si Dominica fuerit, in eundo, de sancta Maria dicitur; in introitu chori, de omnibus sanctis, Antiphona. Salvátor mundi. ℣. Lætámini. Oratio. Infirmitátem nostram.

[1] intercessionem.—97.

[2] cætera notantur in die sancti Andreæ.—92. 98. 4L. 15.

Processio etiam in ipsa Dominica fiet de sancto cum novem Responsoriis de Historia ipsius sancti, si propria habeatur.—Grad.

Antiphonæ sic habentur in Processionalibus.

Salvator mundi; salva nos omnes; sancta Dei genetrix, virgo semper Maria, ora pro nobis, precibus quoque sanctorum apostolorum, martyrum, et confessorum, atque sanctarum virginum, suppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc et semper perfrui mereamur. V. Lætamini in Domino et exsultate justi.

Infirmitatem nostram quæsumus, Domine, propitius respice, et omnia mala quæ juste meremur, omnium sanctorum tuorum intercessione averte. Per Dominum.

Te gloriosus Apostolorum chorus, te prophetarum laudabilis numerus, te martyrum candidatus, laudat exercitus. Te omnes electi voce confitentur unanimes, Beata Trinitas, unus Deus.

Quando vero Antiphona. Salvátor mundi Dómine dicitur ad primas Vesperas, tunc ad processionem ante Missam dicitur Antiphona. Te gloriósus. cum prædictis Versu et Oratione de omnibus sanctis.[2]

Sancti Wlstani, episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

SPÍRITUM nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde; ut intercedénte beáto Wlstáno confessóre tuo atque pontífice, tuam mereámur dulcédinem in ætérna felicitáte gustáre. Per Dóminum. in unitáte.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus ut in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit a te et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Alleluya. ℣. Ps. 88 Invéni David servum meum óleo sancto meo unxi eum.

Sequentia. Alma cohors una laudum ut in Communi, fol. 598.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, súpplicis famíliæ tuæ munus oblátum, et quod rea speráre non audet consciéntia, intercedénte beáto Wlstáno, tua nobis largiátur indulgéntia. Per Dóminum.

Communio. Matt. 24 Beátus servus quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SALUTÁRIS tui, Dómine, mystério satiáti, súpplices implorámus cleméntiam tuam; ut pro nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti gubernári patrocínio. Per Dóminum.

Sanctorum Fabiani et Sebastiani martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

NTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: vindica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

DEUS, qui beatos martyres tuos Fabianum et Sebastianum virtute constantiæ in passione roborasti: ex eorum nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

Epistola. Sancti per fidem ut in Communi, fol. 586.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis: mirábilis in majestáte fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.

Alleluya. ℣. Ps. 144 Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent.

Si hoc festum ante Septuagesimam evenerit, dicitur Sequentia de Communi. Si vero infra, non dicitur Allelúya nec Sequentia sed Tractus; quod in omnibus festis novem lectionum observetur usque ad Passionem Domini. In festis vero sine regimine chori nunquam dicitur Tractus, sed Oradale repetatur. In festis autem duplicibus, tam infra Passionem quam extra, dicitur Tractus, nisi in festis Purificationis et Annunciationis beatæ Mariæ et Dedicationis.

Tractus. Ps. 125 Qui séminant in láchrymis in gáudio metent.
℣. Eúntes ibant et flebant: mitténtes sémina suo.
℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne: portántes manípulos suos.

Evangelium. Descéndens Jesus de monte in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspectu tuo, quæsumus, Domine, nostra devotionis oblatio; et eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum passione defertur. Per.

Communio. Luc. 5 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio.

SACRAMENTORUM tuorum, Domine, benedictione satiati, et beatorum martyrum tuorum Fabiani et Sebastiani gloriosa confessione muniti, te suppliciter exoramus, ut per hæc eadem a cunctis vitiis emundemur. Per Dominum.

Sanctæ Agnetis virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

E exspectavérunt peccatóres: ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via; qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas; concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per.

Epistola. Confitébor in Communi, fol. 606.

Gradale. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Veni, elécta mea, et ponam te in thronum meum quia concupívit rex spéciem tuam.

Sequentia. Exsultemus in Communi, fol. 607.

Si infra Septuagesimam, dicitur Tractus. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Audi fília et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Dómino.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus Domine, sacrificium, cujus te voluisti dignanter immolatione placari, et præsta, ut (intercedente beata Agnete virgine tua et martyre) hujus operatione [1]mundati,[1] beneplacitum tibi nostræ mentis servitium offeramus. Per Dominum.

Communio. Matt. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

DIVINO refecti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut (intercedente beata Agnete virgine tua et martyre) præsentis nobis vitæ subsidium et æternæ tribuas reperire lætitiam. Per.

Sancti Vincentii martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

LÆTÁBITUR justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii mártyris tui intercessióne liberémur. Per.

Epistola. Beátus vir qui in sapiéntia, in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Sequentia.

STOLA jocunditatis, alleluya,
Induit hodie Dominus
militem suum Vincentium;
Solito plaudat alacrius
concio læta fidelium.
Hodie martyr insignis
hostiam Deo placentem obtulit;
Hodie tormentum ignis
graviter examinatus pertulit.
Animatus ad certamen
monitu beati senis,
Gravissimis non refugit
exhibere membra pœnis.
Ante ducem accersitur,
et de fide convenitur
communis Ecclesiæ;
Sed non cedit blandimentis,
emollitur aut tormentis
ejus pertinaciæ.
Illuditur Dacianus,
dum sustinet martyr sanus
pœnarum angustias;
Dat minister caritatis
hostibus exsuperatis
gratiarum copias.
Furit igitur præfectus,
et paratur ardens lectus;
insultantis viscera
crates urit aspera;
Sudat martyr in agone

[1] mandati.— 94. 97. 13. 15. 26. 57.

spe mercedis et coronæ,
quæ datur fidelibus
pro Christo certantibus.
De cujus militia
cœli gaudet curia;
Quia vicit hodie
ministros nequitiæ.
Ut hunc ergo per patronum
consequamur vitæ donum,
In illius die festo
chorus noster lætus esto,
Jocundum in Ecclesia
decantans Alleluya.

Si infra Septuagesimam evenerit, dicitur Tractus sequens. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
℣. Quóniam prævenísti eum in [1]benedictióne[1] dulcédinis.
℣. Posuísti super caput ejus: corónam de lápide pretióso.

Evangelium. Nisi granum fruménti, in Communi, fol. 581.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Secreta.

GLORIOSI martyris tui Vincentii, Domine, quæsumus, interventione, hostiam quam offerimus tibi placitam effice et acceptam. Per Dominum.

Communio. Matth. 26 Qui vult venire post me: ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

Postcommunio.

BEATI Vincentii martyris tui, Domine, suffragiis exoratus, percepti sacramenti nos, quæsumus, virtute defende. Per Dominum. In unitate Spiritus Sancti.

[1] benedictionibus.—26.

In Conversione sancti Pauli.

Ad Missam: Officium.

ÆTEMUR omnes in Domino, hodiernum diem solemniter celebrantes, in quo beatus Paulus conversione sua præsentem mundum decoravit.

Psalmus. De illustratione sanctæ [2]prædicationis:[2] et de conversione beati Pauli.

Oratio.

DEUS, qui univérsum mundum beáti Pauli apóstoli tui prædicatióne docuísti; da nobis, quæsumus, ut qui ejus hódie conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per.

Memoria de sancto Præjecto martyre.

Oratio.

Sancti Præjecti martyris tui nos, quæsumus, Domine, interventio gloriosa commendet; ut quod nostris [3]actibus[3] non meremur, ejus precibus assequamur. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 9

IN diébus illis, Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut si quos [4]invenísset[4] hujus viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Hierúsalem. Et cum iter fáceret, cóntigit, ut appropinquáret Damásco. Et súbito circumfúlsit eum lux de cœlo, et cadens in terram audívit vocem dicéntem sibi; Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit; Quis es Dómine? Et ille; Ego sum Jesus, quem

[2] prædestinationis.—94
[3] meritis.—92. 98.
[4] inveniret.—97. 15. 26. 57.

tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens ac stupens dixit; Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad illum; Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum traféntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit neque bibit. Erat autem quidam discípulus Damásci, nómine Ananías. Et dixit ad illum in visu Dóminus; Ananía. At ille ait; Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum; Surge et vade in vicum qui vocátur rectus: et quære in domo Judæ Saulum nómine Tharsénsem; ecce enim orat. Et vidit virum, Ananíam nómine, introeúntem et imponéntem sibi manus, ut visum recípiat. Respóndit autem Ananías; Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Hierúsalem; et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus; Vade, quóniam vas electiónis mihi est iste, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus et fíliis Israel. Ego enim osténdam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati. Et ábiit Ananías et introívit in domum: et impónens ei manus dixit; Saule frater, Dóminus misit me Jesus qui appáruit tibi in via qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto. Et conféstim cecidérunt ab óculis ejus tanquam squamæ, et visum recépit. Et surgens baptizátus est; et cum accepísset cibum, confortátus est. Fuit autem cum discípulis qui erant Damásci per dies aliquot. Et contínuo ingréssus in synagógas, prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes qui eum audiébant, et dicébant; Nonne hic est qui expugnábat in Hierúsalem eos qui invocábant nomen istud? Et huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum. Saulus autem multo magis convalescébat, et confundébat Judæos qui habitábant Damásci, affírmans quóniam hic est Christus.

Gradale. Gal. 2 Qui operátus est Petro in apostolátum: operátus est et mihi inter gentes, et cognovérunt grátiam Dei quæ data est mihi.

℣. Grátia Dei in me vácua non fuit: sed grátia ejus semper in me manet.

Allelúya ℣. Magnus sanctus Paulus vas electiónis: vere digne est glorificándus.

Sequentia.

SOLEMNITAS sancti Pauli devote est recolenda,
Quem Dominus tanta ditavit gratia,
Ut doctor gentium ab omni vocetur Ecclesia.
Agnus de lupo, de persecutore evangelista;
Mutata sunt opera, [1]mutatur[1] et [2]onoma;[2]
Paulus nominatur
qui Saulus ante dictus fuerat,
Instigatus furia,
dirum virus efflabat,
strage sævissima
membra Christi sæviens torquebat.
Lux ætherea quem circumfulgens visu privat,
Spiritualem sed ei intuitum donat.
Colaphizat eum ne superbiat,
Sternit eum, sed ruentem relevat,
Dejectum increpat,
Increpans emendat,

[1] mutantur.—92. 94. 97. 98. 13.
[2] anoma.—13.

Fidei doctrinam commendat,
Defensorem Ecclesiæ ordinat,
Impugnator qui prius exstiterat,
Secreta mystica
Credenti revelat,
Quæ homini loqui non licebat.
Prius synagoga quem educaverat;
Postmodum lætatur mater Ecclesia.
Mysteria
Quæ noverat
Per totum iens orbem prædicat.
Venit Romam, Deum unum annunciat.
Nero resistit, qui colebat idola;
Morte dira
Illum necat,
Mundo exemptum mittit ad astra.
Quo nos Deus miserando perducat
Adjutos prece Pauli sancta. Alleluya.

Si infra Septuagesimam dicitur Tractus sequens. Tu es vas electiónis, sancte Paule apóstole: vere digne es glorificándus.
℣. Prædicátor veritátis et doctor géntium in fide et veritáte.
℣. Per te omnes gentes cognovérunt grátiam Dei.
℣. Intercéde pro nobis ad Deum qui te elégit.

Secundum Matthæum.
c. 19

In illo témpore, Dixit Simon Petrus ad Jesum; Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis; Amen amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius Hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet; et vitam ætérnam possidébit.
Credo.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimia honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

Beati Pauli apostoli tui precibus, quæsumus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica; ut quæ tibi grata tuo sunt instituto, gratiora fiant [1]ejus[1] patrocinio supplicantis. Per.

Alia Secreta de sancto Præjecto.

Suscipe, Domine, propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis: et (beati Præjecti martyris tui deprecatione) pietati tuæ perfice benignus acceptus. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Amen dico vobis quod vos qui reliquístis ómnia et secúti estis me: céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Salutari refecti mysterio, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hunc diem in beati Pauli apostoli [2]tui[2] conversione honorabilem haberi voluisti nos quoque conversos a vitiis in tua semper facias servitute gratulari. Per.

Alia Postcommunio de sancto Præjecto.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut beati Præjecti martyris tui solemnitate præsenti gratalamur mysterio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

Sancti Juliani episcopi.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in æternum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiæ tuæ beatum Julianum mirabilem tribuisti doctorem; concede propitius, ut hunc apud te [1]pium[1] semper mereamur habere intercessorem. Per Dominum.

Epistola. Dedit Dóminus. in Communi fol. 600.

Gradale. (fol. 597) Ecce sacérdos. ℣. Non est invéntus.
Allelúya. ℣. Amávit eum.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis, in Communi, fol. 599.

Offertorium. (fol. 599) Invéni David servum meum.

Secreta.

RESPICE, Domine, quæsumus, super hæc[2] quæ tibi offerimus, et (beati pontificis Juliani meritis) ab omnibus nos exue peccatis. Per Dominum.

Communio. (fol. 600) Beátus servus.

Postcommunio.

DIVINIS, Domine, repleti sacramentis, supplices deprecamur, ut (beati pontificis Juliani meritis) nos dignos facias cœlestibus institutis. Per.

Agnetis II.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátæ Agnetis mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

Epistola. Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Hæc est virgo sápiens: quam Dóminus vigilántem invénit.

Si hoc festum, vel aliquod aliud festum trium lectionum, infra Septuagesimam usqut ad Caput jejunii evenerit, non dicitur Allelúya post Epistolam nec Tractus, sed Gradale cum suo Versu tantum.[3]

Evangelium. Simile est regnum cœlórum decem, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

GRATA tibi sint, quæsumus, Domine, munera nostra; quibus sanctæ Agnetis virginis tuæ et martyris magnifica solemnitas recensetur. Per.

[1] ita 26. 34. etc. ipsum.—55P. 57.
[2] munera.—94. 97.
[3] Ita tamen quod idem Gradale post suum versum repetatur.—Grad.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia[1] sua et comparávit eam.

Postcommunio.

SUMPTA, quæsumus, Domine, sancta mysteria nos interius exteriusque conservent; et (intercedente beata Agnete [2]martyre tua[2]) præsentem nobis conferant clementiam et æternam. Per Dominum.

Sanctæ Batildis reginæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ pro consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

BEATÆ Batildis natalitia veneranda, Domine, quæsumus, Ecclesia tua devota suscipiat; et fiat magnæ glorificationis amore devotior, et tantæ fidei proficiat exemplo. Per Dominum.

Epistola. Sapiéntia vincit, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

UT hæc munera tibi, Domine, accepta sint, sanctæ Batildis obtineant merita; quæ seipsam tibi hostiam vivam, sanctam et beneplacentem exhibuit. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

REFECTI alimonia cœlesti, omnipotens Pater, quæsumus pietatem tuam: ut (intercessione sancta Batildis) misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per.

Sanctæ Brigidæ virginis.

Ad Missam: Officium. Vultum tuum deprecabúntur, ut supra in Officio præcedente.

Oratio.

SANCTÆ Brigidæ Virginis tuæ, Domine, quæsumus, precatio tibi grata nos adjuvet, et tuam nobis indulgentiam poscere non desistat. Per Dominum.

Epistola. Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem, in Communi, fol. 610.

[1] bona.—26.
[2] virgine et martyre tua.—94. virgine tua et martyre.—97.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

SACRIFICIIS, Domine, placatus oblatis (intercedente beata Brigida virgine tua) opem tuam [1]nobis,[1] quæsumus, temporibus nostris clementer impende. Per.

Communio. Matth. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

BEATÆ Brigidæ virginis tuæ precibus, fidelibus tuis, Domine, sumpta [2]munera[2] suffragentur; et quæ tibi placuit, nobis imploret auxilium. Per Dominum.

In Purificatione Beatæ Mariæ virginis

cantata hora sexta, fiat Benedictio luminis solemniter [3]a pontifice vel a sacerdote, cappa serica induto cum aliis indumentis sacerdotalibus, super supremum gradum altaris, converso ad orientem, sic incipiente.[3]







BENEDIC, ✠ Domine Jesu Christe, hanc creaturam [4]cerei,[4] supplicantibus nobis, et infunde ei per virtutem sanctæ crucis benedictionem cœlestem; ut qui eam ad repellendas tenebras humano usui tribuisti talem, signaculo sanctæ crucis tuæ fortitudinem et benedictionem accipiat, ut quibuscunque locis accensa sive apposita fuerit, discedat diabolus, et contremiscat et fugiat pallidus cum omnibus ministris suis de habitationibus illis, nec præsumat amplius inquietare











Et dicuntur omnes Orationes cum Orémus sub eodem tono. Non dicitur Dómi-

[1] non habent 92. 98.
[2] mysteria.—94.
[3] sub hac forma. Sacerdos cum suis ministris ad altare processionaliter accedat et ad summum gradum altaris stans conversus ad australem in capa serica cum aliis indumentis sacerdotalibus benedicat cereos et candelas sub manu sua dextera jacentes, hoc modo incipiens.—Grad.

Hæc Rubrica in Processionalibus quos vidimus cum Missali consentit; sacerdos autem ad australem non ad orientem versus, stare jubetur. Sed vide "Defensorium Directorii," apud Maskell ii 341; "Item illa rubrica non est vera, quæ dicit quod sacerdos benedicens candelas seu palmas stabit versus austrum, cum Ordinale Sarum dicat ad orientem."
[4] ceræ—92. 94. 98. 4L. 15.

nus vobíscum, nisi ante primam Orationem tantum.

Oremus.

DÓMINE, sancte Pater omnípotens ætérne Deus, qui ómnia ex níhilo creásti, et jussu tuo per ópera apum hunc liquórem ad perfectiónem cereórum veníre fecísti; et qui hodiérna die petitiónem justi Simeónis implésti; te humíliter deprecámur, ut has candélas ad usus hóminum et sanitátem córporum et animárum præparátas, sive in terra sive in aquis, per invocatiónem sancti nóminis tui et per intercessiónem sanctæ Maríæ semper vírginis cujus hódie festa devóte celebrántur, et per preces ómnium sanctórum tuórum bene✠dícere et sanctifi✠cáre dignéris; ut hujus plebis tuæ, quæ illas honorífice in mánibus portáre desíderat, teque laudándo exsultáre, exáudias voces de cœlo sancto tuo et de sede majestátis tuæ, et propítius sis ómnibus clamántibus ad te, quos redemísti pretióso sánguine Fílii tui. Qui tecum et cum Spíritu Sancto vivit et gloriátur Deus. Per ómnia sæcula sæculórum.

Respondetur Amen.

Orémus. Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentári voluísti; tuam súpplices deprecámur cleméntiam, ut hos céreos quos nos fámuli tui in tui nóminis magnificéntia suscipiéntes gestáre cúpimus, luce accénsos bene✠dícere et sanctificáre atque lúmine supérnæ benedictiónis accéndere dignéris, quátenus eos tibi Dómino Deo nostro offeréndo digni, et sancto igne dulcíssimæ tuæ claritátis succénsi, in templo sancto glóriæ tuæ repræsentári



mereámur.



















et sa - lu - ta-re, nos ti-bi semper et

u - bi-que gra-ti-as a-ge-re, Do-mi-ne

sancte Pa-ter omni-po-tens æ - terne

De-us, fons et o-rigo to-ti-us luminis,

qui mundum il-lustrasti lumine tu-æ

clari-ta-tis mittendo no-bis U-ni-geni-

tum tu - um per u-te-rum intemera-tæ

virgi-nis. Et quem longe an-te pro-

mi-sisti prophetarum o-ra-cu-lis, tem-

po-ri-bus no-vissimis mi-sis-ti lu-cem

popu-lis se-denti-bus in te-nebris. Te

ergo, Do-mi-ne, depre-ca-mur, ut has

cande-las no-mi-ni tu - o præpa-ra-tas

tu - a be-ne-dicti - one digne-ris bene-

✠di-ce-re qui nos trans-tu-lis-ti a

po-testa-te te-nebrarum in lu-cem di-

lecti Fi - li - i tu - i et regnum. Per

quem exortum est in te-nebris lumen

rectis corde et gaudi - um sa-lu-tis æ-

ternæ. Et qui jus-ti Si - me - o - nis

implesti exspec-ta-ti - o-nem, ut non

pri - us vi-de-ret mortem quam e-jus-

dem Christi Fi-li - i tu - i vi-si-bi-lem

in-car-na-ti - o - nem to-ti - us mundi

lumen et sa-lutem ; nos lumi-ne tu - æ

cla-ri - ta-tis sic re-ple - as, ut omnes

in-fi-de-li-ta-tis te-nebras a no-bis re-

pellas ; et si-cut servum tu-um hodi - e



Hic mutet vocem suam quasi legendo. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sǽcula sæculórum.

Respondetur. Amen.

Hic aspergantur candelæ aqua benedicta, et thurificentur. Deinde dicitur.

Dóminus vobíscum.

Orémus.

DOMINE, sancte Pater omnipotens, lumen indeficiens, qui es conditor omnium luminum, bene✠dic hoc lumen tuis fidelibus in honorem nominis tui portandum; quatenus a te sanctificati atque benedicti lumine tuæ claritatis accendamur et illuminemur; et propitius concedere digneris, ut veluti eodem igne quondam illuminasti Moysen famulum tuum, ita illumines corda nostra et sensus nostros, quatenus ad visionem æternæ claritatis pervenire mereamur. Per Christum Dominum.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Unigenitum tuum ante tempora de te genitum, sed temporaliter de Maria virgine incarnatum; lumen verum et indeficiens ad repellendas humani generis tenebras, et ad incendendum lumen fidei et veritatis misisti in mundum; concede propitius, ut sicut exterius corporali, ita etiam interius luce spirituali irradiari mereamur. Per eundem.

Peracta candelarum benedictione [1]accendantur candelæ et[1] distribuantur, et interim cantetur Antiphona, Lumen ad revelationem[2] Psalmus, Nunc dimittis. Totus Psalmus dicitur cum Glória Patri. et post unumquemque versum repetatur Antiphona.[3] Lumen ad revelationem.

In Purificatione Beatæ Mariæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 47

SUSCÉPIMUS Deus misericórdiam tuam in medio templi tui secúndum nomen tuum Deus: ita et laus tua in fines terræ, justítia plena est déxtera tua.

Psalmus. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus, ut sicut Unigénitus Fílius tuus hodiérna die

[1] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[2] gentium et gloriam plebis tuæ Israel.—Proc.
[3] ter.—26. Et si necesse fuerit, re-incipiatur Psalmus cum Antiphona. Sacerdos vero interim in stallo suo hebdomadario extra chorum se re-incipiat. (recipiat?)—Grad.

cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eundem.

Lectio Malachíæ prophétæ. c. 3

HÆC dicit Dóminus Deus, Ecce ego mitto ángelum meum qui præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum [1]sanctum[1] suum Dominátor quem vos quǽritis, et ángelus testaménti quem vos vultis. Ecce [2]enim[2] venit, dicit Dóminus exercítuum. Et quis póterit cogitáre diem advéntus ejus? Et quis stabit ad vidéndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullónum: Et sedébit conflans et emúndans argéntum; et purgábit fílios Levi. Et [3]conflabit[3] eos quasi aurum et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia. Et placébit Dómino sacrifícium Juda et Hierúsalem, sicut dies sæculi et sicut anni antíqui, Dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Ps. 47 Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui, secúndum nomen tuum, Dómine: ita et laus tua in fines terræ.

℣. Sicut audívimus ita et vídimus: in civitáte Dei nostri in monte sancto ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 137 Adorábo ad templum sanctum tuum et confitébor nómini tuo.

Hac die dicitur Sequentia, licet infra Septuagesimam hoc festum contigerit.

Sequentia.

HAC clara die turma
festiva dat præconia,
Mariam concrepando
symphonia nectarea.
Mundi domina quæ es sola
castissima virginum Regina;
Salutis causa, vitæ porta,
atque cœli referta gratia.
Nam ad illam sunt nuncia
olim facta angelica,
Ave Maria gratia
Dei plena per sæcula.

Versus præcedens ter dicitur, hac die tantum.

Mulierum pia agmina intra semper benedicta,
Virgo et gravida mater intacta, prole gloriosa.
Cui contra Maria hæc reddit famina,
In me quomodo tua
jam fient nuncia?
Viri novi [4]nullam[4] certe [5]copulam,[5]
Ex quo atque nata
sum incorrupta.
Diva missus ita
reddit affata;
Flatu sacro plena
fies, Maria,
Nova efferens gaudia
cœlo terræ nati per exordia.
Intra tui uteri claustra
portans qui gubernat [6]æthera,[6]
Omnia qui dat tempora pacifica.[7]

Tunc sacerdos et ejus ministri in sedibus juxta altare privatim dicant Tractum. Luc. 2

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine: secúndum verbum tuum in pace:

℣. Quia vidérunt óculi mei: salutáre tuum;

℣. Quod parásti: ante fáciem ómnium populórum;

[1] non habent 92. 98. V.
[2] non habent 92. 97. 98. V.
[3] colabit.—92. V. colocabit.—98.
[4] nulla.—92. 94. 97. 98. 4L.
[5] copula.—92. 98. 4L. commercia.—94. 97.
[6] æterna.—98. 57. 4L.
[7] Semper dicitur ista Sequentia in choro, licet hoc festum infra Septuagesimam evenerit; sed—Grad.

℣. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ, Israel.

Secundum Lucam. c. 2

In illo témpore, Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Moysi, tulérunt Jesum in Hierúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini; Quia omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur. Et ut darent hóstiam, secúndum quod dictum est in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbárum. Et ecce homo erat in Hierúsalem, cui nomen Símeon, et homo isto justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israel, et Spíritus Sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in Spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum et dixit; Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. Quod parásti ante fáciem ómnium populórum. Lumen ad revelatiónem géntium: et glóriam plebis tuæ Israel.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum et in sæculum sæculi.

Secreta.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut hodierna die munera veneranda Filii tui oblatione consecrantur; sic (ipsius gloriosæ genitricis precibus) sempiterni luminis nobis claritas conferatur. Per eundem.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Communio. Luc. 2 Respónsum accépit Símeon a Spíritu Snncto non visúrum se mortem: nisi vidéret Christum Dómini.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine Deus noster, ut sacrosáncta mystéria quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti; (intercedénte beáta semper vírgine María) et præsens nobis remédium esse fácias et futúrum. Per Dóminum.

Sancti Blasii episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

Sacerdótes Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

Beatus martyr tuus Blasius, Domine, nobis misericordiæ tuæ imploret auxilium; ut cujus festa celebramus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Epistola. Omnis póntifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.

Evangelium. Nihil opértum, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Majestati tuæ, Domine, hostiarum oblationes offerimus; precantes, ut

(intercessione beati Blasii martyris tui atque pontificis) fiant acceptæ, in quo Filii tui Domini nostri Jesu Christi dilectio flagravit. Qui tecum.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus: corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

MYSTERIA, quæsumus, Domine, quæ in sancti Blasii martyris tui atque pontificis commemoratione sumpsimus, nos tueantur; cujus hodie devotis officiis recolimus passionem. Per.

Sanctæ Agathæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Agathæ mártyris, de cujus passióne gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula etiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti; concéde propítius ut qui beátæ Agathæ [1]vírginis et[1] mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Epistola. Confitébor, in Communi, fol. 606.

Gradale. Ps. 45 Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Flúminis ímpetus lætificat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúya. ℣. 2 Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Sequentia. Exsultémus, vel Tractus, Diffúsa est, in Communi, fol. 607.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

IN commemoratione beatæ Agathæ virginis tuæ et martyris, altaria tua, Domine, mysticis muneribus cumulamus; majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut (ipsius adjuvantibus meritis) cunctis mereamur carere contagiis. Per.

Communio. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre et mamíllam meam meo péctori restitúere: ipsum ínvoco Deum vivum.

Postcommunio.

CŒLESTI refectam mysterio, tuere, quæsumus, Domine, familiam tuam; ut (intercedente beata Agatha virgine tua et martyre) salutis æternæ remedia, quæ te [2]aspirante[2] requirimus, te largiente consequamur. Per Dominum.

Sanctorum Vedasti et Amandi episcoporum.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Psalmus. Meménto Dómine David: et omnis mansuetúdinis ejus.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] inspirante.—4L. 26. 57.

Oratio.

ADESTO, Domine, populo tuo cum sanctorum confessorum tuorum atque pontificum Vedasti et Amandi tibi patrocinio supplicanti: ut quod propria fiducia non præsumit, intercessorum tibi placentium meritis consequatur. Per Dominum.

Epistola. Plures facti sunt, in Communi, fol. 604.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultabunt.
℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.
Allelúya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi: et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Evangelium. Sint lumbi, in Communi, fol. 604.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

HOSTIAS laudis, Domine, tuis altaribus adhibemus, quas eorum tibi patrociniis commendandas suppliciter exoramus; in quorum veneratione pietati tuæ hæc sacrificia offerimus. Per.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo ut eátis et fructum afferátis: et fructus vester máneat.

Postcommunio.

SUMENTES, Domine, divina mysteria, quæsumus, ut (sanctorum confessorum tuorum atque pontificum Vedasti et Amandi precibus) sanctificationem nobis jugiter operentur. Per Dominum.

[1] intercedente.—94. 97. 98.

Sanctæ Scholasticæ virginis.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui beátæ vírginis tuæ Scholásticæ ánimam ad ostendéndam innocéntiæ viam in colúmbæ spécie cœlos penetráre fecísti: da nobis, quæsumus, (ejus méritis) ita innocénter vívere ut ad eádem mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Epistola. Sapiéntia vincit in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ.
Allelúya. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, desideria supplicantium fidelium cum oblationibus hostiarum; ut (interveniente[1] beata Scholastica virgine tua, quæ te sincere dilexit amore) nec fides in nobis torpeat, nec caritas tepescat. Per.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, spirituali cibo satiatam, beatæ virginis tuæ Scholasticæ meritis, propitius respice; ut sicut ipsius precibus ad obtinendum quod [1]concupivit,[1] imbrem cœlitus descendere fecisti; ita (ejus supplicationibus) ariditatem cordis nostri supernæ digneris gratia robore perfundere. Per.

Sancti Valentini episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 20

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Psalmus. [2]Quóniam praveníst eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.[2]

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Valentíni mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per.

Epistola. Beátus vir qui invéntus in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúya. ℣. Jacob. c. 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Evangelium. Si quis vult post me veníre in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

SACRIFICIUM, Domine, quod offerimus gratum tibi, quæsumus, beatus martyr Valentinus suffragator efficiat. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

QUOS cœlesti, Domine, substantia recreasti, (beati Valentini martyris tui mentis) a cunctis, quæsumus, exue propitiatus adversis. Per Dominum.

Sanctæ Julianæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

LOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis ut fortia quæque confundas; da nobis in festivitate sanctæ martyris tuæ Julianæ congrua devotione gaudere; ut et potentiam tuam in ejus passione laudemus, et provisum nobis percipiamus auxilium. Per.

Epistola. Dómine Deus meus in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

[1] cupivit.—92. 98. 4L. 15.
[2] Et in voluntate ejus: non fraudasti eum.—94. 97. 98.

Allelúya. ℣. Hæc est virgo sápiens: quam Dóminus vigilántem invénit.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo ástitit regína a dextris tuis: in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

In sanctæ martyris tuæ Julianæ passione [1]pretiosa[1] te, Domine, mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus; præsta, quæsumus, ut sicut ejus tibi grata sunt merita, sic nostræ servitutis accepta reddantur officia. Per Dominum.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia bona sua et comparávit eam.

Postcommunio.

Libantes, Domine, mensæ tuæ beata mysteria, quæsumus, ut (sanctæ Julianæ martyris tuæ intervenientibus meritis) et temporalem nobis misericordiam tribuas et æternam. Per.

Cathedra sancti Petri.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum; ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáto Petro apóstolo tuo collátis clávibus regni cœléstis ánimas ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti; concéde propítius, ut intercessiónis ejus auxílio a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Lectio epistolæ beati Petri apostoli. 1 c. 1

Petrus apóstolus Jesu Christi eléctis ádvenis dispersiónis Ponthi, Galáthiæ, Capadóciæ, Asiæ, et Bithíniæ, secúndum præsciéntiam Dei Patris in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam et aspersiónem sánguinis Jesu Christi: grátia vobis et pax multiplicétur. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum magnum misericórdiam suam regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis in hereditátem incorruptíbilem et incontaminátam [2]et immarcescíbilem conservátam[2] in cœlis in vobis qui in virtúte Dei custodímini per fidem, in salútem parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis [3]tentatiónibus,[3] ut probátio fídei vestræ multo pretiósior sit auro quod per ignem probátur; inveniátur in laudem et glóriam et honórem, in revelatiónem Jesu Christi Dómini nostri.

Gradale. Ps. 106 Exáltent eum in ecclésia plebis: et in cáthedra seniórum laudent eum.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum.

Tractus. Matth. 16 Tu es Petrus: et super hanc petram ædificábo ecclésiam meam.

℣. Et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cœlórum.

[1] gloriosa.—94.
[2] non habet 26.
[3] tribulationibus.—92. 97. 98. 4L.

℣. Quodcúnque ligáveris super terram: erit ligátum et in cœlis.
℣. Et quodcúnque sólveris super terram erit solútum et in cœlis.

Evangelium: secundum Matthæum. c. 16

In illo témpore, Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi: et interrogábat discípulos ejus dicens; Quem dicunt hómines esse Fílium Hóminis? At illi dixérunt; Alii Johánnem Baptístam, álii autem Helíam, álii vero Hieremíam, aut unum ex prophétis. Dixit illis Jesus; Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens autem Simon Petrus, dixit; Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei; Beátus es Simon Bariona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum. Et quodcúnque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis. Et quodcúnque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui in omni progénie et generatióne.

Secreta.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces et múnera beáti Petri apóstoli tui comméndet orátio; ut quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 16 Tu est Petrus: et super hanc petram ædificábo ecclésiam meam.

Postcommunio.

Lætíficet nos, Dómine, quæsumus, munus [sumptum;[1] ut sicut in apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus, sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

Sancti Matthiæ apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

Deus, qui beátum Matthíam apostolórum tuórum collégio sociásti; tríbue, quæsumus, ut ejus interventióne tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per Dóminum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 1

In diébus illis, exsúrgens Petrus in médio fratrum dixit. Erat autem turba hóminum simul fere centum víginti. Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram quam prædíxit Spíritus Sanctus per os David, de Juda qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum: qui connumerátus erat in nobis et sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, et suspénsus crépuit médius: et diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Hierúsalem, ita ut appellarétur ager ille lingua eórum, acheldemach, hoc est, ager sánguinis. Scriptum est enim in libro psalmórum: Fiat commorátio ejus desérta, et non sit qui inhábitet in ea: et episcopátum ejus accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris qui nobíscum congregáti sunt in

[1] oblatum.—94.

omni témpore, quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens a baptísmate Johánnis usque in diem qua assúmptus est a nobis testem resurrectiónis ejus nobíscum fíeri unum ex istis. Et statuérunt duos, Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, et Matthíam. Et oántes dixérunt; Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde, quem elégeris ex his duóbus unum accípere locum ministérii hujus, et apostolátus, de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis et cécidit sors super Matthíam. Et annumerátus est cum úndecim apóstolis.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, nimis confortátus est principátus eórum.
℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.
Tractus. Ps. 101 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Evangelium: secundum Matthæum. c. 11

In illo témpore, Respóndens Jesus, dixit; Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater; quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est: et onus meum leve.

Credo.

Offertorium. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

Deus, qui proditoris apostatæ ruinam, ne apostolorum tuorum numerus sacratus perfectione careret, beati Matthiæ electione supplesti; præsentia munera sanctifica, et per ea nos gratia tuæ virtute confirma. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel: dicit Dóminus.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens et misércors Deus, ut per hæc sancta quæ súmpsimus (interveniénte beáto Matthía apóstolo tuo) véniam consequámur et pacem. Per Dóminum.[1]

Sancti Davidis episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Davidis confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

[1] Rubrica, "Si aliquod . . . memoria," quæ legitur inferius (in fol. 419) post Proprium Sanctorum Perpetuæ et Felicitatis, hic datur in 97. 98.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, præveníst eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Tractus. Beátus vir ut supra in Officio præcedenti.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

RESPICE, quæsumus, Domine, munera populi tui in beati confessoris tui atque pontificis honore oblata: et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis, sancti Davidis confessoris tui atque pontificis attolle benignus suffragiis; ut nostræ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per Dominum.

Sancti Ceddæ episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei benedícite Dóminum, sancti et húmiles corde laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite, ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos beáti Ceddæ confessóris tui atque pontíficis hodiérna festivitáte lætíficas, tuam súpplices exorámus cleméntiam, ut cujus solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiis vitæ ætérnæ remédia consequámur. Per.

Epistola. Diléctus Deo et homínibus in Communi, fol. 596.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem excélsi.

Tractus. Beátus vir ut supra in Officio sancti Gregorii.

Evangelium. Vidéte, vigiláte in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris, et (intercedénte pro nobis beáto Cedda confessóre tuo atque pontífice) his sacraméntis cœléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde, ut, purificánte nos tua grátia, eísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per.

Communio. Matth. 25 Dómine quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis supra multa te constítuam intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine Deus noster, ut divínis mystériis expiáti, (intercedénte beáto Cedda confessóre tuo atque pontífice) ad supérni plenitúdinem

sacraménti cujus libávimus sancta tendámus. Per Dóminum.

Sanctarum Perpetuæ et Felicitatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis, adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, [1]Domine[1] Deus noster, sanctarum [2]martyrum[2] tuarum Perpetuæ et Felicitatis palmas incessabili devotione venerari; ut quas digna mente non possumus imitari, [3]humillimis[3] saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Epistola. De virgínibus in Communi, fol. 610.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

INTENDE, quæsumus, Domine, munera altaribus tuis pro sanctarum martyrum tuarum Perpetuæ et Felicitatis commemoratione proposita; ut sicut per [4]hæc[4] beata mysteria illis gloriam contulisti, sic nobis indulgentiam largiaris et gratiam. Per.

Communio. Matth. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus; média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

SANCTARUM martyrum tuarum Perpetuæ et Felicitatis festivitate, et sacramenti divini munere vegetati, quæsumus, Domine, ut sicut bonis tuis per tuam gratiam temporaliter fovemur, ita perfruamur æternis. Per.

Si aliquod festum iii. lectionum a Capite jejunii usque in crastinum octavarum Paschæ contigerit, nihil inde fiat; nec etiam memoria.[5]

Patricii episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

[1] non habent 94. 97. 98.
[2] non habent 94. 97. 98.
[3] humilibus.—92. 94. 97. 98. 4L.
[4] non habent 94. 97. 98.
[5] S. Davidis et S. Ceddæ Propria hic inseruntur in 92. 57. Transponuntur illa de Sanctis Gregorio et Patricio in 94. 97. 98; et de S. Patricio non datur in 92. Grad.

[1]Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Patricii confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Tractus. Beátus vir etc. ut in Officio sequenti.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

RESPICE, quæsumus, Domine, munera populi tui in beati Patricii confessoris tui atque pontificis honore oblata; et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis, sancti Patricii confessoris tui atque pontificis attolle benignus suffragiis; ut nostræ redemptionis effectum, et mysteriis capiamus et moribus. Per.[1]

Sancti Gregorii Papæ.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui ánimæ fámuli tui Gregórii ætérnæ beatitúdinis prǽmia contulísti; concéde propítius, ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te [2]patrocíniis[2] sublevémur. Per Dominum.

[1] Oratia non Sarum.

Deus, qui beatum Patricium Hiberniæ apostolum signis multimodis decoratum ad cœlestem gloriam transtulisti; præsta, quæsumus, ut (ejus meritis et precibus adjuti) æternæ beatitudinis præmia consequamur. Per.

Epistola. Ecce sacerdos.

Gradale. Domine prævenisti.

Tractus. Beatus vir.

Evangelium. Homo quidam peregre.

Offertorium. Veritas mea.

Secreta.

Hanc hostiam, omnipotens Deus et Pater, nobis beati Patricii confessoris tui atque pontificis reddat deprecatio profutura, quam in ejus honore hodiernæ diei tuæ offerimus majestati. Per Dominum.

Communio. Fidelis servus.

Postcommunio.

Cœlestibus refecti sacramentis et gaudiis, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut ea quæ (in veneratione beati Patricii confessoris tui atque pontificis) tuæ obtulimus majestati, in nostræ proficiant salvationis augmentum. Per.—94. 97. 98.

[2] intercessionibus.—94. 97. 98.

Epistola. Dedit Dóminus in Communi, fol. 600.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Tractus. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus; generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Veritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

INTERCESSIO, quæsumus, Domine, beatissimi Gregorii confessoris tui atque pontificis, misericordiæ tuæ munera nostra conciliet; ut quod merita nostra non valent, ejus deprecatio nobis obtineat. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens quem constítuit dóminus super famíliam suam: at det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

CORPORIS sacri pretiosique sanguinis[1] repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus (intercedente beato Gregorio confessore tuo atque pontifice) certa redemptione capiamus. Per.

Sancti Edwardi regis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

DEUS, ætérni triumphátor impérii, famíliam tuam propítius réspice, martýrium regis celebrántem Edwárdi; et præsta, ut sicut illum múnere glorificáre dignáris cœlésti, ita nos (ejus obténtu) ætérnæ felicitáti fácias dignánter ascribi. Per.

Epistola. Beátus vir qui invéntus in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Tractus. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
℣. Quóniam prævenísti eum: in benedictióne dulcédinis.
℣. Posuísti super caput ejus: corónam de lápide pretióso.

Evangelium. Si quis venit ad me in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

INTUÉRE, quæsumus, [2]ætérne[2] Deus, ad nostræ humilitátis hóstiam tibi in

[1] tui.—94. 97. 98.
[2] Domine.—94. 97. 98.

honóre tui mártyris ac regis Edwárdi oblátam; quam tibi sacram oblatiónem mirábili dispensatióne effícere voluísti; et concéde nobis (illíus précibus) ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20 Magna est gloria ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SANCTA tua nos, Dómine, sumpta purí-ficent, et (beáto mártyre tuo ac rege Edwárdo intercedénte) ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perdúcant. Per Dóminum.

Sancti Cuthberti episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui per inæstimábile munus grátiæ tuæ sanctos tuos facis esse gloriósos; præsta, quæsumus, ut (interveniénte beáto Cuthbérto confessóre tuo atque pontífice) mereámur ad culmen virtútum perveníre. Per Dóminum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem excélsi.

Tractus. Beátus vir in Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SÚSCIPE, Dómine, quæsumus, hóstiam redemptiónis humánæ, et (intercessióne beáti Cuthbérti confessóris tui atque pontíficis) salútem nobis mentis et córporis placátus operáre. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem; amen dico vobis: super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SANCTA tua, quæsumus, Dómine, quæ súmpsimus, nos sua virtúte tueántur, et (intercedénte beáto Cuthbérto confessóre tuo atque pontífice, cujus vita gloriósa effúlsit) in pace nos et sanctitáte custódiant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per.

Sancti Benedicti abbatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejua loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hodierna die carnis eductum ergastulo beatissimum confessorem tuum Benedictum sublevasti ad cœlum; concede, quæsumus, hæc festa tuis famulis celebrantibus cunctorum veniam delictorum, ut qui

exsultantibus animis ejus claritati congaudent, ipso apud te interveniente consocientur et meritis. Per.

Epistola. Justus cor suum tradet in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.
℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus. Desidérium ánimæ ejus ut supra in Officio Sancti Edwardi. (fol. 421)

Evangelium. Nemo accéndit in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

OBLATIS, Domine, ob honorem beati Benedicti confessoris tui atque abbatis placare muneribus; et (ipsius interventu) cunctorum nobis indulgentiam tribue peccatorum. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem; amen dico vobis: super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

PRÆSTET nobis, Domine, tui perceptio sacramenti, intercedente beato Benedicto confessore tuo atque abbate; ut et conversationis ejus imitemur exempla, et pertingamus ad præmia. Per Dominum.

Si festum Sancti Edwardi vel Sancti Cuthberti aut Sancti Benedicti, infra Passionem evenerit, nihil fiet de eis usque ad translationem eorundem.

In Annunciatione beatæ Mariæ virginis.

Ad Missam: Officium. Esai. 45

ORÁTE cœli désuper: et nubes pluant justum: aperiátur terra: et gérminet salvatórem.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Et justítia oriétur simul: ego Dóminus creávi eam.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ[1] vírginis útero Verbum tuum ángelo nuntiánte carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui vere eam Dei genitrícem crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúndem.

Lectio Esaiæ prophetæ. c. 7

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens; Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz; Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit; Audíte ergo domus David; Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Gradale. Ps. 23 Tóllite portas príncipes vestras: et elevámini portæ æternáles, et introíbit rex glóriæ.
℣. Quis ascéndet in montem Dómini: aut quis stabit in loco sancto ejus? ínnocens mánibus et mundo corde.

In tempore Paschali.

Allelúya. ℣. Luc. 1 Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

[1] semper.—92. 4L. 57.

Secundum Allelúya erit unum de [1]subscriptis in Officio sequenti, scilicet sancti Richardi.[1]

Hac die dicatur ista Sequentia, licet in Quadragesima contigerit.

Sequentia.

Ave mundi spes, Maria,
ave mitis, ave pia,
ave plena gratia;
Ave virgo singularis,
quæ per rubum designaris,
non passum incendia.
Ave rosa speciosa,
ave Jesse virgula,
Cujus fructus nostri luctus
relaxabat vincula.
Ave carens simili;
mundo diu flebili
reparasti gaudium;
Ave cujus viscera
contra mortis fœdera
ediderunt Filium.
Ave virginum lucerna,
per quam fulsit lux superna
his quos umbra tenuit;
Ave virgo de qua nasci
et de cujus lacte pasci
Rex cœlorum voluit.
Ave gemma, cœli luminarium;
Ave Sancti Spiritus sacrarium.
O quam mirabilis,
et quam laudabilis,
hæc est virginitas;
In qua per Spiritum
facta Paraclitum
fulsit fecunditas.
O quam sancta, quam serena,
quam benigna, quam amœna,
esse virgo creditur,
Per quam servitus finitur,
porta cœli aperitur,
[2]necnon[2] libertas redditur.
O castitatis lilium,
tuum precare Filium,
[3]qui salus est[3] humilium;
Nec nos pro nostro vitio
in flebili judicio,
subjiciat supplicio;
Sed nos tua sancta prece
mundans a peccati fæce,
Collocet in lucis domo;
amen dicat omnis homo.

Tunc sacerdos et ejus ministri in sedibus juxta altare privatim dicant Tractum sequentem.

Tractus. Luc. 1 Ave María, grátia plena, Dóminus tecum.

℣. Benedícta tu in muliéribus: et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te: et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℣. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei.

Evangelium: secundum Lucam. c. 1

In illo témpore, Missus est ángelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus ángelus ad eam, dixit; Ave grátia plena: Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne eius, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait ángelus ei; Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum. Ecce concípies in útero et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur; et dabit illi Dóminus Deus sedem David

[1] illis quæ scribuntur post Officium Quasi modo geniti.—92. 94. 97. 98. 57.
[2] et.—92. 94. 97. 98.
[3] ita 55P. etc. quæ s. es.—4L. 13. 15. 26.

patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad ángelum; Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens ángelus, dixit ei; Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua. Et hic mensis est sextus illi quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María; Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum.

Offertorium. Luc. 1 Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

In méntibus nostris, quæsumus, Dómine, veræ fídei sacraménta confírma; ut qui concéptum de vírgine, Deum verum et hóminem fírmiter confitémur; per ejúsdem salutíferæ incarnatiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per eúndem.

Præfatio. Et te in annunciatióne.

Communio. Esai. 7 Ecce virgo concípiet et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui ángelo nuntiánte Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem.

Si hoc festum in aliqua Dominica xl. evenerit, semper differatur in crastinum. Cum vero infra Passionem extra Dominicam contigerit, ibi solemniter celebretur. Si autem in die Cœnæ vel in duobus diebus sequentibus sive in hebdomada Paschæ evenerit,[1] in proxima feria vacante post octavas Pascha ubi convenientius potest celebrari, celebretur.

Et hoc eodem modo fiat de cæteris festis duplicibus, tempore prædicto contingentibus: et semper infra xl. quando fit servitium de aliquo sancto novem lectionum, Missa de festo post Tertiam dicitur, Missa vero de jejunio post Nonam; utraque ad principale altare; et fiat prostratio post Sanctus, et dicuntur feriales preces more solito ad illam Missam de jejunio, licet duplex festum fuerit.

Sancti Richardi episcopi.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam méritis beáti Richárdi confessóris tui atque pontíficis, fecísti miráculis coruscáre gloriósis: concéde nos fámulos tuos (ipsíus intercessióne) ad ætérnæ beatitúdinis glóriam perveníre. Per Dóminum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

[1] secundum usum Ecclesiæ Sarum—94. 97. 98. Grad.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Tractus. Beatus vir in Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

In tempore Paschali. (fol. 597.)

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Secundum Allelúya erit unum de [1]subscriptis. (fol. 230.)

Alleluya. ℣. Luc. 24 Mane nobíscum, Dómine, quia declináta est jam dies ad vésperum.

Allelúya. ℣. Oportébat pati Christum et resúrgere a mórtuis, et ita intráre in glóriam suam.

Allelúya. ℣. Rom. 6 Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur: more illi ultra non dominábitur.

Allelúya. ℣. Surréxit altíssimus de sepúlchro; qui pro nobis pepéndit in ligno.

Allelúya. ℣. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo: quem redémit ipse sánguine suo.

Allelúya. ℣. Rom. 4 Christus mórtuus est propter delicta nostra: et surréxit propter justificatiónem nostram.

Alleluya. ℣. Luc. 24 Surgens Jesus Dóminus noster: stetit in médio discipulórum suórum: et dixit; Pax vobis.

Allelúya. ℣. Matth. 28 Surréxit Dóminus et occúrrens muliéribus ait; Avéte; tunc accessérunt et tenuérunt pedes ejus.

Allelúya. ℣. Marc. 16 In die resurrectiónis meæ, dixit Dóminus, præcédam vos in Galilæam.[1]

Quibus dictis, dicuntur illa de hebdomada Paschæ, videlicet de tertia, quarta, et quinta feriis, [2]quæ sequuntur.

Allelúya. ℣. Surgens Jesus Dóminus noster stetit in médio discipulórum suórum: et dixit Pax vobis.

Allelúya. ℣. Surréxit Dóminus et occúrrens muliéribus ait, Avéte: tunc accessérunt et tenuérunt pedes ejus.

Allelúya. ℣. In die resurrectiónis meæ dicit Dóminus: præcédam vos in Galilæam.[2]

Quod etiam observetur in omni festo cum regimine chori, ab octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, cum repetitione frequenti, si necesse fuerit.

Sequentia. Adest nobis dies alma in Communi, fol. 597.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea [3]et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.[3]

In tempore Paschali, Alleluya.

Secreta.

Concéde, quæsumus, miséricors Deus, ut (intercedénte beáto Richárdo confessóre tuo atque pontífice) óculis tuæ majestátis munus oblátum et grátiam nobis bene vivéndi obtíneat et glóriam sempitérnam acquírat. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 [4]Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus invénerit vigilántem; amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.[4]

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Hæc sacrosáncta sumpta mystéria nobis efféctum, Dómine, cónferant salutárem; quorum beátus Richárdus, con-

[1] suprascriptis.—92. 94. 97. 98. 57. Grad. post Officium Quasi modi geniti.—92. 97. 98. Grad.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. 57.
[3] Inveni David.—92. 97. 98. vel Inveni David.—94.
[4] fidelis servus.—92. 94. 97. 98. 57.

féssor tuus atque póntifex, devótus éxstitit dispensátor. Per.

Sancti Ambrosii episcopi et doctoris.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam: et sancti tui exsúltent; propter David servum tuum non avértas fáciem christi tui.

In tempore Paschali, Allelúya.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnia mansuetúdinis ejus.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ambrosium minístrum concessísti; præsta, quæsumus, ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem semper habére mereámur in cœlis. Per.

Epistola. Dedit Dóminus in Communi, fol. 600.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Tractus. Beátus vir ut supra, fol. 597.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis in Communi, fol. 599.

In tempore Paschali. (col. 703*)

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Secundum Allelúya unum de supra scriptis.

Sequentia de Communi, fol. 597.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Credo.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Secreta.

HÆC in nobis sacrificia, Deus, (intercedente beatissimo confessore tuo Ambrosio) et actione permaneant et operatione firmentur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum venerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SANCTI Ambrosii nos, quæsumus, Domine, jugiter prosequatur oratio; ut quod petitio nostra non impetrat, ipso pro nobis interveniente præstetur. Per.

Sanctorum Tyburtii et Valeriani martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 144

SANCTI tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúya.

Psalmus. Exaltábo te, Deus meus, rex: et benedícam nómini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum mártyrum tuórum Tybúrtii, Valeriáni, atque Máximi solémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per.

Epistola. Lingua sapiéntium in Communi, fol. 587.

Alleluya. ℣. Ps. 117 Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor balsami erunt ante te.

Secundum Allelúya erit de proxima dominica præcedenti; et hoc in omnibus festis sine regimine chori, ab octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, observetur.

Evangelium. Ego sum vitis, vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine, etenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

PRÆSENTIBUS, Domine, quæsumus, intende muneribus; et (patrocinantibus sanctis martyribus, Tyburtio, Valeriano, et Maximo, quorum solemnia celebramus) fidelibus tuis salutis indulgentiam conferant, et æterna præmia dignanter acquirant. Per.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio, allelúya.

Postcommunio.

SACRAMENTI tui, Domine, quæsumus, sumpta benedictio, corpora nostra mentesque sanctificet, et (sanctorum martyrum tuorum, Tyburtii, Valeriani, et Maximi intercessionibus) sempiternæ gloriæ adscribendos nos præparet. Per.

Sancti Alphegi episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ROTEXÍSTI me, Deus, a convéntu malignántium, allelúya: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor; a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, qui beátum Alphégum pontíficem tuum sacerdótii dignitáte et palma martýrii decorásti; concéde propítius, ita nos apud te ejus intercessiónibus adjuvári, ut cum eo possímus in ætérna felicitáte lætári. Per.

Epistola. Doctrinis variis in Communi, fol. 584.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

HÆC, Dómine, altári tuo múnera impósita bénedic ipse et súscipe, ut (intercessióne beáti Alphégi mártyris tui atque pontíficis) nobis ad fructum proficiant utriúsque salútis. Per.

Communio. Johan. 25 Ego sum vitis vera et vos pálmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúya, allelúya.

Postcommunio.[1]

SUMPTO, Dómine, sacraménto,[1] tuam supplíciter deprecámur cleméntiam, ut (intercedénte beáto Alphégo mártyre tuo atque pontífice) quod temporáliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

Sancti Georgii martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ROTEXÍSTI me, Deus, a convéntu malignántium, allelúya: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúya, allelúya.

[1] sumptis Domine sacramentis.—94.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Geórgii mártyris tui mentis et intercessióne lætíficas; concéde propítius ut [1]cujus[1] benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Lectio beati Jacobi apostoli. c. 1

CARÍSSIMI, Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum hábeat: ut sitis perfécti et intégri in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo qui dat ómnibus affluénter et non impróperat, et dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo existimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni tránsibit: Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit. Ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Sequentia. Organicis canamus in Communi, fol. 581.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Credo.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, solemne sacrificium pro veneranda sancti Georgii martyris tui passione; deprecantes clementiam tuam, ut per hæc sacrosancta mysteria antiqui hostis tentamenta, te triumphante, vincamus, et æternæ remunerationis præmium, te largiente, [2]sequamur.[2] Per.

Communio. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Postcommunio.

MENSÆ cœlestis satiati dulcedine, humiliter te rogamus, omnipotens Pater, ut (intercedente beato Georgio martyre tuo) resurrectionis ejus simus participes, cujus sumus morte redempti. Qui tecum vivit.

Sancti Marci evangelistæ.

Ad Missam: Officium. Protexísti me in Communi, fol. 579.

Oratio.

DEUS, qui beátum Marcum evangelístam tuum evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti; tríbue, quæsumus, ejus nos semper et eruditióne proficere et oratióne defendi. Per Dóminum.

Ad Epheseos. c. 4

FRATRES, Unicuíque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit; Ascén-

[1] qui ejus.—92. 94. 97. 98.
[2] consequamur.—92. 94. 97. 98. 4L.

dens in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit quid est nisi quia et descéndit primum ad inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cœlos ut adimpléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios vero pastóres et doctóres, ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Alleluya. ℣. Esai. 41 Primus ad Sion dicet ecce assum: et Hierúsalem evangelístam dabo.

Sequentia. Laus devota in Communi, fol. 577.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

BEÁTI Marci evangelístæ tui solemnitáte tibi múnera deferéntes, quæsumus, Dómine, ut sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum; ita nos ejus intercéssio et verbo et ópere tibi reddat acceptos. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Non dicitur in hac Præfatione per beatos [1]evangelístas sed per beátos apóstolos.[1]

Communio. Johan. 25 Ego sum vitis vera et vos pálmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

REFECTI cibo spiritualis alimoniæ, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod mysterio frequentamus, (intercedente beato Marco evangelista) plena virtute consequamur. Per Dominum.

[2]Si hoc festum in aliquo festo post octavas Paschæ contigerit, tunc fiat processio post magnam missam de sancto Marco.[2] Si in hebdomada Paschæ aliquod festum vel jejunium evenerit, nihil de festo fiat, nihil de jejunio, nec post nec ante; nisi forte in octavis contigerit; tunc enim potest differri in crastinum. Hoc idem observetur in hebdomada Penthecostes.

Sancti Vitalis martyris.

Ad Missam: Officium. Protexisti me in Communi, fol. 579.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut (intercedénte beáto Vitále mártyre tuo) et a cunctis adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Epistola. Nemo militans Deo in Communi, fol. 580.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor balsami erunt ante te.

Sequentia. Organicis canamus in Communi, fol. 581.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

[1] ita 26. etc apostolos sed per beatos evangelistas.—55P.
[2] non habent 92. 97. 57.

Cætera desunt in Graduali, et hæc sit habentur.

Si hoc festum in aliqua feria post octavas Paschæ contigerit, cantata magna missa de sancto Marco ad authenticum seu principale altare, dicitur Hora Nona, et interim ordinetur processio ad gradum chori per omnia sicut in feria secunda Rogationum.

Offertorium. Ps. 89 Repléti sumus mane misericórdia tua: et exsultávimus et delectáti sumus, allelúya.

Secreta.

GRATA tibi, Domine, quæsumus, nostra sint munera: quibus sancti Vitalis martyris tui passio recolitur honoranda. Per Dominum.

Communio. Johan. 25 Ego sum vitis vera et vos pálmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut munus divinum quod sumpsimus, (intercedente beato Vitale martyre tuo) salutari nobis [1]proficiat[1] effectu. Per Dominum.

In die apostolorum Philippi et Jacobi.

Ad Missam: Officium. 2 Esdr. 9

EXCLAMAVÉRUNT ad te, Dómine, in témpore afflictiónis suæ: et tu de cœlo exaudísti eos, allelúya, allelúya.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

[1] prosit—94. 97. 98.
[2] non habent 4L. 15. 57.
[3] ita 26 etc. non habent 92. 97. 98. 55P. Vulg.
[4] non habent 97. 98.
[5] venio.—Vulg.
[6] non habent 97. 15. 26.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 5

STABUNT justi in magna constántia adversus eos qui se angustiavérunt et qui abstulérunt labóres illórum. Vidéntes autem turbabúntur timore horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes; Hi sunt quos aliquándo habúimus in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti, vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre. [2]Ecce[2] quómodo [3]ergo[3] computáti sunt inter fílios Dei; et inter sanctos sors illórum est.

Allelúya. ℣. Sap. 5 Stabunt justi in magna constántia: advérsus eos qui se angustiaverunt.

Allelúya. ℣. Luc. 24 Nonne cor nostrum ardens erat in nobis: de Jesu dum loquerétur nobis in via?

Sequentia. Clare sanctorum in Communi, fol. 574.

Secundum Johannem. Johan. 14

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis, Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. In domo Patris mei, mansiónes multæ sunt. Si quominus dixíssem vobis: quia vado parére vobis locum. Et si abíero et præparávero vobis locum, [4]íterum[4] [5]véniam[5] et accípiam vos ad meípsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado vos scitis, et viam scitis. Dixit ei Thomas; Dómine, nescímus quo vadis: et quómodo póssumus viam scíre? Dicit ei Jesus; Ego sum via, [6]et[6] véritas et vita. Nemo venit ad Patrem

nisi per me. Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis. Et ámodo cognoscétis eum, et vidístis eum. Dicit ei Philíppus; Dómine, osténde nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus; Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem. Quómodo tu dicis: Osténde nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, a meípso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit ópera. Non créditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alióquin, propter ipsa ópera crédite. Amen, amen, dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio et ipse fáciet, et majóra horum fáciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcúnque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam.

Credo.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

DEUS, ecclesiæ tuæ redemptor atque perfector; da ut, apostolorum tuorum Philippi et Jacobi precibus, paschalis sacramenti dona capiamus, quorum nobis magisterio ea voluisti prædicari. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Domine.

Communio. Johan. 14 Tanto témpore vobíscum sum et non cognovístis me: Philíppe, qui videt me, videt et Patrem, allelúya: non credis quia ego in Patre et Pater in me est? allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PASCHALE mysterium recensentes, beatorum apostolorum [1]tuorum[1] Philippi et Jacobi, Domine, quæsumus, precibus foveamur, quorum magisterio [2]hoc[2] cognovimus exsequendum. Per Dominum.

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

In inventione sanctæ Crucis.

Ad Missam; Officium. Gal. 6

NOs autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus, allelúya, allelúya.

Ps. 66 Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri.

Kyrie Lux et origo.

Et dicitur cum suis versibus.

Oratio.

DEUS, qui in præclára salutíferæ crucis inventióne passiónis tuæ miracula suscitásti; concéde, ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ suffrágia consequámur. Qui vivis.

Nulla fiat Memoria de Resurrectione, sed de sanctis martyribus, Alexandro, Eventio, et Theodolo.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum mártyrum tuórum, Alexándri, Evéntii, et Theodóli, natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per.

Epistola. Confido de vobis in Communi, fol. 580.

Allelúya. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére regem cœlórum et dóminum.

Allelúya. ℣. Ps. 95 Dícite in géntibus quia Dóminus regnávit a ligno.[1]

Sequentia.

SALVE crux sancta, arbor digna,
Cujus robur pretiosum
mundi ferret talentum;
Ut hostis per lignum victor
ligno revinceretur,
Quodque [2]exortu[2] mortis
primis erat terrigenis
paradiso propulsis,
Causa etiam vitæ
foret cunctis Christi morte
vere vivificatis;
Horrificum tu es semper signum inimicis
crux sacra sævis,
Quam mors pavet, infernusque timet, quæ
Christo suos reconsignat,
Cui sit laus in ævum.

Secundum Johannem. c. 3

IN illo témpore, Erat homo ex Pharisæis, Nichodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei; Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster; nemo enim potest hæc signa fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dixit ad eum Nichodémus; Quómodo potest homo renásci, cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre, et renásci? Respóndit Jesus; Amen, amen, dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: oportet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex Spíritu. Respóndit Nichodémus et dixit ei; Quómodo possunt hæc fíeri? Respóndit Jesus et dixit ei; Tu es magíster in Israel, et hæc ignóres? Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus lóquimur et quod vídimus testámur, et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, et non créditis: quómodo si díxero vobis cœléstia, credétis? Et nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius Hóminis qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in deserto; ita exaltári opórtet Fílium Hóminis: ut omnis qui credit in ipso, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Credo.

Offertorium. Protege, Domine, plebem tuam per signam sanctæ crucis: ab omnibus insidiis inimicorum omnium, ut tibi gratam exhibeamus servitutem: et acceptabile tibi fiat sacrificium nostrum, alleluya.

Secreta.

SACRIFÍCIUM, Dómine, quod [3]tibi[3] immolámus placátus inténde; ut ab omni nos éxuat bellórum nequítia, et per vexíllum sanctæ crucis Fílii tui ad conteréndas [4]potestátes aereas et adversarióru[4] insídias, nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per eundem.

Alia Secreta de martyribus.

SUPER has hóstias, quæsumus, Dómine, benedíctio gloriósa descéndat,

[1] Ps. xcv. 10, ut in Missalibus Romanis. "A ligno" non legitur in Vulgata SS. Scripturarum interpretatione nec in illa Septuaginta Seniorum. In MS Sangermanensi habetur; vide Sabatier 2. 191.
[2] ita 26. etc. exortus.—97.55P. exortum.—94. 98.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.
[4] adversariorum.—94. 97. 98. potestatis adversæ.—92.

quæ et sanctificatiónem [1]nobis[1] cleménter operétur, et de mártyrum tuórum, Alexándri, Evéntii, et Theodóli. solemnitáte [2]nos[2] lætíficet.

Præfatio. Qui salútem humáni.

Communio. Per lignum servi facti sumus: et per sanctam crucem liberáti sumus; fructus arbóris sedúxit nos: Fílius Dei redémit nos, allelúya.

In utroque festo finiatur cum allelúya.

Postcommunio.

REPLÉTI alimónia cœlésti, et spiritáli póculo recreáti, quæsumus, omnípotens Deus, ut ab omni hoste malígno deféndas, quos per lignum sanctæ crucis Fílii tui arma justítiæ pro salúte mundi triumpháre jussísti. Qui tecum vivit.

Alia Postcommunio de martyribus.

SUMPTIS, Domine, muneribus sacris, tribue, quæsumus, ut ad eadem appetenda, sanctorum martyrum tuorum, Alexandri, Eventii, et Theodoli, precibus et exemplis promptius incitemur. Per Dominum.

Johannis ante portam Latinam.

Ad Missam: Officium. Eccli. 15

N médio ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stola glóriæ índuit eum.

Psalmus. Jocunditátem et exsultatiónem: thesaurizávit super eum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia nos úndique mala nostra pertúrbant; præsta, quæsumus, ut beáti Johánnis apóstoli tui et evangelístæ intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 15

QUI timet Deum fáciet bona; et qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta. Cibábit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum. Et firmábitur in illo et non flectétur, et continébit illum et non confundétur; et exaltábit illum apud próximos suos. In médio ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stola glóriæ induit eum. Jocunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum, et nómine ætérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

Allelúya. ℣. Johan. 21 Hic est discípulus ille qui testimónium pérhibet de his: et scimus quia verum est testimónium ejus.

Sequentia. Laus devota in Communi, fol. 577.

Secundum Johannem. c. 21

IN illo témpore, Dixit Jesus Petro, Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem diligébat Jesus sequéntem, qui et recúbuit in cœna supra pectus ejus, et dixit; Dómine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidísset Petrus dixit Jesu; Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesus; Sic eum volo manére donee véniam, quid ad te? tu me séquere. Exiit ergo sermo iste inter fratres quod discípulus ille non móritur. Et non dixit ei Jesus, quia non móritur: sed, Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc: et scimus, quia verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium. Ps. 91 Justus ut palma flo-

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. 15.

rébit: sicut cedrus quæ in Líbano est multiplicábitur, allelúya.

Secreta.

SIC nos, quæsumus,[1] Domine, beati Johannis apostoli tui et evangelistæ solemnia tuis fac celebrare mysteriis; ut quæ prædicavit, et credamus pariter et sequamur. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Johan. 21 Exiit sermo inter fratres quod discípulus ille non móritur: et non dixit Jesus non móritur, sed sic eum volo manére donec véniam.

Postcommunio.

REFECTI, Domine, pane cœlesti (intercedente beato Johanne apostolo tuo et evangelista) ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per Dominum.

Sancti Johannis de Beverlaco, episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Johannis confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Epistola. Justum deduxit in Communi, fol. 603.

Allelúya. ℣. Eccl. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Sequentia. Adest nobis dies in Communi, fol. 597.

Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

RESPICE, quæsumus, Domine, munera populi tui, in beati Johannis confessoris tui atque pontificis honore oblata, et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

In tempore Paschali, Allelúya.

Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis sancti Johannis confessoris tui atque pontificis attolle benignus suffragiis; ut nostræ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per Dominum.

Sanctorum Gordiani et Epimachi.

Ad Missam: Officium. Ps. 144

SANCTI tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúya.

Psalmus. Exaltábo te, Deus meus rex: et benedícam nómini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus ut qui beatórum mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

[1] non habent 13. 26. Domine quæsumus.—97.

Epistola. Justórum ánimæ in Communi, fol. 587.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor balsami erunt ante te.

Evangelium. Ego sum vitis, et vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel: ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ, benedíctus Deus, allelúya.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut in conspectu tuo mors est pretiosa sanctorum; ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.[1]

REFICE, quæsumus, Domine, populum tuum spiritalibus alimentis;[1] et quorum tribuis solemnia celebrare, fac eorum gaudiii interesse. Per Dominum.

Sanctorum Nerei et Achillei atque Pancracii martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 32

CCE óculi Dómini super timéntes eum: sperántes in misericórdia ejus, allelúya: ut erípiat a morte ánimas eórum, quóniam adjútor et protéctor noster est, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

SEMPER nos, Dómine, sanctórum mártyrum tuórum, Nérei et Achíllei atque Pancrácii, fóveat, quæsumus, beáta solémnitas; et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

Epistola. Justi autem in perpétuum in Communi, fol. 587.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Vox exsultatiónis et salútis: in tabernáculis justórum.

Evangelium. Ego sum vitis, vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Secreta.

SANCTÓRUM mártyrum tuórum, Nérei et Achíllei atque Pancrácii, tibi, Dómine, grata conféssio, et múnera nostra comméndet et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio, allelúya.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster, ut (beatórum mártyrum tuórum Nérei et Achíllei atque Pancrácii deprecatiónibus) sacraménta sancta quæ súmpsimus, ad tuæ nobis proficiant placatiónis augméntum. Per Dóminum.

Sancti Dunstani episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

ACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam: et sancti tui exsúltent; propter David servum tuum: non avértas fáciem Christi tui, allelúya.

[1] Perfice . . . instrumentis—26.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Cantus de Kýrie rex splendens sine versibus.

Oratio.

DEUS, qui beátum Dunstánum pontíficem tuum ad regna transtulísti cœléstia; da nobis per gloriósa ejus mérita, ad gáudia transíre perénnia. Per.

Memoria de sancta Potentiana virgine.

Oratio.

CONCÉDE nobis, quæsumus, omnípotens Deus, sanctæ Potentiánæ vírginis tuæ et exsultáre méritis et beneficiórum ejus attólli suffrágiis. Per Dóminum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.[1]

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Sequentia. Alma cohors. (fol. 598.)

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ quæ tibi in beáti Dunstáni confessóris tui atque pontíficis solemnitáte deférimus; precántes ut (ejus patrocínio venerándo adjúti) defendi mereámur ab ómnium inimicórum insídiis. Per.

Alia Secreta de sancta Potentiana.

HOLOCÁUSTA hæc, Dómine, tua benedictióne sanctífica; ut sanctæ Potentiánæ vírginis tuæ tibi méritis accépta sint, in cujus sunt veneratióne obláta. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum; euge, serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

In tempore Paschali, Allelúya.

Postcommunio.

BEÁTI Dunstáni confessóris tui atque pontíficis, quæsumus, Dómine, precatióne[2] nos ádjuva, in cujus veneratióne, tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

Alia Postcommunio de sancta Potentiana.

SUMPTIS, Dómine, salútis ætérnæ mystériis, quæsumus, ut (intercedénte beáta Potentiána vírgine tua) ita nos tuis uti fácias sacraméntis, ut ætérnis mereámur interésse convíviis. Per Dóminum.

Sancti Aldelmi episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

[1] non habent 13. 15.
[2] deprecatione.—92. 94. 97. 98. 57.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die sanctum pontíficem tuum Aldélmum ad ætérna sublevásti gáudia; ejus, quæsumus, méritis, illuc tua nos perdúcat misericórdia. Per.

Memoria de sancto Urbano martyre.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Urbáni mártyris tui atque pontíficis [1]natalítia[1] cólimus; ejus [2]intervéntu [3]nobis tríbue[3] véniam peccatórum et cum ipso cœléstium gáudia præmiórum.[2] Per.

Epistola. Justum dedúxit in Communi, fol. 603.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuíti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.
Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Adest nobis in Communi, fol. 597.

Evangelium. Vigiláte quia in Communi, fol. 599.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.
In tempore Paschali, Allelúya.

[1] solemnia.—94. 97. 98.
[2] apud te intercessionibus adjuvemur.—94. 97. 98.
[3] ita 26. etc. consequamur.—55P.
[4] ita 26. etc. hujus.—94. 55P.

Secreta.[4]

HIS[4] tibi précibus, Dómine, nostra, quæsumus, grata reddátur oblátio, pro cujus festivitáte est immoláta. Per Dóminum.

Alia Secreta de sancto Urbano.

DÚNERA, Dómine, quæsumus, tibi dicáta sanctífica; et (intercedénte beáto Urbáno mártyre tuo atque pontífice) per hæc eádem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus, quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem; amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SOLEMNITÁTEM, quæsumus, Dómine, sancti pontíficis Aldélmi celebrántibus adésto propítius; et nobis (ejus méritis) concéde gáudia vitæ cœléstis. Per Dóminum.

Alia Postcommunio de sancto Urbano.

SUMÉNTES, Dómine, sacraménta cœléstia, pietátem tuam húmili devotióne depóscimus; ut illam, quæ in beáto Urbáno mártyre tuo atque pontífice flagrávit fortem dilectiónem, nobis benígnus aspíres. Per Dóminum.

Sancti Augustini Anglorum apostoli.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui beátum Augustínum pontíficem primum doctórem pópulo concessísti Anglórum; tríbue nobis, quæsumus, ut cujus mérita prædicámus in terris, ejus suffrágia apud te sentiámus in cœlis. Per.

Epistola. Dedit Dóminus in Communi, fol. 600.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem Excélsi.
Allelúya. ℣. ib. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Sequentia. Alma cohors in Communi, fol. 598.

Secundum Lucam. c. 10

IN illo témpore, Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis; Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte ergo portáre sácculum neque peram neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúnque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui. Et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eadem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operárius mercéde sua.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.
Credo.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

GRATA tibi sint, Dómine, quæsumus, obláta múnera, quibus et beáti Augustíni confessóris tui atque pontíficis mérita venerámur, et nostræ páriter recólimus insígnia libertátis et vitæ. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens: quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SANCTA tua, quæsumus, Dómine, quæ pro beáti Augustíni confessóris tui atque pontíficis hodiérna solemnitáte libávimus, nos refóveant; quibus et júgiter satiémur et semper desiderémus expléri. Per.

Sancti Germani episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos beati Germani confessoris tui atque pontificis hodierna festivitate lætificas; tuam supplices exoramus clementiam, ut cujus solemnia devotis officiis veneramur, ejus piis suffragiis, æternæ vitæ remedia consequamur. Per Dominum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus suis in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.
Allelúya. ℣. Ps. 88 Dispósui testaméntum eléctis meis: jurávi David servo meo.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.
In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

PROPITIARE, Domine, quæsumus, supplicationibus nostris; et (intercedente pro nobis beato Germano confessore tuo atque pontifice) his sacramentis cœlestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede; ut purificante nos gratia tua, iisdem quibus famulamur mysteriis emundemur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine Deus noster, ut divinis mysteriis expiati (intercedente beato Germano confessore tuo atque pontifice) ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta tendamus. Per Dominum.

Sanctæ Petronillæ virginis.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya, allelúya.
Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui beatæ Petronillæ Virginis tuæ animam in cœlestibus collocasti; fac nos ejus interventu a peccatorum nostrorum nexibus solvi, [1]et ab omni[1] semper adversitate defendi. Per.

Epistola. Qui gloriátur in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus Deus tuus: óleo lætítiæ.
Allelúya. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SACRIFICIUM quod tuæ offerimus majestati, clementissime Deus, placatus suscipe; et (per merita beatæ Petronillæ gloriosæ Virginis tuæ) præsentis vitæ subsidium et futuræ felicitatem concede. Per.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in

[1] non habet 98.

lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PERCEPTIS, Domine, salutaribus alimentis; quæsumus, ut (intercedente beata Petronilla virgine tua) per hæc proficere ad gaudia mereamur æterna. Per Dominum.

Sancti Nichomedis martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ÆTÁBITUR justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, qui nos beati Nichomedis martyris tui mentis et intercessione lætificas; concede propitius, ut qui ejus beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per.

Epistola. Beátus vir qui in sapiéntia in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúya. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.

Evangelium. Si quis vult post me in Communi, fol. 582.

In tempore Paschali, Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Secreta.

MUNERA, Domine, oblata sanctifica, et (intercedente beato Nichomede martyre tuo) nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus: corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, (intercedente beato Nichomede martyre tuo) tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per Dominum.

Sanctorum Marcellini et Petri martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 33

CLAMAVÉRUNT justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

In tempore Paschali, Allelúya.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beatórum mártyrum tuórum Marcellíni et Petri solemnitáte lætíficas; præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, provocémur exémplis. Per Dóminum.

Lectio libri Apocalipsis beati Johannis apostoli. c. 7

IN diebus illis, Respondens unus de senioribus dixit mihi; Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Et dixi illi; Domine mi, tu scis. Et dixit mihi; Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et

dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui sedet in throno habitabit[1] super illos. Non esurient neque sitient amplius neque cadet super illos sol neque ullus æstus. Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.
℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.
Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

Evangelium. Cum audiéritis in Communi, fol. 591.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte justi: et gloriámini omnes recti corde.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

Votiva, Domine, dona deferentes, in tuorum martyrum Marcellini et Petri passione, tuam magnificentiam veneramur; et per ea nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per Dominum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Protegat, Domine, quæsumus, populum tuum, et participatio cœlestis indulta convivii et deprecatio collata sanctorum. Per Dominum.

Sancti Bonifacii sociorumque ejus.

Ad Missam: Officium. Ps. 144

Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúya.

Psalmus. Exaltábo te, Deus meus rex: et benedícam nómini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Bonifacio sociisque ejus palmam martyrii contulisti; præsta nobis, quæsumus, (eorum meritis) indulgentiam, qui eis largiri dignatus es coronam. Per Dominum.

Epistola. Spectaculum in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 33 Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.
℣. Juxta est Dóminus his qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.
Allelúya. ℣. Ps. 117 Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor balsami erunt ante te.

Evangelium. Cum persequéntur in Communi, fol. 590.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúyu, allelúya.

Secreta.

Oblationem famulorum tuorum suscipe, omnipotens Deus, quam tibi suppliciter deferimus in honore beati

[1] super thronum habitat.—92. 94. 97. 98. 4L. 15. 57.

Bonifacii martyris tui sociorumque ejus; ut qui tibi semetipsos obtulerunt hostiam laudis in odorem suavitatis, eorum precibus uniri mereamur Unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo. Qui tecum.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

TUA nos misericordia, Deus, per hæc sacramenta quæ sumpsimus (intercedente beato Bonifacio martyre tuo sociisque ejus) et ab omni surreptione vetustatis expurget et capaces sanctæ novitatis efficiat. Per Dominum.

Sanctorum Medardi et Gildardi episcoporum.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem in honore sanctorum confessorum tuorum atque pontificum Medardi et Gildardi consecrasti; adesto familiæ tuæ precibus, et dona ut quorum festa celebramus, eorum merito et auxilio sublevemur. Per Dominum.

Epistola Plures facti sunt, in Communi fol. 604.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi: et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Evangelium. Sint lumbi in Communi, fol. 604.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vos pálmites in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Secreta.

RESPICE, Domine, quæsumus, populum tuum ad tua sacramenta currentem et præsentem festivitatem sanctorum confessorum tuorum atque pontificum Medardi et Gildardi; ut quod in honore nominis tui detulerunt, cunctis proficiat ad veniam. Per Dominum.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo at eátis et fructum afferátis: et fructus vester máneat.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

GRATIAS tibi agimus, Domine Deus noster, qui nos cœlesti medela reparare dignatus es; da, quæsumus, peccatis nostris veniam, sicut beatis confessoribus tuis [atque pontificibus[1] Medardo et Gildardo dedisti sedem pontificatus. Per Dominum.

In translatione sancti Edmundi archiepiscopi.

Ad Missam: Officium.

GAUDEAMUS omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Edmundi præsulis: de

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.

cujus translatione gaudent angeli, et collaudant Filium Dei.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

DEUS, qui [1]nos[1] beáti Edmúndi confessóris tui atque pontíficis translatiónem celebráre concédis, te [2]súpplices[2] exorámus, ut (ejus méritis et précibus) a vítiis ad virtútes et a cárcere transferámur ad regnum. Per.

Memoria de martyribus Primo et Feliciano.

Oratio.

FAC nos, quæsumus, Dómine, sanctórum mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári, quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in vita sua in Communi fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Hic Edmundus pauper et modicus: cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur.

Sequentia. Alma cohors in Communi, fol. 598.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis vera in Communi, fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

DEUS, qui panem et vinum in corpus tuum et sánguinem, cœlésti benedictióne convértis; concéde nobis (per mérita beáti Edmúndi confessóris tui atque pontíficis) ut ad tuam misericórdiam reverténtes, tuo beneplácito [3]confirmémur.[3] Per Dóminum.

Alia Secreta de martyribus.

FIAT tibi, Dómine, quæsumus, hóstia sacránda placábilis pretiosórum celebritáte mártyrum tuórum Primi et Feliciáni, quæ (per eórum mérita gloriósa) et peccáta nostra purificet, et tuórum tibi vota concíliet famulórum. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

DEUS, qui beátum Edmúndum confessórem tuum atque pontíficem a suppliciis ad gáudia transtulísti; tríbue, quæsumus, ut qui translatiónem ejus venerámur in terris, per ejus patrocínium ad cœléstia transferámur. Per.

Alia Postcommunio de martyribus.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut sanctórum mártyrum tuórum Primi et Feliciáni cœléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

[1] non habent 94. 97.
[2] suppliciter.—4L. 15. 57.
[3] conformemur.—92. 4L. 15. 57.

Sancti Barnabæ apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

MIHI autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus, Domine, beati Barnabæ apostoli tui commendet oratio; et pro ea interventor exsistat, quam doctrina et passione illustrat. Per.

Epistola. Jam non estis in Communi, fol. 573.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

Allelúya. ℣. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Sequentia. Alleluya nunc decantet in Communi, fol. 574.

Secundum Johannem. c. 15

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Hoc est præcéptum meum ut diligátis ínvicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ [1]ego[1] præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúnque audívi a Patre meo nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Ut quodcúnque petiéritis Patrem in nómine meo det vobis.

Credo.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

PLACATIONIS tibi, Domine, sacrificium in hac beatissimi Barnabæ apostoli tui solemnitate deferimus; cujus nos precibus hæc redemptions nostræ suffragia, et intelligere, quæsumus, concedas et assequi. Per Dominum.

Præfatio, Et te Domine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel: dicit Dóminus.

Postcommunio.

SACRAMENTA cœlestia, quo pro beati Barnabæ apostoli tui passione, Domine, tuæ obtulimus majestati, ipsius nobis, quæsumus, fiant intercessione salutaria, in cujus natalitio sunt percepta. Per Dominum.

Sanctorum Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

INTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

[1] non habent 92. 97. 98.

Oratio.

SANCTÓRUM mártyrum tuórum, Basílidis, Ciríni, Náboris, et Nazárii, quæsumus, Dómine, natalítia nobis votíva respléndeant; et quod illis cóntulit excelléntia sempitérna, frúctibus nostræ devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Epistola. Justórum ánimæ in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 78 Víndica Dómine sánguinem sanctórum tuórum: qui effúsus est. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Evangelium. Ecce ego mitto in Communi fol. 575.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis, exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

DA nobis, quæsumus, Domine, puræ devotionis affectum; et (sanctorum martyrum tuorum Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii intercessionibus) etiam nostra munera propitius intuere. Per Dominum.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ; secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortipunitórum.

Postcommunio.

DIVINIS sacramentis refecti, quæsumus, Domine Deus noster, ut sanctorum martyrum tuorum, Basilidis, Cirini, Naboris, et Nazarii intercessionibus) gaudiis mereamur interesse cœlestibus. Per.

Sancti Basilii episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui beatum Basilium confessorem tuum doctorem præcipuum Catholicæque fidei prædicatorem eligere dignatus es; præsta, quæsumus, ut, ipso pro nobis intercedente, peccatorum nostrorum mereamur exui malis, et tibi Domino sinceris mentibus deservire. Per Dominum.

Epistola. Ecce sacerdos magnus in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit: et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílim: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SANCTI Basilii confessoris tui atque pontificis supplicatione munus oblatum, Domine, quæsumus, fiat nobis in perpetuum salutare. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus, invénerit vi-

gilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SUMPTUM, Domine, cœlestis remedii sacramentum ad perpetuam nobis [1]provenire[1] gratiam, beati Basilii confessoris tui atque pontificis obtineat intercessio gloriosa. Per.

Sanctorum Viti et Modesti atque Crescentiæ martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 67

USTI epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum martyrum tuorum Viti et Modesti atque Crescentiæ, quorum celebramus victorias, participemur et præmiis. Per Dominum.

Epistola. Justi autem in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 33 Clamavérunt justi et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

℣. Juxta est Dóminus his qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster; in sanctis suis.

Secundum Lucam. c. 11

IN illo témpore, Dicébat Jesus turbis Judæórum, et princípibus Pharisæórum; Væ vobis qui ædificátis monuménta Prophetárum: patres autem vestri occidérunt illos. Profécto testificámini, quod consentítis opéribus patrum vestrórum: quóniam quidem ipsi eos occidérunt, vos autem ædificátis eórum sepúlchra. Proptérea et sapiéntia Dei dixit: Mittam ad eos prophétas et apóstolos, et ex illis occídent et persequéntur; ut inquirátur sanguis ómnium prophetárum, qui effúsus est a constitutióne mundi a generatióne ista; a sánguine Abel justi, usque ad sánguinem Zacharíæ qui périit inter altáre et ædem. Ita dico vobis, requirétur ab hac generatióne. Væ vobis legisperitis, qui abstulistis clavem scientiæ,[2] ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Cum hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis: insidiantes ei, et quærentes capere aliquid ex ore ejus, ut accusarent eum.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu, [3]Dómine,[3] benedíces justo; Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

PROPITIUS esto, Domine, supplicationibus nostris; et populi tui oblationibus precibusque susceptis, (intercessione sanctorum martyrum tuorum, Viti et Modesti atque Crescentiæ) nostra ad te corda converte; ut a terrenis cupiditatibus liberi, ad cœlestia desideria transeamus. Per Dominum.

Communio. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium; láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

[1] pervenire.—98. 15. 57.
[2] ita 55P. etc. et.—13. 26. 57.
[3] non habent 92. 94. 97. 98. V.

Postcommunio.

SALUTARIS alimoniæ participatione refectos, beatorum martyrum tuorum, Viti et Modesti atque Crescentiæ, nos Domine, quæsumus, ubique defensione custodi, quorum hodie voluisti nos temporali solemnitate gaudere. Per Dominum.

Translatio sancti Ricardi.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui nos translationem beatissimi confessoris tui atque pontificis Ricardi solemniter celebrare concedis; tribue nobis, quæsumus (ejus meritis et precibus) a mundi hujus transire miseria, et ad gaudia pervenire cœlestia. Per Dominum.

Memoria de martyribus Cirico et Julita.

Oratio.

EXAUDI nos, Domine Deus noster, cum sanctorum martyrum tuorum Cirici et Julitæ matris ejus tibi patrocinio supplicantes; ut quorum celebramus triumphum, possimus retinere constantiam. Per.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine. prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Alleluya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Adest nobis dies alma in Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam péregre in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, preces et munera, suppliciter exorantes, ut (intercessione beati Ricardi confessoris tui atque pontificis, cujus translationis solemnia colimus) a vitiis ad virtutes, et a carcere transferamur ad regnum. Per Dominum.

Alia Secreta de martyribus.

OFFERIMUS tibi, Domine, fidelium tuorum dona solemnia, sanctorum [1]martyrum[1] tuorum Cirici et Julitæ intercessionibus confidentes, ut quod nos exsequimur minus idonea servitute, illorum potius meritis efficiatur acceptum. Per Dominum.

Communio. Beátus servus, in Communi, fol. 600.

Postcommunio.

PER hæc sacramenta, Domine, quæ sumpsimus, et per intercessionem sancti pontificis tui Ricardi, cujus translationis diem devote celebramus, te supplices deprecamur, ut (ipsius meritis et intercessione) a tenebris hujus vita ad lucem perpetuam nos transferre digneris. Per Dominum.

Alia Postcommunio de martyribus.

PLEBS tua, Domine, per hæc sancta quæ sumpsimus, capiat sacræ benedictionis augmentum; et intercessione sanc-

[1] non habent 92. 94. 97. 98.

torum martyrum tuorum Cirici et Julitæ, copiosis beneficiorum tuorum semper [1]sublevemur[1] auxiliis. Per Dominum.

Sanctorum Marci et Marcelliani.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Marci et Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus (eorum intercessionibus) liberemur. Per.

Epistola. Lingua sapientum in Communi, fol. 587.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.

℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Alleluya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum; ett dedúcet illos in via mirábili.

Evangelium. Vidéte ne quis in Communi, fol. 592.

Offertorium. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium; láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

Secreta.

PRÆVENIAT nos, quæsumus, Domine, gratia tua semper et subsequatur; et has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas offerimus, benignus assume; ut (per intercessionem sanctorum martyrum tuorum Marci et Marcelliani) cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Communio. Matth. 25 Amen dico vobis: quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte benedícti Patris mei: possidéte præparátum vobis regnum ab inítio sæculi.

Postcommunio.

UT percepta nos, Domine, sancta vivificent, sanctorum martyrum tuorum Marci et Marcelliani merita gloriosa nos adjuvent. Per Dominum.

Sanctorum Gervasii et Prothasii.

Ad Missam: Officium. Ps. 84

LOQUÉTUR Dóminus pacem in plebem suam: et super sanctos suos et in eos qui convertúntur ad ipsum.

Psalmus. Benedixísti, Domine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum mártyrum tuórum Gervásii et Prothásii solemnitáte lætíficas, concéde propítius, ut quórum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Lectio epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos. c. 8

FRATRES, scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit Quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus

[1] sublevetur.—98. 34.

pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis: mirábilis in majestáte fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.
Allelúya. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte: vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Secundum Marcum. c. 13

In illo tempore, Egrediente Jesu de templo, ait illi unus ex discipulis suis; Magister, aspice quales lapides et quales structuræ. Et respondent Jesus, ait illi; Vides has omnes [1]magnas[1] ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus et Jacobus et Johannes et Andreas; Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Jesus cœpit dicere illis; Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: et multos seducent. Cum autem audieritis bella et opiniones bellorum, ne timueritis. Oportet enim hæc fieri: sed nondum finis. Exsurget [2]enim gens contra[2] gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca et fames. Initium dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet [3]prædicare[3] evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquamini. Non estis enim vos loquentes sed Spiritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, [4]quas[4] beatis martyribus tuis Gervasio et Prothasio contulisti, ut et pro tuo nomine mori non paverent, et sempiterna gloria [5]fulgeant[5] interempti. Per.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ; secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortipunitórum.

Postcommunio.

Benedictio tua, Domine, quæsumus, per hæc sancta mysteria tuorum impleat corda fidelium; ut et sanctorum martyrum [6]tuorum[6] Gervasii et Prothasii honorificent passiones, et remedia salutis æternæ quæ expetunt, eisdem patrocinantibus assequantur. Per Dominum.

[1] non habent 97. 98.
[2] autem gens super.—97. 98. enim gens super.—92. 57.
[3] ita 26. etc. prædicari.—97. 98. 55P. V.
[4] qui.—34.
[5] non habet 26. transitoriam commutarent.—55P.
[6] non habent 92. 4L. 57.

In translatione sancti Edwardi regis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Kýrie eléyson.

Oratio.

DEUS, æterni triumphator imperii, familiam tuam propitius respice, translationem regis celebrantem Edwardi; et præsta, ut sicut illum munere glorificare dignaris cœlesti, ita nos ejus obtentu æternæ felicitati facias dignanter ascribi. Per Dominum.

Epistola. Beátus vir qui invéntus in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Jacob 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Si fiant ix. Lectiones dicitur Sequentia. Organicis canamus, in Communi, fol. 581.

Evangelium. Si quis venit in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, allelúya.

Secreta.

INTUERE, quæsumus, Domine Deus, ad [1]nostræ[1] humilitatis hostiam tibi in honore sancti martyris tui ac regis Edwardi oblatam, quam tibi sacram oblationem mirabili dispensatione efficere voluisti; et concede nobis (illius precibus) ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

Communio. Matth. 26 Qui vult veníre post me, ábnegat semetípsum: et tollat crucem suam et sequátur me.

Postcommunio.

SANCTA tua nos, Domine, sumpta purificent, et (beato martyre tuo ac rege Edwardo intercedente) ad perpetuæ beatitudinis consortium perducant. Per Dominum.

Sancti Albani prothomartyris Anglorum.

Ad Missam: Officium. Ps. 20

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Psalmus. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem beáti Albáni martýrio consecrásti; tríbue, quæsumus, ut cujus ánnuo gratulámur offício, ejus contínuo foveámur auxílio. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 4

JUSTUS, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque número annórum computáta. Cani autem sunt sensus hóminis: et ætas senectútis, vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum

[1] nostram—94. 97. 98.

illíus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Consummátus in brevi, explévit témpora multa. Plácita enim erat Deo ánima illíus. Propter hoc properávit edúcere illum de medio iniquitátis; quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus.

Gradale. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
Alleluya. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, [1]super caput[1] ejus corónam de lápide pretióso.

Sequentia.

EYA, gaudens caterva, ovanter eya.
Pange sonora Domino cantica
illius et enarra magnalia.
Ex toto corde, ex tota virtute,
ex tota anima, Christo jubila;
Qui est sanctorum vita,
virtus, gloria, præmium, corona;
Cujus pietas larga,
comit aurea Albanum laurea;
Cujus præcellens gratia
expurgavit ejus crimina;
Ejus et cornu per sæcula
[2]exaltat[2] in magna gloria.
Cum enim percepisset diva munera,
Sanctæ religionis dona mystica,
Aspernens idolatram
regem spernit idola;
Et cum jam duceretur
mortis ad supplicia,
Prece fugans flumina,
Per fluvii glareas,
sicca transivit semita.
Pari quoque gratia
Grata fontis munera
terra produxit arida.
Post hæc inclyta,
Albane pater, opera,
Linquens hæc terrestria
Scandis cum gloria:
cœlorum dindima.
Te nunc petimus,
patrone, prece sedula,
Qui es nostra vera gloria,
Solve precum votis
servorum scelera;
Exora pro gente Anglica:
et pro ejus pace æterna;
Ter dicitur versus prædictus.
Et nobis tibi supplicibus
vitæ vera impetra gaudia,
Ubi sonat jugiter alleluya.

Evangelium. Si quis vult post me in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit vehementer: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

SICUT in beáti Albáni mártyris tui veneratióne te mirábilem prædicámus, sic, Dómine, cleméntiam tuam per hæc piæ placatiónis offícia, pro nobis, quæsumus, ipse pius intervéntor exsístat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

UT tua nos, Dómine, sacraménta purgent a crímine, sanctam majestátem tuam, quæsumus, beátus martyr Albánus semper implóret. Per Dóminum.

[1] ita 26. etc. in capite.— 55P.
[2] exsultat.—94. 98. 4L. 15.

In vigilia sancti Johannis Baptistæ.

Ad Missam: Officium. Luc. 1

Ne tímeas, Zacharía: exaudíta est orátio tua: et Elízabeth uxor tua páriet tibi fílium, et vocábis nomen eius Johánnem: et erit magnus coram Dómino, et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

Ps. 20 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: ei super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Johánnis [1]Christi[1] præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

Memoria de sancta Etheldreda.

Oratio.

Deus, qui nos hodie beatæ Etheldredæ Virginis tuæ annua solemnitate lætificas; concede, propitius, ut ejus adjuvemur mentis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per Dominum.

Lectio Hieremiæ prophetæ. c. 1

In diébus illis, Factum est verbum Dómini ad me dicens; Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi; A, a, a, Dómine Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me; Noli dícere quia puer sum: quóniam ad ómnia quæ mittam te ibis: et univérsa quæ mandávero tibi loquéris. Ne tímeas a fácie eórum: quia ego tecum sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum. Et dixit ad me; Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constítui te hódie super gentes et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et dissipes, et ædífices, et plantes, dicit Dóminus omnípotens.

Gradale. Johan. 1 Fuit homo missus a Deo: cui nomen erat Johánnes, hic venit. ℣. Ut testimónium perhibéret de lúmine: et paráre Dómino plebem perféctam.

Si Dominica fuerit, dicitur.

Allelúya. ℣. Luc. 1 Tu puer prophéta Altíssimi vocáberis: præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

Initium sancti evangelii secundum Lucam. c. 1

Fuit in diébus Heródis regis Judææ sacérdos quidam nomine Zacharías de vice Abía, et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elízabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis et justificatiónibus Dómini sine queréla. Et non erat illis fílius eo quod esset Elízabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem cum sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ ante Deum; secúndum consuetúdinem sacerdótii, sorte éxiit ut incénsum póneret, ingréssus in templum Dómini. Et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi ángelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum ángelus; Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elízabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Johánnem. Et erit gáudium tibi et exsultátio, et multi in nativitáte ejus

[1] non habent 92. 94. 97. 98. 4L. 57.

gaudébunt. Erit enim magnus coram Dómino: vinum et síceram non bibet. Et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum. Et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Helyæ: ut convértat corda patrum in fílios et incrédulos ad prudéntiam justórum; paráre Dómino plebem perféctam.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut beatus Johannes Baptista astruxit, Agnus ille tuus, qui præsentibus mysteriis declaratus est, peccata nostra semper emundet. Qui tecum.

Alia Secreta de sancta Etheldreda.

QUÆ in hoc altari, Domine, præposita oculis tuæ majestatis offerimus, sanctæ Etheldredæ virginis tuæ supplicationibus, quæsumus, [1]propitiatus[1] assume. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

BEATI Johannis Baptistæ nos, Domine, præclara comitetur oratio; et quem venturum esse prædixit, poscat nobis fore placatum, Dominum nostrum Jesum Christum; qui tecum.

Alia Postcommunio de sancta Etheldreda.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut quod de mensa cœlesti percepimus, (intercedente beata Etheldreda virgine tua) nostros semper ad te trahat affectus. Per Dominum.

[1] propitius.—94. 97.

In die sancti Johannis Baptistæ.

Ad Missam: Officium. Esai. 49

DE ventre matris meæ vocávit me Dóminus nómine meo: et pósuit os meum ut gládium acútum: sub teguménto manus suæ protéxit me: pósuit me quasi sagíttam eléctam.

Ps. 91 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.

Oratio.

DEUS, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Johánnis nativitáte fecísti; da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Lectio Esaiæ prophetæ. c. 49

AUDÍTE ínsulæ, et atténdite, pópuli de longe: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. Et pósuit os meum quasi gládium acútum: in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam. In pháretra sua abscóndit me, et dixit mihi; Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriábor. Et nunc hæc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi; Dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terra. Reges vidébunt et consúrgent príncipes, et adorábunt Dóminum Deum tuum et sanctum Israel qui elégit te.

Gradale. Hierem. 1 Priúsquam te formárem in útero novi te: et ántequam exíres de ventre sanctificávi te.

℣. Misit Dóminus manum suam: et tétigit os meum et dixit mihi.

Allelúya. ℣. Luc. 7 Inter natos muliérum non surréxit major Johánne Baptísta.

Sequentia.

SANCTI Baptistæ
Christi præconis
Solemnia celebrantes,
moribus ipsum sequamur,
Ut ad vitam quam prædixit
asseclas suos perducat.
Devoti te, sanctissime hominum,
amice Jesu Christi, flagitamus
ut gaudia percipiamus,
Sequens versus dicitur in Nativitate eiusdem tantum.
Apparensque Zachariæ Gabriel
repromisit qui tuam celebrarent
obsequiis nativitatem;
Sequens versus dicitur in Decollatione ejusdem tantum.
Maxima quæ dantur sanctis in cœlo,
qui martyrii tui congaudemus
victoriis in die ista,
Ut per hæc festa
æterna gaudia
adipiscamur,
Qua sancti Dei
sacris deliciis
læti congaudent;
Tu qui præparas
fidelium corda,
Nequid devium
vel lubricum Deus
in eis inveniat;
Te deposcimus,
ut crimina nostra
Et facinora
continua prece
studeas absolvere,
Placatus;
Ut ipse suos
Semper [1]invisere[1]
Fideles,
Et mansionem
In eis facere
Dignetur;
Ut Agni vellere
quem tuo digito
Mundi monstraveras
tollere crimina
nos velit induere;
Ut ipsum mereamur,
angelis associi,
In alba veste sequi
per portam clarissimam,
Amice Christi Johannes.
Iste ultimus versus dicitur ter in utroque festo.

Evangelium secundum Lucam. c. 1

IN illo témpore, Elízabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et factum est, in die octávo venérunt circumcídere púerum, et vocábant eum nómine patris sui Zacharíam. Et respóndens mater ejus, dixit: Nequáquam, sed vocábitur Johánnes. Et dixérunt ad illam; Quia nemo est in cognatióne tua, qui vocétur hoc nómine. Innuébant autem patri ejus, quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem, scripsit dicens; Johánnes est nomen ejus. Et miráti sunt univérsi. Apértum est autem íllico os ejus et lingua ejus; et loquebátur benedícens Deum. Et factus est timor super omnes vicínos eórum, et super ómnia montána Judǽæ divulgabántur ómnia verba hæc. Et posuérunt omnes qui audíerant in corde suo, dicéntes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater ejus replétus est Spíritu Sancto: et prophetávit dicens: Benedíctus Dóminus Deus Israel:

[1] miserere.—13. 26. misereri.—55P.

quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ.

Credo.

Offertorium. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus quæ in Líbano est multiplicábitur.

Secreta.

TUA nos, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito venerantes, et opem nobis affore deprecantes, qui Salvatorem mundi et cecinit affuturum, et adesse monstravit [1]præsentem,[1] Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Luc. 1 Tu puer prophéta Altíssimi vocáberis: præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Postcommunio.

SUMAT ecclésia tua, Deus, beáti Johánnis Baptístæ generatióne lætítiam; per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Per totas octavas dicitur eadem Missa de sancto Johanne, nisi festum intercurrat et nisi in Dominica; sed sine Sequentia et Credo; et nisi Missa Salus pópuli, vel Missa dominicalis ex necessitate cantanda fuerit; et quando dicitur Missa de festo loci vel de sancta Virgine Maria.

Sanctorum Johannis et Pauli martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 33

ULTÆ tribulatiónes justórum: et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut nos geminátа lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Johánnis et Pauli glorificatióne procédit, quos eádem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Memoria de sancto Johanne Baptista, ut supra.

Epistola. Hi sunt viri in Communi, fol. 588.

Gradale. Ps. 132 Ecce quam bonum et quam jocúndum: habitáre fratres in unum.

℣. Sicut unguéntum in cápite: quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

℣. Mandávit Dóminus benedictiónem: et vitam usque in sæculum.

Allelúya. ℣. Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum: habent potestatem claudere cœlum nubibus: et aperire portas ejus: quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt.

Si Dominica fuerit, dicitur Sequentia. Ecce pulchra canorum, in Communi, fol. 589.

Evangelium. Atténdite a ferménto in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

HÓSTIAS altáribus tuis, Dómine, placatiónis impónimus, poténtiam tuam in sanctórum tuórum Johánnis et Pauli passiónibus honorándo, et per eos nobis

[1] non habent 94. 97. 98.

implorándo véniam peccatórum. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tanquam aurum in fornáce probávit eos et quasi holocáusta accépit illos.

Postcommunio.

SUMPTIS sacramentis plebs tua, Domine, quæsumus, repleta proficiat; et (eorum fulta præsidiis quorum natalitia celebrat) quod temporaliter devota sectatur, æternum consequi mereatur. Per Dominum.

In vigilia apostolorum Petri et Pauli.

Ad Missam: Officium. Johan. 21

DICIT Dóminus Petro: cum esses júnior cingébas te, et ambulábas ubi volébas: cum autem senúeris, exténdes manus tuas et álius te cinget: et ducet quo tu non vis: hoc autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Oratio.

DEUS, qui nos beatorum apostolorum tuorum Petri et Pauli natalitia gloriosa prævenire concedis; tribue, quæsumus, eorum nos semper et beneficiis præveniri et orationibus adjuvari. Per.

Memoria de sancto Leone.

Oratio.

DEUS, qui beátum Leónem pontíficem sanctórum tuórum méritis coæquásti; concéde, propítius, ut qui commemoratiónis ejus festa recólimus, vitæ quoque ejus[1] imitémur exémpla. Per.

Memoria de sancto Johanna Baptista.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 3

IN diébus illis, Petrus et Johánnes ascendébant in templum, ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi quæ dicitur speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidísset Petrum et Johánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Johánne dixit; Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit; Argéntum et aurum non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do. In nómine Jesu Christi Nazaréni, surge et ámbula. Et apprehénsa ejus manu déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases ejus et plantæ. Et exsíliens stetit, et ambulábat. Et intrávit cum illis in templum, ámbulans et exsíliens et laudans Deum. Et vidit eum omnis pópulus ambulántem et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum quóniam ipse erat qui ad eleemósynam sedébat ad speciósam portam templi. Et repléti sunt stupóre et éxstasi, in eo quod contígerat illi.

Gradale. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

℣. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Si Dominica fuerit.

Allelúya. ℣. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.[2]

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] dicatur unum Alleluya de Communi Apostolorum.—92. 94. 97. 98. 57. Grad.

Secundum Johannem. c. 21

In illo témpore, Dixit Jesus Simóni Petro; Simon Johánnis, díligis me plus his? Dicit ei; Etiam Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei; Pasce agnos meos. Dicit ei íterum; Simon Johánnis, díligis me? Ait illi; Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei; Pasce agnos meos. Dicit ei tértio; Simon Johánnis, amas me? Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio, Amas me? et dixit ei; Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te. Dicit ei; Pasce oves meas. Amen, amen, dico tibi; cum esses júnior cingébas te et ambulábas ubi volébas. Cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et álius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti[1] sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

Munera, Domine, tuæ propitiationis deferimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, eorum, quæsumus, deprecatio quorum solemnia prævenimus efficiat. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Leone.

Annue nobis, Dómine, ut per intercessiónem beáti Leónis confessóris tui atque pontíficis hæc nobis prosit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Communio. Johan. 21 Simon Johannis, díligis me plus his? Dómine, tu ómnia nosti: tu scis quia amo te.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, divina mysteria, beatorum apostolorum tuorum Petri et Pauli desiderata solemnia præcurrentes; præsta, quæsumus, ut eorum supplicationibus muniamur, quorum regimur principatu. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Leone.

Sumentes, Domine, divina mysteria, sancti Leonis confessoris tui atque pontificis pia nos, quæsumus, intercessio prosequatur; ut cujus solemnia recensemus, optata præsidia sentiamus. Per Dominum.

In die apostolorum Petri et Pauli.

Ad Missam: Officium. Act. 12

Nunc scio vere quia misit Dóminus ángelum suum: et erípuit me de manu Heródis: et de omni expectatióne plebis Judæórum.

Versus. Et Petrus ad se revérsus dixit.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti; da ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminiim.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 12

In diébus illis, Misit Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Johánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit apprehéndere et Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem cum apprehendísset misit in cárcerem, tradénsque quátuor quaterniónibus mílitum ad custodiéndum, volens post Pascha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere: orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis

[1] honorati.—13. 15.

duábus: et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce ángelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo [1]cárceris.[1] Percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens; Surge velóciter. Et cecidérunt caténas de mánibus ejus. Dixit autem ángelus ad eum; Præcíngere, et cálcia te calígas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi; Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me. Et éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est quod fiébat per ángelum. Existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secundam custódiam venérunt ad portam férream quæ ducit ad civitátem, quæ ultro apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum: et contínuo discéssit ángelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit; Nunc scio vere quia misit Dóminus ángelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni expectatióne plebis Judæórum.

Gradale. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: memóres erunt nóminis tui, Dómine.
℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúya. ℣. Matth. 16 Tu es Simon Bariona: cui caro et sanguis non revelávit verbum Patris: sed ipse Pater qui est in cœlis.

Sequentia.

LAUDE jocunda
melos turma persona,
Jungendo verba
symphoniæ rythmica,
Concrepans inclyta
harmonia vera
cœli lumina,
Luce qui aurea
illustrarunt mundi
regna omnia.
Vernant fortia
jam quorum trophæa
in [2]cœli[2] regia.
Quorum merita
dissolvant crimina
hac die fulgida.
Nam alter crucis supplicio
triumphans, alter ensis jugulo,
uterque nitet laurea.
Et super sublimes sidera,
insignes victoria, cœlica
prælati sunt in curia.
Hinc, beate Petre, qui maxima
reseras claudis
verbo cœli limina,
Sume pius vota fidelia,
peccati cuncta
dissolvendo vincula.
Sacra, Paule, ingere dogmata,
illustrans plebis pectora,
Et quousque det Deus perfecta
ultra fer mentes sidera
Pulchris qua resultet musica
virtutum fidibus
atque melis concinna,
In qua symphonia miscetur
et illa quæ vere
diatesseron prima.
Constans virtute
et justitia,
Temperantia
et prudentia,
Quibus supera agmina
rite decorata,
Christo cantica
psallunt enharmonica.

[1] non habent 92. 97. 98. 4L. V.
[2] cœlis.—98.

Nostro sint choro socia,
illa dent lumina,
quis præconia
damus hyperlyrica.
Sublime dicant nunc omnia
Amen redempta.

Evangelium. Venit Jesus in partes, in Communi, fol. 576.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erant nóminis tui in omni progénie et generatióne.

Secreta.

HÓSTIAS, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus apostólica prosequátur orátio, per quam nos et expiári tríbuas et deféndi. Per Dóminum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 16 Tu es Petrus: et super hanc petrum ædificábo ecclésiam meam.

Postcommunio.

QUOS cœlésti, Dómine, aliménto satiásti, quæsumus, (apostólicis intercessiónibus) ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

In commemoratione Sancti Pauli.

Ad Missam: Officium. 2 Tim. 1

SCIO cui crédidi et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

Ps. 138 Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

DEUS, qui multitúdinem géntium beáti Pauli apóstoli tui prædicatióne docuísti; da nobis, quæsumus, ut cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Memoria de sancto Petro.

Oratio.

DEUS, qui beáto Petro apóstolo tuo collátis clávibus regni cœléstis, ánimas ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti; concéde propítius ut (intercessiónis ejus auxílio) a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. Per Dóminum.

Memoria de sancto Johanne Baptista, ut supra.

Ad Galatas. c. 1

FRATRES, Notum vobis fácio evangélium quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem. Neque enim ego ab hómine accépi illud neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Judaísmo: quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam. Et proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántius æmulátor exsístens paternárum meárum traditiónum. Cum autem [1]plácuit[1] ei qui me segregávit de útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me ut evangelizárem illum in géntibus: contínuo non acquiévi carni et sánguini, neque veni Hierosólymam ad antecessóres meos apóstolos: sed ábii in Arábiam, et íterum revérsus sum Damáscum. Deínde post annos tres veni Hierosólymam vidére Petrum, et mansi apud eum diébus quíndecim. Alium autem apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non méntior. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. Eram autem ignotus fa-

[1] complacuit.—97. 98.

cie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo Jesu. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat. Et in me [1]clarificabant[1] Dominum [2]nostrum[2] Jesum Christum.

Gradale. Gal. 2 Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes: et cognovérunt grátiam Dei quæ data est mihi.

℣. 1 Cor. 15 Grátia Dei in me vácua non fuit: sed grátia ejus semper in me manet.

Allelúya. ℣. Magnus sanctus Paulus vas electiónis: vere digne est glorificándus.

Sequentia. Solemnitas sancti Pauli; require supra in Conversione ejusdem, fol. 402.

Evangelium. Dixit Simon Petrus ad Jesum; Ecce nos relíquimus ómnia, in Communi, fol. 576.

Credo.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

OBLATIONEM tibi, Domine, votivam deferimus; [3]deprecantes[3] ut ad laudem tui nominis et apostolicæ reverentiam dignitatis, et ad nostrum perveniat sanctificata præsidium. Per Dominum.

Alia Secreta.

ECCLESIÆ tuæ, quæsumus, Domine, preces et munera beati Petri apostoli tui commendet oratio; et quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Amen dico vobis: quod vos qui reliquístis ómnia et secúti estis me: céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua et sacramentis refecta salutaribus, et beati Pauli apostoli [4]tui[4] fulta supplicationibus, sic præsentia dona percipiat, ut capere mereatur æterna. Per Dominum.

Alia Postcommunio.

LÆTÍFICET nos, Dómine, quæsumus, munus oblátum; ut sicut in apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus, sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per.

In octavis sancti Johannis Baptistæ.

[5]Officium,[5] Oratio, Epistola, Gradale, Allelúya, Offertorium, et Communio, sicut in prima die dicantur cum Evangelio sequenti.

Secundum Lucam. c. 1

IN illo témpore, Dixit ad Zacharíam ángelus; Ne tímeas Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elízabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Johánnem. Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus, dixit ei; Ego sum Gabriel qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant; pro eo

[1] glorificabant.—97. 98.
[2] non habent 92. 98. 4L. 15. 57.
[3] precantes.—92. 94. 97. 98.
[4] non habent 92. 4L. 15. 57.
[5] ita 26. etc. introitus.—55P.

quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: et mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens; Quia sic fecit mihi Dominus, in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Si istæ octavæ in sabbato vel in dominica evenerint, Missa de octava dicetur in capitulo.

In die Visitationis beatæ Mariæ virginis.

Ad Missam: Officium.

AUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Maríæ Vírginis: de cujus visitatióne gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbam bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui sacratissimam virginem Mariam Unigeniti tui matrem, mutuæ consolationis gratia, beatam Elizabeth visitare fecisti; concede propitius nobis famulis tuis, ut [1]ex[1] ejus visitationibus assidue consolemur, et a cunctis adversitatibus tuo munimine protegamur. Per eundem.

Memoria nulla.

[1] non habent 92. 97. 26.
[2] est.—4L. 13. 26. 57.
[3] ita 55P. etc. pœnitentibus.—13. 15. 26.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 2

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem desiderábam sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me rex in cellam vináriam; ordinávit in me caritátem. En diléctus meus lóquitur mihi; Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit; imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra; tempus putatiónis advénit. Vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grosses suos; víneæ floréntes odórem suum dedérunt. Surge própera, amíca mea, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ. Osténde mihi fáciem tuam. Sonet vox tua in áuribus meis. Vox enim tua dulcis,[2] et fácies tua decóra.

Gradale. Benedícta et venerábilis es, virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis: in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúya. ℣. Mater mirífica,
summa per grátiam
dona multíplica,
ditans Ecclésiam
sacris virtútibus:
tollens dissídium
confer [3]peténtibus[3]
tuum præsídium.

Sequentia.

CELEBREMUS in hac die,
festum domus Zachariæ
laudibus lætitiæ;

Contemplemur ibi gestum
et de festo fiat festum
jam domus Ecclesiæ.
Thema jam solemnitatis
copiosæ caritatis
gratia recolitur;
Quam Elizabeth beata
senectute feccundata,
suscepisse scribitur.
Orbis totus gratuletur,
toto corde veneretur
dulcis visitatio.
[1]Compassivi[1] cordis benignitas,
[2]excessiva[2] [3]status[3] [4] humilitas
sacra consolatio.
In introitu Mariæ,
prolem, matrem, prophetiæ
Spiritus illuminat;
Confortata [5]genitum[5]
roborata debitum
felix parens terminat.
Ergo festi hanc auctricem
lauda Dei genitricem,
Sion, ex præcordiis.
Quicquid dicas de benigna,
minus est a laude digna
debitis præconiis.
Visitatrix in montanis,
visitatrix in his planis,
sis matris Ecclesiæ.
Medicina Christiana,
quod non valet vis humana,
fiat dono gratiæ.
Benedicta mulierum,
sidus maris, lumen verum,
mœstum consolare clerum,
populum irradia.
Benedicto ventris tui
fructu dona nobis frui,
sicque simus semper sui
in perenni gloria. Amen.

[1] compassim.—92. 94. 98. 4L. 57.
[2] excessim.—92. 94. 98. 4L. 57.
[3] stans.—92. 94. 97. 98.
[4] et.—97. 13.15. 26.
[5] gemitum.—15. 26.

Secundum Lucam. c. 1

In illo témpore, Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elízabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exsultávit infans in útero ejus. Et repléta est Spíritu Sancto Elízabeth, et exclamávit voce magna, et dixit; Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te ea quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María; Magnificat ánima mea Dóminum. Et exsultávit spíritus meus: in Deo salutári meo.

Credo.

Offertorium. Luc. 1 Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, oblationem propitius intuere; et (intercedente gloriosa virgine Dei genitrice Maria) unitatis ac pacis semper eidem dona concede. Per eundem.

Præfatio. Et te in visitatione.

Communio. Beáta víscera Maríæ vírginis: quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

DEUS, qui mediante beata virgine Maria mundo succurristi perdito; ipsius gloriosis meritis et precibus intervenientibus, concede placatus, ut ab Ecclesiæ tuæ regno omnium scandalorum perturbatione remota, in tua semper pace tibi debite famuletur. Qui vivis.

Per totas octavas dicantur Sequentiæ sicut infra octavas Assumptionis ejusdem, cum Missa prædicta.

In octavo die dicatur Kýrie eléison, Glória in excélsis cum farsura Spíritus et alme orphanórum.

Sequentia.

Veni, mater gratiæ,
fons misericordiæ,
miseris remedium;
Veni, lux Ecclesiæ,
tristibus lætitiæ
tu infunde radium.
Te reginam colimus,
tibi laudes canimus,
ex affectu cordium;
Quæ es in angustiis
et in rebus dubiis
salus et solatium.
O stella præfulgida,
tu dira certamina
maris hujus reprime;
Simonis navicula,
Filii tunicula,
ne scindantur prohibe.
Portus navigantium,
preces supplicantium
filiorum suscipe;
Consolare flebiles,
juva pusillanimes,
et errantes corrige.
Quæ Deum hominibus
et ima cœlestibus
jungis, o puerpera;
Hæreses interime,
schismata tu destrue,
firma pacis federa. Amen.
[1]et Benedictus Mariæ Filius.[1] [2]

[1] non habent 92. 4L. 15.
[2] ubi ecclesia dedicata est honore.—98.

Sanctorum Processi et Martiniani.

Ad Missam: Officium. Sap. 3

JÚDICANT sancti gentes et dominántur pópulis: et regnábit Dóminus Deus illórum in perpétuum.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

DEUS qui nos sanctórum mártyrum tuórum Procéssi et Martiniáni confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis; da nobis ex eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per.

Memoria de sancto Swithino.

DEUS, qui hodiernam diem sacratissimam nobis in beati Swithini confessoris tui atque pontificis depositione celebrare concedis; adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, ut cujus gloriátur méritis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Memoria de Apostolis.

Epistola. Sancti per fidem vicerunt regna, in Communi, fol. 586.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.
℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum: et dedúcet illos in via mirábili.

Evangelium: Secundum Matthæum. c. 24

In illo témpore, Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes; Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui, et consummatiónis sæculi? Et respóndens Jesus, dixit eis; Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prælia et opiniónes præliórum: vidéte ne conturbémini. Opórtet enim hoc fieri, sed nondum est finis. Consúrget enim gens contra gentem, et regnum [1]adversus[1] regnum, et erunt pestiléntiæ et fames et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia, inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent, et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent, et sedúcent multos. Et quóniam abundábit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces justo; Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

Suscipe, Domine, preces et munera oblata, quæ ut tuo digna sint conspectui, sanctorum martyrum Processi et Martiniani precibus adjuvemur. Per.

Alia Secreta de sancto Swithino.

Suscipe, clementissime Deus, munus quod majestati tuæ offerimus; et ([2]intercedente[2] beato Swithino confessore tuo atque pontifice) ad utriusque vitæ prosperitatem illud nobis provenire concede. Per Dominum.

Alia Secreta de apostolis, ut supra.

Communio. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est: de láqueo venántium.

Postcommunio.

Quæsumus, Domine, divino refecti mysterio, ut qui sanctorum martyrum [3]tuorum[3] Processi et Martiniani temporali commemoratione gaudemus, eorum intercessionibus in ea numeremur sorte salutis, in qua illi sunt tua gratia gloriosi. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Swithino.

Deus, qui nos a delictorum contagiis tuorum expias perceptione sacramentorum: præsta, quæsumus, ut (beati Swithini confessoris tui atque pontificis meritis) a cunctis eruamur adversis, et cœlestis vitæ deliciis perfruamur. Per.

Alia Postcommunio de apostolis, ut supra.

Missa de apostolis Petro et Paulo infra octavas, quando de eis fit servitium.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti; da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum, per quos religiónis sumpsit exórdium. Per.

[1] in.—92. 97. 98. 4L. V.
[2] interveniente.—92. 4L. 15. 57.
[3] non habent 94. 98. 26.

Epistola. Jam non estis hospites, in Communi, fol. 573.

Gradale. Constítues. (fol. 574.)
Allelúya. ℣. Nimis honoráti.

Evangelium. Hæc mando vobis. (fol. 575.)
Credo.

Offertorium. Constítues. (fol. 576.)

Secreta.

HÓSTIAS, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus apostólica prosequátur orátio; per quam nos expiári tríbuas et deféndi. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me: sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel dicit Dóminus.

Postcommunio.

QUOS cœlésti, Dómine, aliménto satiásti, quæsumus, apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

In translatione et ordinatione sancti Martini.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui populo tuo æternæ salutis beatum Martinum ministrum concessisti: præsta, quæsumus, ut qui executor mandatorum tuorum exstitit in terris, intercessor noster semper esse dignetur in cœlis. Per Dominum.

Memoria de Visitatione et de apostolis.

Epistola. Ecce sacérdos in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei et bráchium meum confortábit eum.
℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.
Allelúya. ℣. Elegit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Sequentia.

SACERDOTEM Christi Martinum cuncta
per orbem canat Ecclesia
pacis catholicæ,
Atque illius nomen
omnis hæreticus
fugiat pallidus.
Pannonia lætetur,
genitrix talis filii;
Italia exsultet,
alitrix tanti juvenis;
Et Galliæ trina divisio
sacro [1]certet[1] litigio:
cujus esse debeat præsul.
Sed pariter habere se patrem
omnes gaudeant, Turoni
soli [2]ejus[2] corpus foveant.
Huic Francorum atque Germaniæ
plebs omnis plaudat;
Quibus videndum inspexit Dominum in
sua veste.
Hic celebris est
Ægypti partibus,
Græciæ quoque
cunctis sapientibus,
Qui impares se
Martini meritis
sentiunt atque
ejus medicamini.

[1] ita 55P. etc. certat—97. 98. 13. 15. 26. Grad.
[2] hujus.—94. 97. 98.

Nam febres sedat,
dæmonesque fugat,
paralytica membra glutinat:
Et mortuorum
sua prece trium
reddit corpora
vitæ pristinæ.
Hic ritus sacrilegos destruit:
et ad Christi gloriam
dat ignibus idola.
Hic nudis mysteria brachiis
conficiens, præditus
est cœlesti lumine.
Hic oculis ac manibus in cœlum
et totis viribus
suspensus, terrena
cuncta respuit.
Ejus ori nunquam Christus [1]defuit[1]
sive justitia
vel quicquid ad veram
vitam pertinet.
Igitur te cuncti
poscimus, O Martine:
ut qui multa mira
hic ostendisti,
Etiam de cœlo
gratiam Christi nobis
supplicatu tuo
semper infundas.

Secundum Lucam. c. 12

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis; quo fur non appropiat, neque tínea corrúmpit. Ubi est enim thesáurus vester; ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Intercessio, quæsumus, Domine, beati Martini confessoris tui atque pontificis munera nostra commendet, nosque majestati tuæ semper reddat acceptos. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præstent nobis, Domine, quæsumus, sumpta sacramenta præsidium salutare; et (intervenientibus beati Martini confessoris tui atque pontificis meritis) ab omnibus nos absolvant peccatis. Per.

In octava apostolorum Petri et Pauli.

Ad Missam: Officium. Eccli. 44

Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli: et laudem eórum núntiat ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum [2]apóstolum[2] ambulántem in flúctibus ne mergerétur eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius et concéde, ut ambórum méritis æternitátis glóriam consequámur. Qui vivis.

Memoria de Visitatione beatæ Mariæ.

Epistola. Hi sunt viri misericórdiæ, in Communi, fol. 588.

[1] abfuit.—92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 4L. 57.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.
℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúya. ℣. Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra lucéntia ante Dóminum: habent potestátem cláudere cœlum núbibus et aperíre portas ejus: quia linguæ eórum claves cœli factæ sunt.

Sequentia. Ecce pulchra canorum resonet voce alleluia, in Communi, fol. 589.

Secundum Matthæum. c. 14

In illo témpore, Jussit Jesus discípulos suos ascéndere in navículam, et præcédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et dimíssa turba, ascéndit in montem solus oráre. Véspere autem facto, solus erat ibi. Navícula autem in médio mari, jactabátur flúctibus. Erat enim ventus contrárius. Quarta autem vigília noctis, venit ad eos, ámbulans super mare. Et vidéntes eum supra mare ambulántem, turbáti sunt dicéntes; quia phantásma est. Et præ timóre clamavérunt. Statímque Jesus locútus est eis, dicens; Habéte fidúciam: ego sum, nolíte timére. Respóndens autem Petrus, dixit; Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. At ipse ait; Veni. Et descéndens Petrus de navícula, ambulábat super aquam, ut veníret ad Jesum. Videns vero ventum válidum, tímuit. Et cum cœpísset mergi, clamávit dicens; Dómine, salvum me fac. Et contínuo Jesus exténdens manum apprehéndit eum: et ait illi; Módicæ fídei, quare dubitásti? Et cum ascendísset Jesus in navículam cessávit ventus. Qui autem in navícula erant, venérunt et adoravérunt eum, dicéntes; Vere fílius Dei es.

[1] tibique.—92. 94. 97. 98.
[2] non habent 92. 4L. 15. 57.

Non dicitur Credo nisi dominica fuerit.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

Intende, precamur, Altissime Deus, vota quæ reddimus [1]tibi; quæ et[1] placita fieri eorum precibus concede, pro quorum deferuntur honore. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.

Sumpta, Domine, sacramenta cœlestia, beatis apostolis [2]tuis[2] Petro et Paulo deprecantibus, remedium nobis cœleste concilient. Per.

Translatio sancti Thomæ.

Ad Missam: Officium.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Thomæ mártyris, de cujus passióne gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 63 Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Thomæ mártyris tui atque pontíficis translatiónem celebráre concédis; te supplíciter exorámus, ut ejus méritis et précibus a vítiis ad virtútes, et a cárcere transferámur ad regnum. Per.

Memoria de Visitatione.

Epistola. Omnis pontifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
Allelúya. ℣. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Sequentia. Solemne canticum hodie; quære supra in alio festo infra octavas Nativitatis.

Evangelium. Homo quidam nóbilis, in Communi, fol. ??.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti Dómine in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei: allelúya.

Secreta.

DEUS, qui panem et vinum in corpus tuum et sánguinem cœlésti benedictióne convértis; concéde nobis (per mérita beáti Thomæ mártyris tui atque pontíficis) ut ad tuam misericórdiam reverténtes tuo beneplácito conformémur. Qui vivis.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

DEUS, qui beátum Thomam mártyrem tuum atque pontíficem a supplíciis ad gáudia transtulísti: tríbue, quæsumus, ut qui translatiónem ejus venerámur in terris, per ejus patrocínium ad cœléstia transferámur. Per Dóminum.

Notandum est, quod proxima Dominica post festum Translationis sancti Thomæ martyris celebratur festum Reliquiarum Sarum ecclesiæ.

In die Reliquiarum.

Ad Missam: Officium. Eccli. 44

SAPIÉNTIAM sanctórum narrant pópuli: et laudem eórum núntiat Ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.
Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et sanctorum tuorum quorum reliquiæ in hac continentur ecclesia nos protegant merita; quatenus eorum precibus tranquilla pace in tua jugiter laude lætemur. Per eundem.

Epistola. Hi sunt viri, in Communi, fol. 588.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.
℣. Cantáte Dómino cánticam novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.
Allelúya. ℣. Sancti et justi in Domino gaudéte: vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Sequentia. Ecce pulchra, in Communi, fol. 589.

Evangelium. Videns Jesus turbas, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel: ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ, benedíctus Deus: allelúya.

Secreta.

MUNERA tuæ, misericors Deus, majestati oblata benigno, quæsumus, intuitu aspice; ut eorum nobis fiant precibus salutaria, quorum sacratissimæ in hac basilica reliquiæ sunt reconditæ. Per Dominum.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

DIVINA libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut eorum nos ubique intercessio protegat, quorum hic sacra gaudemus habere patrocinia. Per.

Sanctorum septem Fratrum martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 112

AUDÁTE púeri Dóminum, laudáte nomen Dómini: qui habitáre facit stérilem in domo matrem filiórum lætántem.

Psalmus. Sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos mártyres tuos, Felicem, Philippum, Vitalem, Marcialem, Alexandrum, Silvanum et Januarium, fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

Epistola. Rememorámini, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est: de láqueo venántium.

℣. Láqueus contrítus est: et nos liberáti sumus; adjutórium nostrum in nómine Dómini: qui fecit cœlum et terram.

Allelúya. ℣. Ps. 112 Laudáte púeri Dóminum: laudáte nomen Dómini.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nunc et usque in sæculum.

Et dicitur cum utroque Versu hac die sicut in sabbato in hebdomada Paschæ.

Secundum Matthæum. c. 12

IN illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam; Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quæréntes te. At ipse respóndens, dicénti sibi ait; Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit; Ecce mater mea, et fratres mei. Quicúnque enim fécerit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est.

Offertorium. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántiam: láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

Secreta.

RESPICE, Domine, oblationes fidelium, ut tibi gratæ sint in tuorum passione sanctorum, qui germano amore te diligentes sua corpora martyrio tradiderunt. Per.

Communio. Matth. 12 Quicúnque fecérit voluntátem Patris mei qui in cœlis est: ipse meus frater, soror et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio.

REFECTI, Domine, gratiæ tuæ vitalibus alimentis, supplices imploramus, ut quorum celebramus victorias, participemus et præmiis. Per Dominum.

Translatio sancti Benedicti abbatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

S justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus, Domine, beati Benedicti abbatis tibi commendet; ut quod nostris meritis non valemus,

ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

Epistola. Justus cor suum, in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.
℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.
Allelúya. ℣. Ps. 88 Posui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Si fiant novem lectiones, dicitur Sequentia de Communi, scilicet, Adest nobis, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Nemo accéndit, in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

SACRIS altaribus, Domine, hostias superpositas sanctus Benedictus, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis: super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

PROTEGAT nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Benedictus abbas pro nobis intercedendo; ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per.

Translatio sancti Swythini sociorumque ejus.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérnam diem honorábilem nobis in beáti Swythíni confessóris tui atque pontíficis sociorúmque ejus translatióne fecísti; da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam, ut quorum solemnitátem venerámur in terris, eórum intercessióne [1]sublevémur[1] in cœlis. Per.

Epistola. Plures facti sunt, in Communi, fol. 604.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.
℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.
Allelúya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi; et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Nulla dicitur Sequentia.

Evangelium. Sint lumbi, in Communi, fol. 604.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

RÉSPICE, quæsumus, Dómine, pópulum tuum ad tua sacraménta curréntem, in præsénti festivitáte beáti Swythíni confessóris tui atque pontíficis sociorúmque ejus; et concéde, ut ipsis inter-

[1] liberemur.—94.

cedéntibus, quod in honórem tui nóminis detulérunt, cunctis [1]prosit[1] ad véniam. Per.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

PIGNUS vitæ ætérnæ capiéntes, Dómine, humíliter implorámus, ut (intercedénte beáto Swythíno confessóre tuo atque pontífice cum sóciis suis) quod[2] imágine contígimus sacraménti, manifésta participatióne sumámus. Per Dóminum.

[3] [4]Translatio[4] sancti Osmundi episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes: sub honóre Osmúndi præsulis, de cujus[5] translatióne gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 63 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, cujus antiqua miracula etiam nostris temporibus ad tui nominis magnificentiam ac laudem, et honorem sancti confessoris tui atque pontificis Osmundi coruscare sentimus; concede propitius, ut cujus translationem colimus, ejus intercessionibus, et in præsenti sæculo te glorificemus, et in futuro te perfrui mereamur. Per Dominum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus, qui in vita, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia.

GAUDEAMUS Messia,
veritate, vita, via,
beatorum gloria;
Dies lætus celebretur,
quo Osmundi decantetur
honor et memoria.
In sacra[6] translatione
cujus, cœlicæ personæ
[7]astant[7] reverentia;
Et collaudant Natum Dei,
qui ut finis omnis spei
ex munificentia,
Hunc [8]Osmundum[8] confessorem
parentela clariorem
illustri prosapia,
Ortum fecit; quem virtutum
præter militare scutum
insignitur gratia,
Prudens, potens, temperatus,
spe et fide roboratus,
præminet justitia;
Et præpollet charitate
quibus armis Deitate
datis vicit vitia.
Fastum, rixam et livorem,

[1] proficiat—97. 98.
[2] in.—92. 4L. 15. 57.
[3] Nihil habetur de sancto Osmundo in 92. 15. 57.
[4] in utroque festo.—94. 97. 98. 4L.
[5] solemnitate vel—94. 97. 98. 4L.
[6] solemnizatione vel.—94. 98. 4L.
[7] ita 13. 55P. stant.—94. 97. 98. 4L.
[8] ita 94. 55P. Osmundi.—97. 98. 4L. 13. 26.

avaritiam, torporem,
gulam, ludos, jacula;
Sternit, cædit, delet, pellit,
fugat, extirpat, refellit,
miles absque macula
Gemmas, terras, vestes, aurum,
seque pariter thesaurum,
ponit in ecclesia;
Illis decoravit chorum,
sed de se miraculorum
semper fluit copia.
Claudis gressus, cæcis visus,
mutis lingua, mœstis risus,
leprosis munditia;
Vita mortuis donatur;
[1]sanus redit[1] qui precatur
illum cum fiducia.
Ergo, præsulum beate,
deprecantibus te da te
[2]semper[2] ad solatia;
A peccatis nos emunda,
claritatis quo jocunda
intremus palatia.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

QUNERA nostra, Domine, quæsumus (meritis et intercessionibus munifici confessoris tui Osmundi) sanctifica; ut in Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus et sanguinem convertantur, et ad nostrarum proficiant salutem animarum. Per eundem.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis: super ómnia bona sua constítuet eum.

[1] non habent 94. 98. 4L.
[2] non habent 94. 98. 4L.

Postcommunio.

SUMPTIS, Domine, muneribus sacris, te supplices deprecamur, ut eorum virtute roborati, beati Osmundi confessoris tui atque pontificis imitemur exempla; et ad gaudia perveniamus æterna. Per Dominum.[3]

Sancti Kenelmi regis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum; et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui nobis præcláram hujus diéi lætítiam pro beáti Kenélmi regis et mártyris tui solemnitáte tribuísti; inténde serénus vota fidélis pópuli, et concéde ut cujus hódie festa percólimus, ejus semper méritis et précibus sublevémur. Per.

Epistola. Beatus vir qui inventus, in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Jacob. c. 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Evangelium. Si quis venit ad me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

PRÆSÉNTIBUS, Dómine Deus, inténde munéribus, et, patrocinánte beáto Kenélmo mártyre tuo cujus [1]festa venerándа[1] recensémus, fidélibus salútis indulgéntiam cónferant, et æternitátis prǽmia dignánter acquírant. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

PERCÍPIAT, quǽsumus, Dómine, plebs tua beáti mártyris tui Kenélmi natalítia celebrándo cum exsultatióne lætítiam; et quam mensæ cœléstis refecísti edúlio, æternitátis tuæ fácias assísti consórtio. Per Dóminum.

Sancti Arnulphi episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ÆTÁBITUR justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Psalmus. Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

ADESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus: et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges (intercedente beato Arnulpho martyre tuo atque pontifice) consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per.

Epistola. Beátus vir qui in sapiéntia morábitur, in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 36 Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manum ejus.

℣. Tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúya. ℣. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

Evangelium. Si quis vult post me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

SANCTI martyris tui atque pontificis Arnulphi nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ et munera nostra tibi conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

UT nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem, beatus martyr tuus Arnulphus [2]et[2] pontifex, [3]quæsumus,[3] precator accedat. Per.

Sanctæ Margaretæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

E exspectavérunt peccatóres ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qul ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, qui beatam virginem Margaretam hodierna die ad cœlos per martyrii palmam venire fecisti; concede nobis,

[1] solemnia venerando.—92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 4L. 57.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.

quæsumus, ut ejus exempla sequentes, ad te pertingere mereamur. Per.

Epistola. Domine Deus meus, in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Specie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Veni elécta mea et ponam in te thronum meum: quia concupívit rex spéciem tuam.

Sequentia. Exsultémus in hac die in Communi, fol. 607.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi virgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

HÆC victima, quæsumus, Domine, beatæ virginis Margaretæ [1]martyrio[1] oblata, et mentium nobis [2]conferat[2] sanctitatem et corporum obtineat jugiter castitatem. Per.

Communio. Ps. 118 Feci judícium et justítiam: Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

PERCIPIAT, quæsumus, Domine, plebs tua beatæ Margaretæ virginis tuæ et martyris natalitia celebrando lætitiam, [3]et[3] quam cœlestis mensæ refecisti convivio, [4]æternitatis tuæ facias ascribi consortio.[4] Per Dominum.

Sanctæ Praxedis virginis.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

SOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

ASSIT plebi tuæ, omnipotens Deus, beatæ Praxedis virginis tuæ supplicatio; ut quicunque ejus gaudent honore, [5]tuo semper[5] protegantur auxilio. Per.

Epistola. Sapiéntia vincit, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam; et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus: Deus tuus óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. 2 ad Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, ob honorem sacræ virginis tuæ Praxedis munus oblatum: et quod nostris assequi meritis non valemus, ejusdem suffragantibus meritis, nobis largire propitius. Per.

[1] ita 55P. etc. martyris.—13. 15. 26.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] ita 26. etc. non habet 55P.
[4] non habet 26.
[5] non habet 98.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua et comparávit eam.

Postcommunio.

SANCTA tua nos, Domine, quæsumus, (sanctæ Praxedis virginis tuæ meritis suffragantibus) et a peccatis omnibus exuant, et ad cœlestia regna perducant. Per.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino: diem festum celebrántes sub honóre Maríæ Magdalénæ: de cujus solemnitáte gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi.

Oratio.

LARGIRE nobis, clementissime Pater, quod sicut beata Maria Magdalena Unigenitum tuum super omnia diligendo suorum obtinuit veniam peccaminum, ita nobis apud misericordiam tuam sempiternam impetret beatitudinem. Per eundem.

Memoria de sancto Wandregesilo.

Oratio.

DEUS, cujus gratia beati Wandregesili confessoris tui atque abbatis vita exstitit laudabilis; ipsius interventu, quod tibi placitum est pietas tua operetur in nobis. Per.

Epistola. Mulierem fortem quis inveniet, in Communi, fol. 612.

Gradale. Ps. 44 Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende. próspere procéde et regna.

Allelúya. ℣. Luc. 10 Optimam partem elegit sibi Maria quæ non auferetur ab ea in æternum.

Sequentia.

QUANE prima sabbati
surgens Dei Filius[1]
nostra spes et gloria.
Victo rege sceleris,
rediit ab inferis,
cum summa victoria.
Cujus resurrectio
omni plena gaudio
consolatur omnia.
Resurgentis itaque
Maria Magdalene
facta est prænuncia;
Ferens Christi fratribus
ejus morte tristibus
exspectata gaudia.
O beati oculi
quibus Regem sæculi
morte jam deposita
prima est intuita!
Hæc est illa fœmina
cujus cuncta crimina
ad Christi vestigia
ejus lavit gratia.
Quæ dum plorat et mens orat,
facto clamat quod cor amat
Jesum super omnia.
Non ignorat quem adorat,
quid precetur; sed deletur
quod mens timet conscia.
O Maria, mater pia,
stella maris appellaris
operum per merita!
Matri Christi coæquata
dum fuisti sic vocata,
sed honore subdita.

[1] Filius Dei.—55P.

Illa mundi imperatrix,
ista beata peccatrix,
lætitiæ primordia
fuderunt in ecclesia.
Illa enim fuit porta
per quam fuit lux exorta;
hæc resurgentis nuncia
mundum replet lætitia.
O Maria Magdalena,
audi vota laude plena,
apud Christum chorum istum
clementer concilia;
[1]Ut[1] fons summæ pietatis,
qui te lavit a peccatis
servos suos atque tuos
mundet data venia.
Amen dicant omnia.

Secundum Lucam. c. 7

In illo témpore, Rogábat Jesum quidam Pharisæus ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi, discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accúbuit in domo Pharisæi, áttulit alabástrum unguénti. Et stans retro secus pedes Dómini, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Videns autem Pharisæus qui vocáverat eum, ait intra se dicens; Hic si esset prophéta, sciret útique quæ et qualis est múlier quæ tangit eum, quia peccátrix est. Et respóndens Jesus, dixit ad illum; Simon, hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait; Magíster, dic. Et respondit ei Jesus; Duo debitóres erant cuidam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos et álius quinquagínta. Non habéntibus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eum plus díligit? Respóndens autem Simon dixit; Æstimo quia is cui plus donávit. At ille dixit ei; Recte judicásti. Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni; Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam, aquam pédibus meis non dedísti: hæc autem lácrymis rigávit pedes meos, et cápillis suis tersit. Osculum mihi non dedísti: hæc autem ex quo intrávit, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti: hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit. Dixit autem [2]ad illam Dóminus;[2] Remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt qui simul discumbébant dícere intra se; Quis est hic qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem; Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo ástitit regína a dextris tuis: in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

Benedictionem tuam, Domine, his tibi oblatis tribue sacrificiis, et præsta ut beata Maria Magdalene hoc nobis apud te obtineat, quod ab Unigenito tuo obtinuit dum ei mystica obsequia exhibuit. Per eundem.

Alia de sancto Wandregesilo.

Pius intercessionibus beati Wandregesili confessoris tui atque abbatis, quæsumus, omnipotens Deus, tuæ familiæ commendetur oblatio, cujus vitalibus decoratur exemplis. Per.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

[1] O.—26.
[2] Dominus ad illam.—97. 98. ad illam.—V.

Postcommunio.

PRÆBEAT nobis, Domine, salutarem beatæ Mariæ Magdalenæ imitatio sancta doctrinam; quatenus illius optimæ partis mereamur esse consortes, quæ non auferetur ab ea. Per.

Alia Postcommunio de sancto Wandregesilo.

TUA, Domine, sacramenta sumentes suppliciter exoramus, ut beati Wandregesili confessoris tui atque abbatis, cujus veneramur memoriam, præsidium sentiamus. Per.

Sancti Apollinaris martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum: non avértas fáciem Christi tui.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

VOTIVA nos, Domine, beati Apollinaris martyris tui atque pontificis natalia semper excipiat; qui et jocunditatem nobis suæ glorificationis infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per.

Epistola. Testificor, in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Evangelium. Facta est conténtio, in Communi, fol. 576.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

HOSTIAM nostram, quæsumus, Domine, sancti Apollinaris martyris tui et veneranda confessio, et [1]laudabilis[1] commendet oratio. Per Dominum.

Communio. Ps. 88 Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit: et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo: et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

SUMENTES, Domine, pignus redemptionis æternæ, quæsumus, ut (intercedente beato Apollinare martyre tuo) vitæ præsentis auxilio nos foveat et æternæ. Per Dominum.[2]

In vigilia Sancti Jacobi apostoli.

Ad Missam omnia fiant sicut in vigilia unius apostoli continetur (fol. 572); et fiat memoria de sancta Christina virgine.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, Domine, beata Christina virgo et martyr imploret; quæ tibi grata semper exstitit, et merito castitatis et tuæ professione virtutis. Per Dominum.

Secreta.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut qui annua beatæ Christinæ virginis et martyris tuæ solemnia præsentibus honoramus sacrificiis, ejus semper et fidei integritate roboremur, et piis apud te precibus adjuvemur. Per Dominum.

[1] exaudibilis.—92. 4L. 15. 57.

[2] In octava die translationis sancti Osmundi omnia fiant sicut in prima die præter Credo; nisi dominica fuerit, tunc enim dicitur Credo.—Grad.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cœlestibus satiasti, (intercedente beata Christina virgine tua et martyre) perpetua protectione custodias. Per.

Si hæc vigilia in dominica evenerit, nihil fiat de vigilia, nisi tantum memoria.

In die sancti Jacobi apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

MIHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu oognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

ESTO, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos: ut, apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra desérviat. Per Dóminum.

Memoria de martyribus Christoforo et Cucufato.

Oratio.

DEUS, mundi creator et rector, qui hunc diem beatorum Christofori et Cucufati martyrum [1]tuorum[1] passione consecrasti; concede ut omnes qui martyrii eorum merita veneramur, eorum intercessionibus ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per.

Epistola. Jam non estis, in Communi, fol. 573.

Gradale. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

℣. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Allelúya. ℣. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Sequentia. Alleluya nunc decantet, in Communi, fol. 574.

Secundum Matthæum. c. 20

IN illo témpore, Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei; Quid vis? Ait illi; Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit; Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei; Póssumus. Ait illis; Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam vel ad sinístram, non est meum dare vobis: sed quibus parátum est a Patre meo.

Credo.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta.

OBLATIÓNES pópuli tui, quæsumus, Dómine, beáti Jacóbi apóstoli tui pássio [2]beáta[2] concíliet; ut quæ nostris non apta sunt méritis, fiant tibi plácita ejus deprecatióne. Per.

Alia Secreta de martyribus.

ACCIPE, Domine, munera dignanter oblata, et, beatorum martyrum tuorum Christofori et Cucufati suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum.

Præfatio. Et te, Domine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes duódecim: judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

[1] non habent 97. 98.
[2] non habent 94. 97. 98.

Postcommunio.

BEÁTI Jacóbi apóstoli tui, [1] cujus hódie festivitáte córpore et sánguine tuo nos refecísti, quæsumus, Dómine, intercessióne nos ádjuva, pro cujus solemnitáte percépimus tua sancta lætántes, Salvátor mundi. Qui vivis.

Alia Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, sanctorum martyrum tuorum Christofori et Cucufati solemnitate sacramenta cœlestia; quorum suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Sanctæ Annæ matris Mariæ.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Annæ matris Maríæ: de cujus solemnitáte gaudent ángeli: et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui beatam Annam dilectissimæ genitricis tuæ matrem egregiam hodierna die ad cœlestis vitæ sublevasti gaudia; fac nos, quæsumus, gloriosis ejus meritis, ad æternam pertingere beatitudinem, ex cujus puerperio salutari pro salute mundi humanam assumere dignatus es carnem. Qui vivis.

Epistola. Mulierem fortem quis inveniet, in Communi, fol. 612.

Gradale. Ps. 44 Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere procéde et regna.

Allelúya. ℣. Salve, sancta mater Anna: ex qua processit virgo Maria: quæ de cœlo suscepit prolem et mundo genuit Salvatorem.

Sequentia.

TESTAMENTO veteri
Anna fuit genita
et de stirpe regia,
Hæc matrona nobilis
diu fuit sterilis
in magna tristitia.
Cui fructum contulit
et sic luctum abstulit
divina clementia.
Patriarchis edita
Anna luce prædita
in perenni gloria,
Deprecamur, inclyta,
ut per tua merita
nobis detur gratia.
Anna parens labe carens,
rubens rosa speciosa,
florens inter lilia;
Matrem Christi genuisti;
tua prece nos a nece
tuearis noxia.
Ecce lucis officina,
ægris spes et medicina:
tua proles est regina
in cœlesti patria.
Ipsa cunctis jam prælata,
per te sumens hæc precata,
nostra fiat advocata
in Dei præsentia.

Evangelium. Liber generatiónis, ut supra, in festo Conceptionis beatæ Mariæ, fol. 391.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

[1] in.—97. 98. 57.

Secreta.

SANCTIFICA, redemptor mundi, præsentis munera sacrificii, et, beatæ matris Annæ precibus, eadem nobis effice salutaria, de cujus uteri palatio mater tua aula virgineæ puritatis est egressa. Qui vivis.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

VOTIVA cœlestis mensæ percipientes, Domine, sacramenta, beatæ Annæ matris Mariæ; gloriosa intercessione nos protege; de qua virgo puerpera ad [1]salutem[1] humanæ nativitatis prodiit, quæ nobis splendorem vitæ sine castitatis dispendio generavit Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Sanctorum septem fratrum dormientium.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui gloriosos resurrectionis æternæ præcones septem dormientes magnifice coronasti; præsta, quæsumus, ut, eorum precibus, resurrectionem sanctam quæ in eis mirabiliter præostensa est consequamur. Per Dominum.

Epistola. Justórum ánimæ, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Cantáte Dómino canticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Evangelium. Cum audiéritis, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ, benedíctus Deus: allelúya.

Secreta.

DEUS, in quo est omnium justorum requies [2]et[2] pax certa sanctorum; tribue nobis pacificas hostias tibi digne offerre; ut perfectionem pacis qua tui sancti jam fruuntur in cœlis, nos jugiter hanc meditemur in terris. Per.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.

SANCTORUM tuorum, Domine, victorias recolentes, sacramenta veneranda percepimus; quæ præstent nobis, quæsumus, eorum meritis, indulgentiam, in quorum dormitione tuam magnificentiam collaudamus. Per Dominum.

Sancti Sampsonis episcopi.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

[1] lucem.—4L. 15. 57.
[2] non habent 15. 57.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tribue nobis, famulis tuis, per intercessionem sancti Sampsonis episcopi, poscentibus peccatorum veniam, quærentibus salutis viam, pulsantibus aperire regni cœlestis aulam; ut ad æternam majestatis tuæ habitationem, te adjuvante, pervenire mereamur. Per.

Memoria de sancto Panthaleone martyre.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem beati Panthaleonis consecrasti martyrio; præsta, quæsumus, ut, ipsius interventu, hoc in nostris floreat actibus quod præmiis remuneretur cœlestibus. Per.

Epistola. Ecce sacérdos, in Communi, fol. 596.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem Excélsi.
Allelúya. ℣. ibid. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: [1] óleo sancto[2] unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei; et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

DEUS apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, [3]Deus virginum,[3] Deus omnium electorum, te suppliciter exoramus, ut hanc hostiam sanctam in honore sancti Sampsonis episcopi sanctificare et benedicere digneris, et ante conspectum majestatis tuæ tam ad córporis sanitátem, [4]quam ad[4] animárum proficiat salútem. Per Dóminum.

Alia Secreta de sancto Panthaleone.

BEATUS Panthaleon martyr tuus, Domine, qui diversis suppliciis maceratus vera et viva factus est hostia, hæc quæ tibi offerimus ad salutem nostram gratificet sua intercessione libamina. Per.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

SATIASTI nos, Domine, in hac solemnitate sancti Sampsonis confessoris tui atque pontificis muneribus sacris; te, quæsumus, ut Ecclesiæ tuæ pacem, fidem, spem, et caritatem multiplicare digneris, per quas tibi in Ecclesia tua placere mereamur. Per.

Alia Postcommunio de sancto Panthaleone.

REDEMPTIONIS nostræ sacro gustu satiati, quæsumus, Domine, ut interveniente beato Panthaleone martyre tuo, per hæc sancta quæ sumpsimus, ad æterna gaudia præparemur. Per Dominum.

[5]Aliter Missa de S. Panthaleone martyre, pro voluntate contra febrem acutam.[6] Et qui eam audierit vel celebraverit, in illo anno febrem acutam non habebit.

[1] et in.—4L. 13. 15.
[2] ita 26. etc. meo.—55P.
[3] non habent 92. 4L. 57.
[4] atque.—97. quam.—92. 94. 98.
[5] non habent 92. 4L. 15. 57.
[6] cum memoria de s. Sigismundo.—98.

Sancti Panthaleonis martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

JUSTUS non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat et semen ejus in benedictióne erit: in ætérnum conservábitur.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem beati Panthaleonis consecrasti martyrio; præsta, quæsumus, ut ipsius interventu hoc in nostris floreat actibus, quod præmiis remuneretur cœlestibus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 4

JUSTUS si morte præoccupátus fúerit, ánima ejus in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna neque número annórum computáta. Cani sunt autem sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum illíus aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Consummátus in brevi, explévit témpora multa. Plácita enim Deo erat ánima illíus. Propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos illíus, et respéctus in eléctos illíus.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Evangelium. Si quis vult post me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

BEATUS Panthaleon martyr tuus, Domine, qui diversis suppliciis maceratus, vera et viva factus est hostia, hæc quæ tibi offerimus ad salutem nostram gratificet sua intercessione libamina. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

REDEMPTIONIS nostræ sacro gustu satiati, quæsumus, Domine, ut (interveniente beato Panthaleone martyre tuo) per hæc sancta quæ sumpsimus ad æterna gaudia præparemur. Per Dominum.[5]

Sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus; ut sicut populus Christianus martyrum tuorum Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna, et quod votis celebrat, pio comprehendat effectu. Per.

Epistola. Lingua sapiéntum in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.
℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Vox exsultatiónis et salútis: in tabernáculis justórum.

Evangelium. Atténdite a ferménto, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, pro sanctorum martyrum tuorum, Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis honoro deferimus, suppliciter [1]deprecantes[1] ut indulgentiam nobis conferant et salutem. Per.

Communio. Johan. 25 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

BENEDICTIONIS tuæ, Domine, plebs tibi devota fructum reportet et gaudium; ut quod sanctis martyribus tuis Felici, Simplicio, Faustino et Beatrici exhibuit temporali servitio, perenni præsidio consequatur. Per Dominum.

Sanctorum Abdon et [2]Sennes[2] martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

NTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

DEUS, qui sanctis martýribus tuis Abdon et Sennes ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ tuæ contulísti; da fámulis tuis suórum véniam delictórum, ut (sanctórum tuórum intercedéntibus méritis) ab ómnibus [3]mereámur[3] adversitátibus liberári. Per.

Epistola. Benedíctus Deus, in Communi, fol. 579.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáti est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.
Allelúya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum: et dedúcet illos in via mirábili.

Evangelium. Vidéte ne quis, in Communi, fol. 592.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúya.

Secreta.

FREQUENTATA mysteria, Domine, pro sanctorum [4]martyrum[4] tuorum Abdon et Sennes veneratione, devota mente tractamus, quibus et præsidium nobis crescat et gaudium. Per.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum Dómine; escas volatílibus cœli; carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem brachii tui pósside fílios mortipunitórum.

[1] obsecrantes.—92. 4L. 15. 57.
[2] ita 94. 97. 98. 13. 26. Sennis.—92. 4L. Sennen.—57.
[3] ita 26 etc. mereantur.—92. 97. 55P.
[4] non habent 15. 57.

Postcommunio.

SUMAT, Domine, plebs fidelis cœlestis dona remedii, per quæ (intercedentibus sanctis martyribus tuis Abdon et Sennes) a suis emundetur delictis. Per Dominum.

Sancti Germani episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, et quia nostræ voces non merentur audiri, sancti Germani confessoris tui atque pontificis interventio, quæsumus, sit accepta pro nobis. Per.

Epistola. Justum dedúxit, in Communi, fol. 603.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Eccli. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SACRIFICIUM tibi, Domine, pro beati Germani confessoris tui atque pontificis celebritate offerentes, quæsumus ut propitiationem quam nostris operibus non meremur, piis suffragatoris intercessionibus consequamur. Per.

Communio. Matth. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi; ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve fidélis; quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam; intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut qui percepimus cœlestis mensæ substantiam, (intercedente beato Germano confessore tuo atque pontifice) ad vitam perveniamus æternam. Per.

Ad vincula sancti Petri.

Ad Missam: Officium. Act. 12

NUNC scio vere quia misit Dóminus ángelum suum et erípuit me de manu Heródis: et de omni expectatióne plebis Judæórum.

Versus. Et Petrus ad se revérsus: dixit.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum apóstolum a vínculis absolútum illæsum abíre fecísti: nostrórum, quæsumus, absólve víncula peccatórum, et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Memoria de martyribus: Oratio.

FRATÉRNA nos, Dómine, mártyrum tuórum coróna lætíficet, quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 12

IN diebus illis, Egressus Petrus de carcere, venit ad domum Mariæ matris Johannis qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes. Pulsante autem eo ad ostium januæ, processit puella ad videndum eum, nomine

Rode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nunciavit stare Petrum ante januam. At illi dixerunt ad eam; Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant; quia angelus ejus est. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem [1]aperuissent[1] ostium, viderunt eum et obstupuerunt. Innuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus [2]eduxisset[2] eum de carcere.

Gradale. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.
℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.
Allelúya. ℣. Solve jubénte Deo, terrárum, Petre, caténas,
qui facis ut páteant cœléstia regna beatis.

Sequentia.

NUNC luce alma splendescit per orbem
hæc dies ecce gloriosa,
Almi recolamus Petri voce celsa,
Gratanter modulos accommodet in qua
Vincentis amorem ob superum
crucis sacræ trophæa,
Merito gloriamque perlatam
in cœlesti gloria;
Pio cordo fraterna
jubiletque turma.
Qui a Christo ligandi
solvendique dona
Accipiens, claviger effectus,
nostra resolvens vincula,
Sublevando ætheriis sedibus
potestate nos tradita,
Jungat cœtui sancto: culmine
in poli [3]paradisique[3] amœna,
Ubi adorat ordo te, Christe,
psallendo armonica voce cantica.
Nova sanctorum resonantium
laude angelicus mellica.
Cum supernam majestatem tuam
poscentes humiliter almam.
Cujus digna nos cum illis
resonemus una
rhythmica in excelsis carmina,
Cœlestique in gloria
trinum atque unum
jugiter veneremur in arva.
Celsa potestas angelica
Ovans te laudat in gloria;
Virtutes cœli
te glorificant per astra,
Qui Patris sedes ad dexteram;
Nostra exaudi angelorum
Et famulorum
jungens voces precamina;
Quorum vocibus [4]ut[4] caterva
Glorificet semper te et nostra
Regnantem [5]jure[5]
cum sanctis in æternum.

Evangelium. Venit Jesus in partes, in Communi, fol. 576.
Credo.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui in omni progénie et generatióne.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, placabile munus [6]deprecantes,[6] ut sicut beato Pe-

[1] aperuisset.—92. 26.
[2] eduxit.—97. 98.
[3] paradisi.—94. 97. 98.
[4] non habent 94. 97. 98.
[5] rite.—94. vitæ.—98.
[6] precantes.—92. 97. 98. 4L. 15. 57.

tro apostolo [1]tuo[1] in vinculis dedisti constantiam, ita nobis tua gratia indulgentiam operetur. Per.

Alia Secreta de martyribus.

MYSTERIA, Domine, pro sanctorum martyrum [2]tuorum[2] solemnitate devota mente oblata nobis præsidium præstent et gaudium. Per.

Præfatio. Et te, Domine.

Communio. Matth. 16 Tu es Petrus: et super hanc petram ædificábo ecclésiam meam.

Postcommunio.

MUNERIS divini perceptio, quæsumus, Domine, beato Petro apostolo intercedente, semper a nobis peccatorum nostrorum vincula submoveat, et pericula cuncta depellat. Per.

Alia Postcommunio de martyribus.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut quorum memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo sectemur. Per.

Sancti Stephani papæ et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 131



SACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Stéphani mártyris tui atque pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem [3]étiam[3] protectióne gaudeámus. Per.

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] non habent 94. 97. 98.
[3] non habent 94. 97. 98.
[4] meo.—15. 26.

Epistola. Omnis póntifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto[4] unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Evangelium. Homo quidam nóbilis, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Invéni David, in Communi, fol. 599.

Secreta.

HOSTIAS nostras, quæsumus, Domine, tibi reddat acceptas intercessio sancti Stephani martyris tui atque pontificis; qui eas tibi digne offerendo complacuit. Per.

Communio. Domine quinque talenta tradidisti, in Communi, fol. 600.

Postcommunio.

SUMENTES, Domine, divina mysteria quæsumus, ut (beati Stephani martyris tui atque pontificis intercessione) æternæ nobis præbeant incrementa lætitiæ. Per.

In Inventione Sancti Stephani proto-martyris sociorumque ejus.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

TENIM sedérunt príncipes et adversum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me adjuva me Dómine Deus meus: quia servus tuus exercebátur in tuis justificatiónibus.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis; [1]quique[1] hodierna die beati Stephani martyris tui, Nichodemi, Gamalielis atque Abibon inventionem gloriosam revelasti; da nobis, [2]quæsumus,[2] in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 6 et 7

IN diébus illis, Stéphanus plenus grátia et fortitúdine faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellabátur Libertinórum et Cyrenénsium et Alexandrinórum et eórum qui erant a Cilícia et Asia, disputántes cum Stéphano: et non póterant resístere sapiéntiæ et spirítui, qui loquebátur. Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cœlum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei. Et ait; Ecce vídeo cœlos apértos, et Fílium Hóminis stantem a dextris virtútis Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant: et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem; Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens; Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

Gradale. Sedérunt, cum ℣. et Allelúya et Sequentia; quære in alio festo post Nativitatem Domini.

Secundum Mattheum. c. 23

IN illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum et princípibus sacerdótum; Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas; et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex illis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem: Ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ fílii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Hierúsalem, Hierúsalem, [3]quæ[3] occídis prophétas, et lápidas eos qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum congregat gallína pullus suos sub alas, et noluísti? Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis; non me vidébitis ámodo, donec dicátis; benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Credo non dicitur.

Offertorium. Act. 6 Elegérunt apóstoli Stéphanum levítam plenum fide et Spíritu Sancto: quem lapidavérunt Judæi orántem et dicéntem Dómine Jesu accípe spíritum meum, Allelúya.

Secreta.

SACRIFICIUM tibi, Domine, fidelium tuorum votis oblatum serenus intende; ut quod dilecto martyri tuo Stephano, Nichodemo, Gamalieli atque Abibon hodiernam inventionis eorum contulit glo-

[1] qui.—92. 94. 97. 4L. 57.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.
[3] ita 55P. etc. qui.—13. 15. 26.

riam, nobis ad redemptionem prosit et gratiam. Per.

Communio. Act. 7 Vídeo cœlos apértos et Jesum stantem a dextris virtútis Dei: Dómine Jesu accípe spíritum meum: et ne státuas illis hoc peccátum: quia nésciunt quid fáciunt.

Postcommunio.

EPULARUM tuarum alimento saginati, te humiliter rogamus, Domine Deus noster, ut beati martyris tui Stephani, Nichodemi, Gamalielis, atque Abibon meritis nos ubique adjuves, quorum hodie revelationis solemnitatem celebramus. Por.

Sancti Oswaldi regis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hujus diei jocundam sanctamque lætitiam in sancti servi tui Oswaldi passione consecrasti; da cordibus nostris tui amoris caritatisque augmentum; ut cujus in terris sancti sanguinis effusionem celebramus, illius in cœlo collata patrocinia sentiamus. Per.

Epistola. Beatus vir qui inventus, in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Jacob. c. 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Evangelium. Si quis venit ad me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

MUNERA, [1]quæsumus,[1] Domine, quæ in sancti Oswaldi regis et martyris tui commemoratione tuæ majestati offerimus, propitiatus assume; et illam quæ in eo flagravit fortem dilectionem nobis inspira benignus. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

VITALI alimonia recreati, quæsumus, omnipotens Deus; ut beati Oswaldi martyris tui precibus tuam nobis justitiam placari sentiamus, cujus gloriosa certamina solemni devotione veneramur. Per.

In Transfiguratione Domini.

[2]Benedictio Uvæ.

BENEDIC, Domine, et hos fructus novæ uvæ, quos tu, Domine, rore cœli et inundatione pluviarum et temporum serenitate atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, et dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere. In nomine Domini nostri ✠ Jesu Christi per quem omnia, Domine, semper bona creas. Qui tecum.[2]

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 4L. 15. 57.

Ad Missam: [1]Officium.[1] Ps. 79 [2]

VENI et osténde nobis fáciem tuam, Dómine, qui sedes super chérubin: et salvi érimus.

Psalmus. Qui regis Israel inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.[2]

[3]Oratio.[3]

DEUS, qui hodierna die Unigenitum tuum mirabiliter [4]transfiguratum[4] cœlitus, utriusque testamenti patribus revelasti; da nobis, quæsumus, beneplacitis tibi actibus, ad ejus semper contemplandam pertingere gloriam; in quo tuæ paternitati optime complacuisse testatus es. Per eundem Dominum.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli. 2 c. 1

CARÍSSIME, [5]Non enim indóctas fábulas secúti,[5] notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præsciéntiam, sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim a Deo Patre honórem et glóriam, voce ad eum delapsa hujuscemodi a magnífica glória; Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cœlo allatam, cum essemus cum [6]illo[6] in monte sancto. Et habémus firmiórem propheticum sermónem, cui benefácitis attendéntes, quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco, donec dies illucéscat et lucifer oriátur in córdibus vestris.

Gradale. Ps. 109 Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: ex útero ante lucíferum génui te.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis: donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum.

Allelúya. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis, veníte gentes et adoráte Dóminum: quia hódie descéndit lux magna super terram.

Sequentia. Laudes Salvatori. Require in Dominica octavarum Paschæ;[7] vel ista Sequentia.

BENEDICTA semper sit beata
Trinitas Deitas; [8]scilicet[8]
Unitas coæqualis gloria.
Pater, Filius, Spiritus Sanctus,
tria sunt nomina
omnia eademque substantia.
Deus genitor, Deus genitus,
in utroque sacer
Spiritus, Deitate socia.
Non tres tamen Dii sunt;
Deus verus unus est;
sic Pater Dominus,
Filius Spiritusque Dominus.
Ipse tamen Filius,
Deus verus unus est,
præclarus itaque
Spiritus ab utroque emanat.
Proprietas in personis
unitas est et in essentia;
Majestas par et potestas,
decus honorque per omnia.

[1] Introitus.—92. 98.
[2] In excelso throno vidi sedere virum quem adorat multitudo angelorum psallentes in unum: ecce cujus imperium numen est (in.—4L. 15. Grad.) æternum. Psalmus. Jubilate Deo (*ita* 4L. 15. Jub. Domino.—57. Grad.) omnis terra: servite Domino in lætitia.—4L. 15. 57. Grad.
[3] collecta.—98.
[4] transformatum.—92. 94. 97. 98.
[5] non habent 4L. 15. 57. Grad.
[6] ipso.—92. 97. 98. V.
[7] non habent 4L. 15. 57. Grad.
[8] sed.—26.

Sidera, maria continens,
arva simul et universa condita;
Quem tremunt impia tartara,
colit quoque quem et abyssus intima;
Quem laudant sol atque luna,
dignitas adorat angelica;
Nunc omnis vox atque lingua
fateatur hunc laude debita.
Et nos voce præcelsa
omnes modulemur
organica cantica
dulci melodia.
Eya et eya nunc
omnes jubilemus
alti throni Domino
laudes in excelsis.
O veneranda Trinitas!
O adoranda Unitas!
Per te sumus creati,
vera æternitas.
Per te sumus redempti,
summa tu charitas.
Populum cunctum [1]tu[1] protege,
salva, libera,
eripe et emunda.
Te adoramus, omnipotens,
tibi canimus,
tibi laus et gloria.[7]

Secundum Matthæum. c. 17

In illo témpore, Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Johánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Moyses et Helías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum; Dómine, bonum est nos hic esse; si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Moysi unum, et Helíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens; Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus et tétigit eos dixítque eis; Súrgite et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens; Némini dixéritis visiónem, donec Fílius Hóminis a mórtuis resúrgat.

Credo.

Offertorium. Ps. 92 Deus enim firmávit orbem terræ qui non commovébitur: paráta sedes tua Deus ex tunc a sæculo tu es.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, sancte Pater, omnipotens [2]æterne Deus,[2] munera quæ pro gloriosa Filii tui transfiguratione deferimus; et concede propitius, ut per hæc a temporalibus liberemur incommodis et gaudiis connectamur æternis. Per eundem.

Præfatio de Nativitate. Quia per incarnáti.

Communio. Ps. 109 In splendóribus sanctórum ex útero ante lucíferum génui te.

Postcommunio.

Deus, qui hunc diem incarnati Verbi tui transfiguratione tuæque ad eum missa paternitatis voce consecrasti: tribue, quæsumus, ut divinis pasti alimoniis, in ejus mereamur membra transferri, qui hæc in sui memoriam fieri præcepit Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum.

[1] non habet 26.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

Sanctorum Sixti, Felicissimi et Agapiti, martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum, Sixti, Felicissimi et Agapiti natalitia colere; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per.

Epistola. Benedíctus Deus, in Communi, fol. 579.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in mano Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.

℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum: et dedúcet illos in via mirábili.

Evangelium. Cum audiéritis, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu, [1]Dómine,[1] benedíces justo, Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

MUNERA, Domine, tuæ majestati oblata, sanctorum martyrum tuorum Sixti, Felicissimi et Agapiti, quæsumus, interventu, nobis ad salutem proficere sentiamus æternam. Per Dominum.

Communio. Johan. 25 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

BEATORUM martyrum tuorum Sixti, Felicissimi et Agapiti, Domine, intercessione placatus; præsta, quæsumus, ut mysteria sancta quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per Dominum.

[2]In festo Nominis Jesu.

Ad Missam: Officium. Phil. 2

IN nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium terréstrium et infernórum: et omnis lingua confiteátur quia Dóminus [3]noster[3] Jesus Christus in glória est Dei Patris.

In tempore Paschali, Allelúya.

Ps. 134 Laudáte Dóminum quóniam bonus Dóminus; psállite nómini ejus quóniam suave.

Oratio.

DEUS, qui gloriosissimum nomen [3]Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii tui[4] fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile; et malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes qui [3]hoc nomen Jesu[5] devote venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant et in futuro gaudium exsultationis et interminabilis jubilationis obtineant. Per eundem.

[1] non habent 15. 26.
[2] Missa de Nomine Jesu datur inter votivas in 92. 94. vide supra, fol. 623.
[3] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.
[4] Jesu Christi unigeniti Filii tui.—92. 94. 97. 98. Domini nostri.—97. 98.
[5] hunc.—97. 98.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 4

In diébus illis, Petrus replétus Spíritu Sancto dixit; Príncipes pópuli et senióres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in [1]benefácto[1] hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli: et non est in [2]áliquo ália[2] salus. [3]Nec[3] enim [4]áliud nomen est[4] sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri.

Gradale. Eph. 1 Constituit Deus Pater ad dexteram suam Jesum Christum in cœlestibus super omnem principatum,[5] potestatem et virtutem et dominationem: et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus.

℣. Ps. 78 Adjuva nos Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui Dómine líbera nos, et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Alleluya. ℣. Dulce [6]cordi[6] nomen Jesu,
melos auri, mel in esu,
cor vertit in jubilum
et fugat mundi sibilum.

Secundum Allelúya in commemoratione in tempore Paschali.

Allelúya. ℣. Luc. 24 Surgens Jesus Dóminus noster: stetit in médio discipulórum suórum et dixit: Pax vobis.

In commemoratione a Septuagesima usque ad Pascha.

Tractus.

Dulce nomen Jesu Christi,
felix omen ferens tristi,
jocundans mentem jubilo;
℣. Tollit luctum, affert fructum,
et obductum et seductum
purgat cor a nubilo.
℣. Nominatum, invocatum,
honoratum, prædicatum,
semper sonat dulciter;
℣. Tam peccatum quam reatum,
condonatum, expurgatam,
reddit mulcens leniter,
℣. Hostes ferit, mores serit,
mala terit, graves gerit,
plenum est præsidium;
℣. Nos defendit, nos ascendit,
nos intendit, et extendit
hoc nomen in gaudium.

Sequentia.

Dulcis Jesus Nazarenus,
Judæorum rex amœnus,
pius, pulcher, floridus;
Pro salute suæ gentis
subit mortem cum tormentis,
factus pallens, lividus.
Dulce nomen et cognomen,
hoc transcendens est prænomen
omnibus nominibus;
Mulcet reos, sanat eos;
fovet [7]justos,[7] munit eos,
servans ab insultibus.
Hujus regis sub vexillo

[1] beneficio—97. 98. 4L. 57.
[2] alio aliquo.—97. 98. V.
[3] neque—97. 98.
[4] est nomen aliud.—97. nomen aliud est.—98. est aliud nomen.—4L.
[5] ita 26. etc. et.—55P. Grad.
[6] ita 55P. etc. Christi.—98. 4L. 57. cordi Christi.—26. nil habent 92. 94.
[7] reos.—92. 94. 98. eos.—4L 57.

statu degis in tranquillo
hostes tui fugiunt;
Nomen ejus meditatum,
belli fugat apparatum,
hostes victi rugiunt;
Hoc est nomen recolendum
quod sic[1] semper est tremendum
malignis spiritibus;
Hoc est nomen salutare,
et solamen singulare
quod succurrit tristibus.
Hoc nos decet honorare,
arca cordis inserare,
cogitare, peramare
amore sed heroico.
Ignatius hoc docuit,
illud passus insonuit,
cor ejus scissum patuit
inscriptum Jesu cœlico.
Ut quid majora cupimus,
quam quod Jesus sit intimus,
qui est præamantissimus
et quærit nos amare;
Amat ferventissime,
amat constantissime,
amat fidelissime,
et suos vult juvare.
Nomen suum fecit tale,
ut sit cunctis cordiale,
capitale, principale,
dilectum ex intimis;
Habent hoc naturæ jura,
ut amantem tota cura
reamemus, placitura
præstantes ex animis.
Jesu nomen, omne bonum
tenet, dulcem facit sonum,
promeretur regni thronum,
auditum lætificat.
In hoc lucet splendor Patris,
in hoc patet decor matris,
in hoc fulget honor fratris,
hoc fratres magnificat.
Caput Jesu, cor, mens, manus,
vulnus, livor, sanguis planus,
pedes, corpus, vigor sanus,
parantur hominibus;
Hæc torquentur passa dura,
his læsura et natura,
reparantur pia cura,
purgatis criminibus.
Ergo si quis velit scire,
quare Jesu nomen mire
facit bonos concupire
sui inhærentiam.
Divisio.[2]
Jesus pulcher in decore,
summe bonus in valore,
mitis, lenis cum dulcore,
pronus ad clementiam;
Jesus est rex generosus,
Jesus forma speciosus,
Jesus lingua gloriosus,
et mirandus opere;
Jesus fortis animosus,
Jesus pugil vigorosus,
Jesus donis copiosus,
et gaudet tribuere;
Jesus pie viscerosus,
Jesus ductor luminosus,[3]
Jesus est deliciosus,
et sapit dulcissime;
Jesus fama gloriosus,
Jesus cunctis fructuosus,
Jesus totus virtuosus,
fovet suos optime.
Summus potens in vigore,
summus celans in honore,
summus gratus in amore,
omnem laudem obtinet.

[1] quia.—92. 94.
[2] non notatur in 92. 94. 97. 98. 57.
[3] non habent 92. 94.

In sciendo summe sapit,
ambiendo cuncta capit,
diligendo corda rapit,
et illata detinet.
Eya nobis nomen gratum,
Jesus dulcis appellatum,
sit in corde sic firmatum,
ut non possit erui;
Hoc reatum peccatorum
tollat, præstet jubilorum
[1]odas, sede[1] beatorum
donet [2]nobis[2] perfrui. [3]Amen.[3]

Alia Sequentia.

Dulcis Jesu memoria,
dans vera cordis gaudia,
sed super mel et omnia
ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
nil auditur jucundius,
nil cogitatur dulcius,
quam Jesus Dei Filius.
Jesu, spes pœnitentibus,
quam pius es petentibus,
quam bonus te quærentibus,
sed quid invenientibus!
Jesu, dulcedo cordium,
fons vere, lumen mentium,
excedis omne gaudium,
et omne desiderium.
Nec lingua potest dicere,
nec literæ exprimere,
expertus novit tenere,
quid sit Jesum diligere.
Jesum quæram in lectulo,
clauso cordis cubiculo,
privatim et in publico
quæram amore sedulo.
Cum mane diluculo,
Jesum quæram in tumulo
cordis clamore querulo
mente quæram non oculo.
Jesus ad Patrem rediit,
regnum cœleste subiit,
cor meum a me transiit,
post Jesum simul abiit.
Jam prosequamur laudibus,
hymnis Jesum et precibus,
ut nos donet cœlestibus
cum justis frui sedibus.—*Grad.*

Secundum Matthæum.

c. 1

In illo témpore, Angelus Dómini apáruit in somnis Joseph dicens; Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium: et vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per prophétam dicentem: Ecce virgo concípiet in útero et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel, quod interpretátur Nobíscum Deus.

Credo in die tantum.

Offertorium. Marc. 16 In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint non eis nocébit; super ægros manus impónent et bene habébunt. Allelúya.

Secreta.

In veneratione nominis [4]dilectissimi[4] Filii tui Domini nostri Jesu Christi, tibi, Deus pater misericordiarum, devo-

[1] sed et odas.—4L. 15. 57. Odas sed et.—92.
[2] bonis.—4L. 57.
[3] non habent 97. 98.
[4] dilecti.—92. 94. 97. 98.

tis mentibus hostias immolamus; suppliciter deprecantes, ut earum virtute cunctis egentibus præstetur auxilium, ut in eodem nomine delectantes, salutarem sui propositi consequantur effectum. Per eundem.

Præfatio. Quia per incarnáti Verbi, per totum annum.

Communio. Apoc. 2 Vincenti dabo manna absconditam: et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum quod nemo [1]scit[1] nisi qui accipit. Alleluya.

Postcommunio.

SACROSANCTA mysteria quæ sumpsimus, Domine, ad honorem [2]complacentissimi nominis Filii tui[2] Domini nostri Jesu Christi devotis præcordiis recolentes; quæsumus, ut incrementa spiritualis exsultationis nobis accumulent, et affectum nostrum ad hoc salutiferum nomen [3]Jesu[3] jugiter imprimendum accendant, et ad jubilandum in Jesu salvatore nostro dulcissimo, tota mentis intentione promoveant. Per eundem.

[4]Per totas octavas dicatur Missa prædicta, quando de octavis agitur; sed sine Credo. Et cum Sequentia, Jesus pulcher in decore, ut supra in divisione.[4] [5]

Sancti Donati episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui es tuorum gloria sacerdotum, præsta, quæsumus, ut sancti Donati martyris tui atque pontificis cujus festa [6]celebramus,[6] sentiamus auxilium. Per Dominum.

Epistola. Nemo mílitans, in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, oleo sancto[7] unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei: ei bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Dispósui testaméntum electis meis: jurávi David servo meo.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter, desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

EXAUDI, [8]Domine,[8] preces nostras, et ut tibi digna sint munera quæ oculis tuæ majestatis offerimus, intercedente beato Donato martyre tuo atque pontifice, subsidium nobis [9]tuæ[9] pietatis impende. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus

[1] novit.—92. 94. 97. 98.
[2] complacentissimi.—92. 94. nominis complacentissimi Filii tui.—4L. 15. 57.
[3] nobis.—4L. 15. 57. nil habent 92. 94. 97.
[4] non habent 92. 94. 97. 98.
[5] vide supra, fol. 492.
[6] agimus—94. 97. 98.
[7] ita 26. etc. meo.—55P. V.
[8] Domine, quæsumus.—92. 94. 98. 4L. 15 57. quæsumus, Domine.—97.
[9] Domine.—92. 4L. 15. 57.

in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

DEVOTIONI nostræ, Domine, quæsumus, clementer adesto; ut (intercedente beato Donato martyre tuo atque pontifice) quod ad honorem tui nominis debito frequentamus obsequio, fiat nobis remedium salutare. Per Dominum.

Sancti Cyriaci sociorumque ejus martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 33

IMÉTE Dóminum, omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum, dívites eguérunt et esuriérunt, inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua [1]beatórum mártyrum tuórum, Cyríaci[1] sociorúmque ejus solemnitáte lætíficas, concéde propítius, ut quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 2

QUETUÉNTES Dóminum, sustinéte misericórdias ejus; et non deflectátis ab illo ne cadátis. Qui timétis Dóminum crédite illi; et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum speráte in illum; et in oblectatióne eius véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum diligite illum; et illuminabúntur corda vestra. Respícite, fílii, natiónes hóminum; et scitóte quia nullus sperávit in Dómino et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, et derelíctus est? Aut quis invocávit illum, et despéxit eum? Quóniam pius et miséricors est Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 33 Timéte Dóminum omnes sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum: non defícient omni bono.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

Secundum Marcum. c. 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Eúntes in mundum univérsum, prædicáte evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: In nomine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

PRO sanctorum tuorum Cyriaci sociorumque ejus martyrio venerando tibi, Domine, laudis hostias immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quæ talis est perfecta victoria. Per.

Communio. Marc. 16 Signa eos qui in me credent hæc sequéntur dæmónia ejícient, super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Postcommunio.

SANCTORUM martyrum tuorum, Cyriaci sociorumque ejus precibus confidentes, quæsumus Domine, ut per ea quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per Dominum.

[1] beati Cyriaci martyris tui.—92. 4L. 15. 57.

[1]Quando vigilia sancti Laurentii extra dominicam evenerit, tunc dicatur Missa de octavis Jesu post tertiam, cum memoria de sancto Romano, et post sextam dicatur Missa de vigilia, utraque ad principale altare. Quando vigilia sancti Laurentii in dominica evenerit, tunc dicatur Missa de vigilia in capitulo cum memoria de sancto Romano. Et in summa Missa de octavis Jesu fiat memoria de dominica et de Trinitate; et nihil de sancto Romano; et tunc in feria iv. proxima sequente dicatur Missa dominicalis in capitulo.[1]

In vigilia sancti Laurentii martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. III

Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória.

Psalmus. Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus volet nimis.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut triumphum beati Laurentii martyris tui, quem despectis ignibus consummavit in terris, perpetua cœlorum luce conspicuum digno fidei fervore veneremur. Per.

Memoria de sancto Romano martyre.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Románi mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex; et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium. Et in conspéctu [2]astántium[2] factus es mihi adjútor, et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad escam; de mánibus quæréntium ánimam meam, et de [3]multis tribulationibus quæ circumdedérunt me;[3] a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non surn æstuátus. De altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii; a rege iníquo et a lingua injústa.[4] Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum; [5]et vita mea appropinquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me undique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum; et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et cooperatiónis tuæ quæ a sæculo sunt,[5] quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus [6]meus.[6]

Gradale. Ps. III Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Si dominica fuerit, dicitur.

Allelúya. ℣. Levita Laurentius bonum opus operatus est qui per signum crucis cæcos illuminavit: et thesauros ecclesiæ dedit pauperibus.

[1] non habent 92. 94. 4L. 15. 57.
[2] persequentium.—92. 97. 98.
[3] multis tribulationibus et.—97. 98. portis tribulationum quæ circumdederunt me.—4L. V.
[4] liberasti me.—92. 97. 98. 15. 57.
[5] non habent 92. 97. 98.
[6] noster.—92. 94. 97. 98.

Evangelium. Si quis vult post me venire, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Job 16 Orátio mea munda est: et ídeo peto ut detur locus voci meæ in cœlo, quia ibi est judex meus et cónscius meus in ætérnum; ascéndat ad Dóminum deprecátio mea.

Secreta.

TANTO placabiles tibi, Domine, quæsumus, nostræ sint hostiæ, quanto sancti martyris tui Laurentii pro cujus solemnitate exhibentur, tibi grata sunt merita. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Romano.

MUNERIBUS nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, et cœlestibus nos munda mysteriis, et (intercedente beato Romano martyre tuo) clementer exaudi. Per Dominum.

Communio. Matth. 16 Qui vult veníre post me: ábneget semetípsum, et tollat crucem suam: et sequátur me.

Postcommunio.

CONSERVA, quæsumus, Domine, munus tuum in nobis; ut quod, te donante, pro beati Laurentii martyris tui solemnitate percepimus, et salutem nobis operetur et pacem. Per Dominum.

Postcommunio de sancto Romano.

DA, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut beati Romani martyris tui temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum.

In die sancti Laurentii martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 95

CONFÉSSIO et pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Psalmus. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino omnis terra.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per.

Memoria de Nomine Jesu.

Epistola: Ad Corinthios. 2 c. 9

FRATRES, Qui parce séminat, parce et metet. Et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquísque prout destinávit in corde suo, non ex tristítia aut necessitáte. Hílarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis: ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est; Dispérsit dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem administrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Gradale. Ps. 16 Probásti, Dómine, cor meum: et visitásti nocte.

℣. Igne me examinásti: et non est invénta in me iníquitas.

Allelúya. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis cæcos illuminávit.

Sequentia.

STOLA jocunditatis, alleluya,
Induit hodie Dominus
militem suum Laurentium.
Solito plaudat alacrius
concio læta fidelium.
Hodie martyr insignis
hostiam Deo placentem obtulit;
Hodie tormentum ignis
graviter examinatus pertulit;
Animatus ad certamen
monitu beati senis,

Gravissimis non refugit
exhibere membra pœnis.
Ante regem accersitur,
et de rebus convenitur
occultis Ecclesiæ;
Sed non cedit blandimentis,
emollitur aut tormentis
ejus avaritiæ.
Luditur Valerianus;
et levitæ larga manus,
dum petit inducias,
Dat, minister caritatis,
pauperibus congregatis
facultatum copias.
Furit igitur præfectus,
et paratur ardens lectus;
insultantis viscera
crates urit aspera.
Sudat martyr in agone,
spe mercedis et coronæ,
quæ datur fidelibus
pro Christo certantibus.
De cujus militia
cœli gaudet curia,
Quia vicit hodie
ministros nequitiæ.
Ut hunc ergo per patronum
consequamur vitæ donum,
In illius die festo
chorus noster lætus esto,
Jocundum in ecclesia
Decantans alleluya.

Evangelium. Nisi granum, in Communi, fol. 581.

Offertorium. Ps. 95 Conféssio et pulchritúdo in conspécta ejus: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Secreta.

AT tuis, Domine, mysteriis digni reddamur, illa, quæsumus, veritas nos illuminet semper et foveat, quæ in beati Laurentii martyris tui corde flammam [1]tuæ[1] confessionis accendit, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum.

Communio. Johan. 12 Qui mihi minístrat me sequátur: et ubi ego sum, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

SACRO munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur; ut quod debitæ servitutis celebramus officio, (intercedente beato Laurentio martyre tuo) salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per.

Sancti Tyburtii martyris.

Ad Missam: Oficium. Ps. 91

USTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Psalmus. Bonum est confitéri Dómino; et psállere nómini tuo, altíssime.

Oratio.

BEATI Tybúrtii mártyris tui nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia; quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Memoria de sancto Laurentio.

Epistola. Doctrínis váriis, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 36 Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manum ejus.
℣. Tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúya. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Evangelium. Si quis vult in Communi, fol. 582.

[1] suæ.—92. 4L. 57.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit et tribuísti ei. Allelúya.

Secreta.

GRATA tibi sint, Domine, hæc sacrificia, quæ in sancti Tyburtii martyris tui passione deferuntur; cujus intercessione, quæsumus, salutaria nobis efficiantur. Per Dominum.

Communio. Matth. 26 Qui vult veníre post me: ábneget semetípsum: et tollat crucem suam: et sequátur me.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut (interveniente beato Tyburtio martyre tuo) et tua in nobis dona multiplices, et misericorditer largita conserves. Per Dominum.

Sancti Ypoliti sociorumque ejus martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 67

USTI epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Ypóliti mártyris tui sociorúmque ejus veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

Memoria de Nomine Jesu et de sancto Laurentio.

Epistola. Justi autem in perpetuum, in Communi, fol. ??.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.

℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúya. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte: vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Si dominica fuerit, dicitur Sequentia[1] de Communi plurimorum martyrum, fol. 589.

Evangelium. Attendite a fermento, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

Secreta.

RESPICE, quæsumus, Domine, munera populi tui in sanctorum martyrum tuorum Ypoliti sociorumque ejus honore oblata; et testificatio tuæ veritatis nobis proficiat ad salutem. Per.

Communio. Luc. 12 Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis, sanctorum martyrum tuorum Ypoliti sociorumque ejus attolle benignus suffragiis; ut nostræ redemptionis [3]effectum[2] et mysteriis capiamus et moribus. Per Dominum.

[3]Quando vigilia Assumptionis beatæ Mariæ extra Dominicam evenerit, tunc dicatur Missa de octavis Jesu post tertiam, cum memoriis de sanctis Eusebio et Laurentio, et post sextam dicatur Missa de vigilia; utraque ad principale altare. Quando

[1] Ecce pulcra.—98.
[2] affectum.—94. 97. 98.
[3] non habent 92. 94. 4L 15. 57.

vigilia Assumptionis beatæ Mariæ in Dominica evenerit, tunc dicatur Missa de vigilia in capitulo cum memoriis de sanctis Eusebio et Laurentio; et in summa Missa de octavis Jesu fiat memoria de Dominica et de Trinitate, et nihil de sanctis Eusebio et Laurentio; et tunc in tertia feria proxima sequente dicatur Missa dominicalis in capitulo.[3]

In vigilia Assumptionis.

Ad Missam: Officium. [Sedulius, Carm. Pasch. 2. 63.]

SALVE sancta parens enixa puérpera regem: qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

Ps. Luc. 1 Benedícta tu in muliéribus: et benedíctus fructus ventris tui.

In hac vigilia non repetatur Officium post Psalmum, sed post Glória Patri et Sicut erat tantum. Ad hanc Missam de vigilia dicitur cantus ferialis super Kýrie eléison, Glória in excélsis, Sanctus et Agnus, nisi Dominica fuerit; tunc enim dicitur cantus super Kýrie eléison, Glória in excélsis, Sanctus, et Agnus et Ite missa est, sicut in festo trium lectionum sine regimine chori; et dicitur Missa in capitulo.

Oratio.

DEUS, qui virginálem aulam beátæ Maríæ in qua habitáres elígere dignátus es; da, quæsumus, ut sua nos defensióne munítos, jocúndos[1] fáciat suæ interésse festivitáti. Qui vivis et regnas.

Memoria de sancto Eusebio.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Eusébii confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Memoria de sancto Laurentio.

Lectio libri Sapientia. Eccli. 24

AB inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam; et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Hierúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in partes Dei mei heréditas illius. Et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

Gradale. Benedícta et venerábilis es virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Si dominica fuerit, dicitur,

Allelúya. ℣. Post partum virgo inviolata permansísti: Dei génitrix, intercéde pro nobis.

Evangelium: secundum Lucam. c. 11

IN illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi; Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit; Quinímmo, beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Offertorium. Felix namque es, sacra virgo María et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster.

[2]Et dicitur hac die sine Allelúya. Quandocunque dicitur (extra Septuagesimam usque ad Pascha) nisi ad hanc Missam de vigilia tantum, cum extra Dominicam evenerit.

[1] ita 55P. etc. nos.—13. 15. 26.
[2] In tempore Paschali, Alleluya.—Grad. et dicitur hac die sine Alleluya nisi Dominica fuerit.—92. 4L. 15. 57.

℣. Beáta es, virgo Maria, quæ Dominum portasti creatorem mundi: genuisti qui te fecit et in æternum permanes virgo.[2]

Secreta.

MÚNERA nostra, Dómine, quæsumus, apud cleméntiam tuam Dei genitrícis comméndet orátio; quam idcírco de præsénti sæculo transtulísti, ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercédat. Per eúndem.

Alia Secreta de sancto Eusebio.

SANCTI Eusebii confessoris tui interventu, Domine, tibi servitus nostra complaceat; et oblatio præsentium munerum fiat præsidium devotorum. Per.

Præfatio quotidiana.

Communio. Alma Dei genitrix, succurre precantibus cunctis: nos quoque una precamur supplices, ut tuis precibus adjuti laudemus Trinitatem.

Postcommunio.

CONCÉDE, quæsumus, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei genitrícis et vírginis Maríæ réquiem celebrámus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúndem Dóminum.

Alia Postcommunio de sancto Eusebio.

LÆTI, Domine, sumpsimus sacramenta cœlestia, quæ nobis (intercedente beato Eusebio confessore tuo) sentiamus uberius profutura. Per.

In die Assumptionis beatæ Mariæ virginis.

Ad Missam: Officium.

AUDEÁMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre Maríæ vírginis: de cujus assumptióne gaudent ángeli, et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Kýrie. Deus creátor.

Oratio.

VENERANDA nobis, Domine, hujus diei festivitas opem conferat sempiternam, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit; quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24

IN ómnibus requiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium; et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo. Et dixit mihi; In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte rádices. Et sic in Syon firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiávi, et in Hierúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in partes Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Syon. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Hiéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquas in platéis. Sicut cynamómum et bálsamum aromatízans, odórem dedi. Quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Alia Epistola per octavas.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 3, 4, 6, 7

EGREDÍMINI et vidéte, fíliæ Syon, regem Salomónem in diademate quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis illíus et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es et decóra. Oculi tui columbárum absque eo quod intrínsecus latet. Tota pulchra es,

amíca mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. Quam pulchræ sunt mammee tuæ, soror mea, sponsa. Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua; et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusua soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Veni in hortum meum, soror moa, sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Syon, et beatissimam prædicaverunt: reginæ et concubinæ[1] laudaverunt eam. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Quam pulchra es, et quam decora, carissima, in deliciis; statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.

Et legantur alternis vicibus per octavas, videlicet una die In ómnibus réquiem quæsívi, et altera die Egredímini. Ita tamen quod in dominica infra octavas et in octava die dicitur Epistola, In ómnibus réquiem.

Gradale. Ps. 44 Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Audi fília et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

Allelúya. ℣. Hódie María virgo cœlos ascéndit, gaudéte: quia cum Christo regnat in ætérnum.

[1] et—98. V.

Sequens Allelúya dicitur quotidie per octavas, nisi in dominica et in octava die; tunc vero dicitur Allelúya sicut in prima die.

Allelúya. ℣. Assúmpta est María in cœlum: gaudent ángeli et collaudántes benedícunt Dóminum.

Sequentia.

HREA virga primæ
matris Evæ,
florens rosa
processit Maria.
Oritur ut lucifer
inter astra
ætherea:
perpulchra ut luna;
Fragrascit ultra omnia
balsama, pigmenta,
et thymiamata;
Purpurea ut viola,
roscida ut rosa,
candens ut lilia:
Patris summi quam elegit
proles deica,
ut assumeret
carnem sacrosanctam
ex virginis carne incorrupta.
Celsus nuntiat Gabriel
nova gaudia,
æterni regis
exortum in terra;
matremque ejus ita salutat;
Ave Maria,
Domini mei mater alma:
cœlica plena gratia;
Et dicitur trina vice.
Tu benedicta
regem in sæcula paries;
effecta orbis regina.
Fœcunda ego, inquit,
quomodo esse queam

cum virum non agnoscam
ex quo sum nata,
et semper permanens
virgo pudica.
Ne timeas, respondit
angelus; Sanctum Pneuma
descendet in te, casta,
quo fœcundata
paries Deum et
hominem una.
O vere sancta
atque amanda,
ex qua est orta
redemptio nostra:
salus quoque mundi
veraque vita.
O Dei nostri
genitrix pia:
suscipe nostra
hac die precata,
in qua es assumpta
ad cœli claustra.
Tu es enim Patri cara,
tu es Jesu mater bona,
tu Sancti Spiritus
es templum facta.
Tu es pulchra Dei sponsa,
tu regem Christum enixa,
domina es in cœlo
et in terra;
Hodie namque curiæ
cœlestis tibi obvia agmina
te assumpserunt
ad palatia stellata.
Jesus et ipse [1]festivus[1]
tibi matri cum angelis occurrens,
sede paterna
secum locavit in sæcula.
Jam cum Deo regnans,
nostra excusa clemens mala:
poscens cuncta bona, O benigna;
Mediatrix nostra,
quæ es post Deum spes sola,
tuo Filio nos repræsenta,
Ut in poli aula
læti jubilemus, Alleluya.

[1] festinus.—98. 4L. 57.

Secundum Lucam. c. 10

In illo témpore, Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Quæ stetit et ait; Dómine, non est tibi curæ, quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus; Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima. Porro, unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Credo.

Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus, in ætérnum et in sæculum sæculi.

Secreta.

Grata tibi, Domine, quæsumus, munera nostra efficiat beatæ Dei genitricis oratio; quam et si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria pro nobis apud te jugiter orare sentiamus.

Præfatio. Et te in assumptióne.

Hæc Præfatio dicitur quotidie per octavas et in octava.

Communio. Beáta víscera Maríæ vírginis: quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

Mensæ cœléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómi-

ne Deus noster; ut qui festa Dei genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessiónibus liberémur. Per eúndem.

℣. Quotidie per hebdomadam dicitur eadem Missa cum propriis Sequentiis, sed sine Credo; tamen in dominica dicitur Credo et in octava si dominica fuerit.[1]

Secunda die. Sequentia.

Post partum virgo, Maria,
Dei genitrix fecunda,
gratia tonantis plena.
Ave, terrarum domina,
alma cœlorum regina.
Tibi æthera
omnisque sanctorum turma
depromat symphonia.
Tellus, flumina,
atque sylvarum nemora
resultent voce sua.
Salve, parens inclyta,
felix puerpera.
Per te tux et veritas
mundo est edita.
Tu Jesum papilla
lactasti sacra,
exstans virgo feta,
mater intacta.
Unde nostris eya
fave votis, domina,
Christum interpellans
pro salute humana.
Per te, mater, aboleri
filiorum flagitamus crimina,
Nosque omnes introduci
sempiterna Paradisi gaudia,
Quo perennis vitæ
perfruamur gloria.
Amen.

Tertia die. Sequentia.

Ave Maria, gratia plena;
Dominus tecum, virgo serena.
Benedicta tu in mulieribus,
Quæ peperisti pacem hominibus
et angelis gloriam.
Et benedictus fructus ventris tui,
Qui coheredes ut essemus sui
nos fecit per gratiam.
Per hoc autem ave
mundo tam suave,
contra carnis jura,
Genuisti prolem,
novum stella solem,
nova genitura.
Tu parvi et magni
leonis et Agni
Salvatoris Christi
templum exstitisti
sed virgo intacta.
Tu floris et roris
panis et pastoris,
virginum regina,
rosa sine spina,
genitrix es facta;
Tu civitas Regis justitiæ,
Tu mater es misericordiæ,
Theophilum reformans gratiæ
De lacu fæcis et miseriæ.
Ergo maris stella,
Verbi Dei cella,
et solis aurora,
Paradisi porta,
per quam lux est orta,
Natum tuum ora,
Nos ut solvat a peccatis
et in regno claritatis
quo lux lucet sedula
collocet per sæcula.
Amen.

[1] Quotidie per octavas dicitur eadem Missa cum propriis Sequentiis et cum Cantu super Kyrie, Gloria in excelsis, Sanctus et Agnus, per ordinem, sicut infra octavas cum regimine chori. Alleluya ut supra notatum est, sine Credo; tamen si dominica dicitur Credo, et in octavis si dominica fuerit.—*Grad.*

Quarta die. Sequentia.

LÆTABUNDUS exsultet
fidelis chorus,
alleluya;
Nota quod in lxx. pro alleluya dicitur die ista.
Regem regum intactæ
profudit thorus,
res miranda;
Angelus consilii,
natus est de virgine,
sol de stella;
Sol occasum nesciens,
stella semper rutilans,
semper clara.
Sicut sidus radium,
profert virgo Filium,
pari forma;
Neque sidus radio,
neque mater Filio,
fit corrupta.
Cedrus alta Libani
conformatur hyssopo
valle nostra,
Verbum ens Altissimi
[1]corporari[1] passum est
carne sumpta.
Esaias cecinit,
synagoga meminit,
nunquam tamen desinit
esse cæca.
Si non suis vatibus
credat vel gentilibus
sibyllinis versibus
hæc prædicta.
Infelix propera,
crede vel vetera;
cur damnaberis,
gens misera?
Quem docet litera
vatum considera;
ipsum genuit
puerpera.

Quinta die. Sequentia.

HAC clara die turma
festiva dat præconia,
Mariam concrepando
symphonia nectarea.
Mundi Domina quæ est sola
castissima virginum regina,
Salutis causa, vitæ porta,
atque cœli referta gratia.
Nam ad illam sunt nuncia olim facta an-
[gelica,
Ave Maria gratia Dei plena per sæcula;
Mulierum pia
agmina, intra
semper benedicta;
Virgo et gravida
mater intacta
prole gloriosa.
Cui contra Maria
hæc reddit famina;
In me quomodo tua
jam fient nuncia?
Viri novi nullam
certe copulam;
Ex quo atque nata
sum incorrupta.
Diva missus ita
reddit affata;
Flatu sacro plena
fies, Maria;
Nova efferens gaudia
cœlo terræ nati per exordia,
Intra tui uteri claustra,
portans qui gubernat [2]æterna,[2]
Omnia qui dat tempora
pacifica.

[1] ita 55P. etc. corporali.—13. 15. 26.
[2] æthera.—94.

Sexta die. Sequentia.

Ave, mundi spes, Maria;
ave, mitis, ave, pia,
ave, plena gratia;
Ave, virgo singularis,
quæ per rubum designaris
non passum incendia.
Ave, rosa speciosa,
ave, Jesse virgula,
Cujus fructus nostri luctus
relaxavit vincula.
Ave, carens simili;
mundo diu flebili
reparasti gaudium.
Ave, cujus viscera
contra mortis fœdera
ediderunt Filium.
Ave, virginum lucerna,
per quam fulsit lux superna,
his quos umbra tenuit.
Ave, virgo de qua nasci
et de cujus lacte pasci
Rex cœlorum voluit.
Ave, gemma cœli luminarium,
Ave, Sancti Spiritus sacrarium.
O quam mirabilis
et quam laudabilis
hæc est virginitas;
In qua per Spiritum
facta Paraclytum
fulsit fecunditas.
O quam sancta, quam serena,
quam benigna, quam amena,
esse virgo creditur;
Per quam servitus finitur,
porta cœli aperitur,
et libertas redditur.
O castitatis lilium,
tuum precare Filium,
qui salus est humilium;
Ne nos pro nostro vitio
in flebili judicio
subjiciat supplicio;
Sed nos tua sancta prece
mundans a peccati fæce,
Collocet in lucis domo,
amen dicat omnis homo.

Septima die. Sequentia.

Hodiernæ lux diei
celebris in matris Dei
agitur memoria.
Decantemus in hac die
semper virginis Mariæ
laudes et præconia.
Omnis homo, omni hora,
ipsam ora, et implora
ejus patrocinia;
Psalle, psalle, nisu toto,
cordis, oris, voce, voto,
ave, plena gratia;
Ave, Domina cœlorum,
inexperta viri thorum,
parens paris nescia.
Fecundata sine viro,
genuisti [1]modo[1] miro
Genitorem, filia.
Florens hortus austro flante,
porta clausa post et ante,
via viris invia.
Fusa cœli rore tellus,
fusum Gedeonis vellus,
Deitatis pluvia.
Salve, splendor firmamenti;
tu caliginosæ menti
desuper irradia;
Placa mare, maris stella,
ne involvat nos procella
et tempestas obvia.

[1] more.—92. 97. 98.

Tertia die infra octavas Assumptionis dicitur Missa in capitulo de

Octava sancti Laurentii.

Ad Missam: Officium. Ps. 16

PROBÁSTI, Dómine, cor meum et visitásti nocte: igne me examinásti: et non est invénta in me iníquitas.

Psalmus. Exáudi, Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam.

Oratio.

BEATI Laurentii martyris tui nos faciat, Domine, passio veneranda lætantes; et ut eam sufficienter recolamus, efficiat promptiores. Per Dominum.

Epistola. Qui parce seminat, ut supra in die.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei; et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis cæcos illuminávit, et thesáuros ecclésiæ dedit paupéribus.

Si vigilia in dominica evenerit, tunc hac die dicetur sequens

Allelúya. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis cæcos illuminávit.

Secundum Matthæum. c. 10

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam. Et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit. Et qui me récipit, récipit eum qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet. Et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúnque potum déderit uni ex mínimis istis, cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli; amen dico vobis: non perdet mercédem suam.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter, desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

BEATI Laurentii martyris tui honorabilem passionem muneribus, Domine, geminatis exsequimur; quæ licet propriis sit memoranda principiis, indesinenter tamen permanet gloriosa. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

SALUTARE nobis, Domine, quæsumus, intercessio beati Laurentii martyris tui præstet auxilium, ut cœlestis mensæ participatio quam sumpsimus, tribuat Ecclesiæ tuæ recensitam lætitiam. Per Dominum.

Sciendum est, quod quandocunque octava sancti Laurentii in dominica contigerit, Missa de ipsa octava in [1]illa dominica[1] in capitulo dicitur, [2]et Missa dominicalis in vigilia sancti Bartholomæi in capitulo dicatur;[2] nisi cum fuerint xxvi. vel xxvii.

[1] illo anno omnino prætermittatur, et Missa dominicalis.—*Grad.*
[2] non habent 92. 4L. 15. 57.

dominicæ a Deus omnium usque ad Adventum Domini; tunc enim ibi una Missa dominicalis differatur.[1]

Dominica infra octavas Assumptionis

ad missam omnia fiant sicut in prima die, more simplicis festi ix. lectionum; ita tamen quod Kýrie, Glória in excélsis, Sequentia, Sanctus, et Agnus per ordinem dicantur.

Quarta die infra octavas

fiat memoria de sancto Agapito martyre.

Oratio.

LÆTÉTUR Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti mártyris tui confísa suffrágiis, atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat et secúra consístat. Per Dóminum.

Secreta.

PRO beati Agapiti martyris tui passione veneranda hostias laudis tibi, Domine, immolantes, quæsumus, ut ejus orationibus placeant pro cujus meritis offeruntur. Per Dominum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine Deus noster, ut sacramenti tui virtute percepta, intercessione beati Agapiti martyris tui tanto munere digni reddamur. Per Dominum.

Quinta die infra octavas

fiat memoria de sancto Magno martyre.

Oratio.

HDESTO, Domine, supplicationibus nostris; et (intercedente beato Magno martyre tuo) ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per Dominum.

Secreta.

OBLATIS tibi, Domine, quæsumus, fidelium tuorum muneribus intende propitius; et ut nullius [2]sit[2] irrita postulatio, nullius inane sit votum, gloriosi martyris tui Magni desideratum nobis præbe subsidium. Per.

Postcommunio.

TUA sancta sumentes, quæsumus, Domine, ut beati Magni martyris tui nos foveant continuata præsidia. Per.

In octava Assumptionis beatæ Mariæ

ad Missam omnia fiant sicut in prima die, more simplicis festi ix. lectionum, et dicitur super Kýrie cantus de Kýrie omnípotens; dicitur etiam Spíritus et alme, a tribus clericis de superiori gradu in superpelliciis ad gradum chori, et dicitur Sanctus cum hac additione, Benedíctus Maríæ Fílius. Et fiat memoria de martyribus Timotheo et Simphoriano.

[1] et Missa de octavis sancti Laurentii in capitulo dicitur. Si octava sancti Laurentii in dominica evenerit et tempus breve fuerit infra inceptionem Historiæ Deus omnium et Adventum Domini, ita quod contineant xxv. dominicæ et infra, tunc Missa de octava omnino prætermittatur et Missa de dominica in capitulo dicitur. De hac materia dictum est supra in magna rubrica post *Deus omnium;* in quibusdam tamen Ordinalibus de Usu Sarum super hac materia, talia datur regula.—Sciendum est quod quandocunque octava sancti Laurentii in dominica contigerit, Missa de ipsis octavis illa die in capitulo dicitur, et Missa de dominica in vigilia sancti Bartholomæi in capitulo dicitur, et nisi cum fuerint xxvi. vel xxvii. dominicæ a Deus omnium usque ad adventum Domini; tunc enim una Missa dominicalis differatur.—*Grad.*

[2] non habent 92. 94. 97. 98. 4L.

Oratio.

AUXILIUM tuum nobis, quæsumus, Domine, placatus impende; et (intercedentibus beatis martyribus tuis Timotheo et Simphoriano,) dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

Et dicitur ista Sequentia.

AVE, præclara maris stella,
in lucem gentium
Maria divinitus orta.
Euge, cœli porta,
quæ non aperta
veritatis lumen
ipsum solem justitiæ
indutum carne
ducis in orbem.
Virgo, decus mundi,
regina cœli,
præelecta ut sol,
pulchra lunaris ut fulgor,
agnosce omnes
te diligentes.
Te, plenam fide,
virgam almæ stirpis Jesse,
nascituram
priores desideraverunt
patres et prophetæ;
Te, lignum vitæ,
Sacro rorante Pneumate
parituram
divini floris amygdalum
signavit Gabriel;
Tu, agnum, regem,
terræ dominatorem,
Moabitici
de petra deserti
ad montem filiæ
Syon traduxisti;
Tuque furentem
leviathan serpentem,
tortuosumque
et vectem collidens
damnosum crimine
mundum exemisti.
Hinc gentium nos reliquiæ,
tuæ sub cultu memoriæ.
Mirum in modum,
quem es enixa
propitiationis
agnum, regnantem
cœlo eternaliter,
revocamus ad aram
mactandum mysterialiter.
[1]Hinc[1] manna verum Israelitis,
veris veri Abrahæ filiis
Admirantibus
quondam Moysi
quod typus figurabat
jam nunc abducto
velo datur perspici.
ora virgo nos illo
pane cœli dignos effici.
Fac igni sancto
Patrisque Verbo,
quod rubus ut flamma
tu portasti,
virgo mater facta,
pecuali pelle
discincto pede
mundis labiis
cordeque propinquare.
Fac fontem dulcem
quem in deserto
petra præmonstravit,
degustare,
[2]quam[2] sincera fide
renesque succingi
lotos in mari,
anguem æneum
in cruce speculari.

[1] hic.—4L. 15. 57.
[2] cum.—94. 97.

Audi nos, nam te Filius
nihil negans honorat.
Salva nos, Jesu, pro quibus
virgo mater te orat.
Da fontem vitæ visere;
da puros mentis oculos
in te defigere;
Christianismi fidem
operibus redimere;
beatoque fine
Ex hujus incolatu,
sæculi auctor,
ad te transire.

Secreta.

ACCÉPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum; quorum se méritis percepísse de tribulatióne [1]cognóscit[1] auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

SACRO munere satiati, quæsumus, omnipotens Deus, ut (intervenientibus [2]sanctis[2] martyribus tuis Timotheo et Simphoriano, nos omnes sanctorum tuorum jubeas assisti collegio. Per.

In vigilia sancti Bartholomæi apostoli.

Quære omnia in Communi unius apostoli: et fiat memoria de martyribus Timotheo et Apollinare cum oratione de Communi. Si hæc vigilia in dominica evenerit, nihil fiat de vigilia præter memoriam.

In die sancti Bartholomæi apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

MIHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diei venerándam sanctámque lætítiam in beáti Bartholomæi apóstoli tui festivitáte tribuísti; da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod crédidit, et prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Memoria de sancto Audoeno episcopo.

Oratio.

DEUS, qui perennem gloriam sanctissimi confessoris tui atque pontificis Audoeni animæ contulisti: tribue, quæsumus, ejus nos apud te ita patrociniis sublevari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum.

Epistola. Jam non estis hospites, in Communi, fol. 573.

Gradale. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.
℣. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.
Allelúya. ℣. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Sequentia. Clare sanctórum, in Communi, fol. 574.

Evangelium. Facta est conténtio, in Communi, fol. 576.
Credo.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui in omni progénie et generatióne.

[1] cognoscat—92. 98. 4L.
[2] beatis.—94. 97. 98.

Secreta.

BEÁTI apóstoli tui Bartholomæi, Dómine, solémnia celebrántes, tuam cleméntiam deprecámur, ut ejus auxílio tua benefícia capiámus, in cujus veneratióne tibi laudis hóstias immolámus. Per Dóminum.

Alia Secreta de sancto Audoeno.

OBLATA, quæsumus, Domine, munera fidelis populi, meritis beatissimi Audoeni confessoris tui atque pontificis tibi reddantur accepta, ut ab omni contagione peccati eisdem quibus famulamur mysteriis clementer emundari mereamur. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

Postcommunio.

SUMPTIS, Domine, salutaribus sacramentis pro solemnitate beati apostoli tui Bartholomæi, supplices deprecamur, ut quæ prædicavit et credamus pariter et sequamur. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Audoeno.

DENSÆ cœlestis participatione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut sicut de beati Audoeni perpetua glorificatione annua celebritate gaudemus, ita ipsius apud te intercessione ab omni mereamur adversitate defendi. Per Dominum.

Sancti Ruphi martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

USTUS non conturbábitur quia Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit: in ætérnum conservábitur.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, ut (beati Ruphi martyris tui intercessionibus confidentes) nec minis adversantium nec ullo conturbemur incursu. Per Dominum.

Epistola. Beátus vir qui in sapiéntia, in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 36 Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manum ejus.
℣. Tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.
Allelúya. ℣. Ps. 111 Beátus vir [1]qui timet Dóminum: in mandátis ejus volet nimis.[1]

Evangelium. Nihil opértum, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, ob honorem beati Ruphi martyris tui offerimus, suppliciter deprecantes, ut sicut illi præbuisti sacræ fidei confessionem, sic nobis indulgentiam largiaris et pacem. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

CŒLESTI munere satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut, beati Ruphi martyris tui meritis, ubique nos adjuves. Per Dominum.

[1] suffert temptationem.—98.

Sancti Augustini episcopi et doctoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui beatum Augustinum Ecclesiæ tuæ in exponendis scripturæ sacræ mysteriis doctorem [1]catholicum[1] providisti; da nobis, quæsumus, ejus semper [2]et[2] doctrinis instrui, et oratione fulciri. Per Dominum.

Memoria de sancto Hermete martyre.

Oratio.

DEUS, qui beátum Hermétem mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti; ex ejus nobis imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Epistola. Dedit Dóminus, in Communi, fol. 600.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Adest nobis dies alma, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Vos estis sal terræ, in Communi, fol. 601.

Credo.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SANCTI confessoris tui atque pontificis Augustini nobis, quæsumus, Domine, pia non desit oratio; quæ et munera nostra tibi conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Hermete.

MUNERA nostra, quæsumus, Domine, propitiatus assume; et ut digne tuis famulemur altaribus, sancti Hermetis martyris tui nos intercessione custodi. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SUMENTES, Domine, salutaria sacramenta, quæsumus, ut ejus nos tribuas subsequi documenta, cujus [3]celebramus gloriosa solennia.[3] Per.

Alia Postcommunio de sancto Hermete.

REPLÉTI, Dómine, benedictióne cœlésti, quæsumus cleméntiam tuam, ut (intercedénte beáto Herméte mártyre tuo) quæ humíliter gérimus, salúbriter sentiámus. Per.

In Decollatione sancti Johannis Baptistæ.

dicitur Missa [4]in capitulo[4] de sancta Sabina virgine statim post primam ante tertiam more solito, et Missa de sancto Johanne post sextam.

[1] catholicæ.—26.
[2] non habent 94. 97. 98.
[3] celebratur gloriosa solemnitas.—94. 97. 98.
[4] non habent 92. 94. 97. 98.

De sancta Sabina virgine.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

OGNÓVI, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas: a mandátis tuis non me repéllas.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

BEATÆ Sabinæ virginis tuæ et martyris, Domine, precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, ut ejus meritis et precibus ad æterna gaudia pervenire valeamus. Per.

Epistola. Dómine Deus meus, in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextria tuis: in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

QUNERIBUS nostris, Domine, te magnificamus oblatis, quæ nobis et beatæ Sabinæ martyris tuæ patrocinia, et sempiterna concilient gaudia. Per Dominum.

Communio. Ps. 118 Príncipes persecúti sunt me gratis: et a verbis tuis formidávit cor meum; lætábor ego super elóquia tua: sicut qui invénit spólia multa concupívit ánima mea testimónia tua, Dómine, et diléxit ea veheménter.

Postcommunio.

REDEMPTIONIS nostræ mysteria celebrantes, quæsumus, Domine Deus noster, ut beatæ Sabinæ martyris tuæ meritis muniamur, et visionis tuæ gloria ineffabili perfruamur. Per Dominum.

Ad magnam Missam.

Officium. Ps. 8

LÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

SANCTI Johánnis Baptístæ et mártyris tui, Dómine, quæsumus, veneránda festívitas, salutáris auxílii nobis præstet augméntum. Per.

Nulla fiat memoria de sancta Sabina virgine ubi Missa de ea prius cantata fuerit.

Lectio libri Sapientiæ. Proverb. c. 10 et 11

EXSPECTATIO justorum lætitia: spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via Domini: et pavor his qui operantur malum. Justus in æternum non commovebitur: impii autem non habitabunt [1]super terram.[1] Os justi parturit sapientiam: et lingua pravorum peribit. Labia justi considerant placita: et os impiorum perversa. Simplicitas justorum diriget eos; et supplantatio perversorum vastabit illos. Justitia rectorum [2]liberabit[2] eos: et in insidiis suis capientur iniqui. Justus de angustia liberatus est: et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit

[1] in terra.—92. 97. 98.
[2] liberavit.—98. 15.

amicum suum: justi autem liberabuntur scientia. In bonis justorum exaltabitur civitas: et in perditione impiorum erit laudatio. In benedictione justorum exaltabitur civitas.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Marc. 6 Misso Heródes spiculatóre præcépit amputári caput Johánnis in cárcere.

Sequentia. Sancti Baptístæ. Require supra in Nativitate ejusdem.

Secundum Marcum. c. 6

In illo témpore, [1]Misit Heródes rex manum[1] et ténuit Johánnem, et vinxit eum in cárcerem propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui; quia dúxerat eam. Dicébat enim Johánnes Heródi; Non licet tibi habére uxórem fratris tui. Heródias autem insidiabátur illi, et volébat occídere eum, nec póterat. Heródes enim metuébat Johánnem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiébat eum. Et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. Et cum dies opportúnus accidísset, Heródes natalis sui cœnam fecit princípibus et tribúnis et primis Galilǽæ. Et cum introísset fília ipsíus Herodíadis et saltásset, et placuísset Heródi simúlque recumbéntibus; rex ait puéllæ; Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et jurávit illi: quia quicquid petíeris dabo tibi, licet dimídium regni mei. Quæ cum exísset, dixit matri suæ; Quid petam? At illa dixit; Caput Johánnis Baptístæ. Cumque introísset statim cum festinatióne ad regem, petívit dicens; Volo ut prótinus des mihi in disco caput Johánnis Baptístæ. Et contristátus est res propter jusjurándum, et propter simul discumbéntes, nóluit eam contristári: sed misso spiculatóre præcépit afférri caput ejus in disco. Et decollávit eum in cárcere; et áttulit caput ejus in disco: et dedit illud puéllæ, et puélla dedit matri suæ. Quo audíto discípuli ejus venérunt et tulérunt corpus ejus: et posuérunt illud in monuménto.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, allelúya.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, pro sancti Johánnis Baptístæ et mártyris tui passióne deférimus, qui dum finitur in terris, factus est cœlésti sede perpétuus; quǽsumus, ut ejus obténtu nobis proficiant ad salútem. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

Cónferat nobis, Dómine, quǽsumus, sancti Johánnis Baptístæ utrúmque solémnitas, ut et magnífica sacraménta quæ súmpsimus, [2]précibus[2] nostris significáta venerémur, et in nobis pótius édita gaudeámus. Per Dóminum.

Sanctorum Felicis et Adaucti martyrum.

Ad Missam: Officium. Ecclus. 44

Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum núnciat ecclésia: nómina autem eórum vivent in sǽculum sǽculi.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

[1] misit Herodes.—92. 97. 98. 4L. Ipse enim Herodes misit.—V.
[2] patribus.—92. 4L. 57.

Oratio.

MAJESTÁTEM tuam, Dómine, súpplices deprecámur, ut sicut nos júgiter sanctórum mártyrum tuórum Félicis et Adaucti commemoratióne lætíficas, ita semper supplicatióne defendas. Per Dóminum.

Epistola. Justórum ánimæ in manu Dei sunt, in Communi, fol. 587.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.
℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.
Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Evangelium. Atténdite a ferménto, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

HOSTIAS, quæsumus, Domine, quas solemniter immolamus pro martyrum commemoratione sanctorum, clementer suscipe; et concede, ut (eorum intercessione in quorum honore offeruntur) veniam delictorum consequi mereamur. Per.

Communio. Matth. 10 Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.[1]

REFECTI,[1] Domine, [2]sacris muneribus, quæsumus,[2] [3]ut,[3] intercedentibus sanctis martyribus tuis, Felice et Adaucto, in gratiarum semper actione maneamus. Per Dominum.

Sanctæ Cuthburgæ virginis non martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deua tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui eximiæ castitatis privilegio famulam tuam Cuthburgam multipliciter decorasti; da nobis famulis tuis, ejus promerente intercessione, utriusque vitæ prosperitatem; ut sicut ejus festivitas nobiscum agitur in terris, ita per ejus interventum nostri memoria apud te semper habeatur in cœlis. Per.

Epistola. Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.
Allelúya. ℣. 2 ad Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

ALTARIA tua, Domine, mysticis muneribus cumulamus, majestatem tuam

[1] repleti.—92. 97. 98.
[2] quæsumus sacris muneribus.—94. 97.
[3] non habent 97. 13.

suppliciter deprecantes, ut ipsius adjuvantibus meritis, carere mereamur cunctis contagiis. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

CŒLESTIBUS sacramentis refecti, majestatem tuam altaribus tuis, Domine, deprecamur inclinati; ut quæ in solemnitate beatæ Cuthburgæ lætanter percepimus (auxilio ejus intercessionis) nobis proficiant ad utriusque profectum salutis. Per.

Sancti Ægidii abbatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

s justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die beatum Ægidium confessorem tuum atque abbatem aulam regni cœlestis penetrare fecisti; tribue, quæsumus, ut cujus devote gloriamur meritis, ejus nos sentiamus confoveri suffragiis. Per Dominum.

Memoria de sancto Prisco martyre.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fortitudo certantium et martyrum palma, solemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, et Ecclesiam tuam continua fac celebritate lætari; ut, intercessione beati Prisci martyris tui, omnium in te credentium vota perficias. Per Dominum.

Epistola. Justus cor suum tradet, in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Sequentia. Adest nobis, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Nemo accéndit lucérnam, in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

MUNERIBUS nostris, Domine, quæsumus (sancti Ægidii confessoris tui atque abbatis intercessione) gratiam tuæ placationis infunde; ut et collata nobis remedia tuearis, et propitius conferenda largiaris. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Prisco.

ALTARIBUS tuis, Domine, munera pro commemoratione sancti Prisci martyris tui gratanter offerimus, precantes, ut, ipso intercedente, hæc eadem [1]nobis ad cœlestia promerenda proficiant. Per.

Communio. Matth. 24 [2]Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.[2]

Postcommunio.

PROTEGE, Domine, populum tuum de tua misericordia confidentem; et quos cœlestibus refecisti mysteriis, beati

[1] in.—97. 98.
[2] Beatus servus quem cum venerit Dominus.—97. 98.

Ægidii confessoris tui atque abbatis intercessione, tuis muneribus [1]assequendis[1] [2]effice[2] promptiores. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Prisco.

REFECTAM, Domine, sacræ participationis mysterio, tuere, quæsumus, plebem tuam; [3]et[3] beati Prisci martyris tui solemnia recolentem cœlestis gratiæ[4] largitate prosequere, ut visibilibus adjuta solatiis ad invisibilia bona promptius incitetur. Per Dominum.

Translatio sancti Cuthberti episcopi.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut qui beati Cuthberti confessoris tui atque pontificis translationis diem veneramur, per ipsius suffragia, pietatis tuæ semper beneficia consequamur. Per.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in diébus, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Si fiant ix. lectiones, dicitur Sequentia Adest, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

HÆC munera, quæsumus, Domine, beati Cuthberti confessoris tui atque pontificis intercessione sanctifica; et nos famulos tuos a peccatorum omnium maculis clementer emunda. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

UT hæc communio nos, Domine, tibi dignos efficiat, beatus Cuthbertus confessor tuus et pontifex, cujus translationis diem veneramur, suffragio, quæsumus, piæ intercessionis obtineat. Per Dominum.

Sancti Bertini abbatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

S justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in cordo ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui mirabiliter fulges in electis tuis, quos te habitatore glorificare voluisti; da nobis, quæsumus, beati Bertini confessoris tui atque abbatis ita digne solemnia venerari,

[1] exsequendis.—94. 97. 98.
[2] perfice.—94. 97. perficere.—98.
[3] ita 55P. etc. ut.—4L. 13. 15. 26. 57.
[4] cœlesti.—94. 97. 98.

ut, ejus suffragantibus meritis, templum tuum mereamur fieri. Per Dominum.

Epistola, Justus cor suum, in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.
℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.
Allelúya. ℣. Eccli. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Evangelium. Nemo accéndit lucérnam, in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

GRATIA Spiritus Sancti, Domine, quæsumus, hæc munera nostra assumat; et (intercedente beato Bertino Confessore tuo atque abbate) vitam nostram irreprehensibilem custodiat, et nos ad cœlestia regna perducat. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

TRIBUANT nobis, quæsumus, Domine, continuum tua sancta subsidium; quo (beati Bertini confessoris tui atque abbatis precibus) nos ab omnium semper tueantur adversis. Per Dominum.

In Nativitate beatæ Mariæ.

Ad Missum. Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Maríæ vírginis: de cujus nativitáte gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

SUPPLICATIONEM servorum tuorum, Deus miserator, exaudi; ut qui in nativitate Dei genitricis et virginis congregamur, ejus intercessionibus, a te de instantibus periculis eruamur. Per eundem.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris, et magnitúdinis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis; in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me; et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatióne sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient; et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur; et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Alia Epistola per octavas.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 4

O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Immortalis est enim memoria illius; quoniam [1]apud Deum nota est et apud homines. Cum præsens est

[1] et.—97. 98. V.

imitantur illam, et desiderant eam cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Multigena [1]enim[1] impiorum multitudo non erit utilis; et [2]spuria vitulamina[2] non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Et legantur hæ duæ prædicta Epistolæ alternis vicibus per octavas, videlicet una die, Ego quasi vitis, et altera die, O quam pulchra. Ita tamen quod in die dominica infra octavas et in octava die dicitur, Ego quasi vitis.

Gradale. Ps. 44 Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere præcéde et regna.

Allelúya. ℣. Natívitas gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ orta de tribu Juda: clara ex stirpe David.

Sequens Allelúya. ℣. Per te Dei génitrix dicitur quotidie per octavas nisi in Dominica et in octava die; tunc enim dicitur sicut in prima die.

Allelúya. ℣. Per te, Dei génitrix, nobis est vita pérdita data: quæ de cœlo suscepísti prolem et mundo genuísti Salvatórem.

[1] autem.—13. V.
[2] ita 26. etc. adulterinæ plantationes.—13. 55P. 57.

Sequentia.

ALLE- cœleste necnon et perenne
-luya,
Dic paraphonista
cum mera symphonia
Tuba et canora
palinodia canta.
Nam omnis usya
hanc Christi genitricem
die ista.
Congaudet exortam
per quam sibi sublatam
capit vitam.
Davidica stirpe sata
Davidis ad sceptra
est regenda
prole fœcundata.
Nec gravidata viscera
sunt tamen per ulla
patris membra
sed ex fide sola.
Ab arce summa
angelus astat:
Maria, inquit, alma, ave, plena,
Gratia sacra,
et benedicta
fœminas inter omnes, paritura
Regem, qui dira
mortis vincula
Damnavit mira
cum potentia,
Suum plasma
solvens sponte sua,
atque beatam
donans vitam.
Fit mox puella
verbis credula,
Et puerpera
stupet et casta,
Natum gestans

speciosum forma,
regentem cuncta
orbis regna.
Hæc est virga
non irrigata,
sed Dei gratia
florigera;
Hæc est sola
cunctorum hera:
materna obscurans
piacula;
[1]Velut[1] rosa
decorans spineta,
sic quod lædat
nil habet Maria
Virgo: Eva
quod contulit prima,
Christi sponsa
effugat Maria.
O virgo sola
mater casta,
nostra crimina
Solvens, da regna
quis beata
regnant agmina;
Potes enim cuncta
ut mundi regina, et jura
Cum Nato omnia
decernis in sæcla: et ultra
subnixa es in gloria;
Cherubin electa
seraphinque clara agmina;
Nam juxta Filium
posita, sedes in dextera,
virtus, lampas, et sophia;
Nativitas unde gaudia
nobis hodie
affert annua,
Et resonat camœnis aula
in laude tua,
virgo Maria.
Gaudet per climata
orbis, Ecclesia
dicens alleluya;
Quod et palatia
cœli clamant dindima
usque dantia præconia.

[1] ita 26. etc. venit.—94. 55P. 57.
[2] non habent 92. 97. 55P. V.
[3] Abias.—98. 4L. V.
[4] ita 26. etc. Asa.—92. 97. 55P. V.

Initium sancti Evangelii: secundum Matthæum.

Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham [2]autem[2] génuit Isaac, Isaac autum génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam et fratres ejus. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esrom. Esrom autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naason. Naason autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Raab. Booz autem génuit Obeth ex Buth. Obeth autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. [3]Abía[3] autem génuit [4]Asam.[4] Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóathan. Jóathan autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel antem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíachim.

Elíachim autem génuit Azor. Azor autein génuit Sadoch. Sadoch autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

[1]Credo.

Quotidie[1] per octavas et in octava legatur

Evangelium: secundum Lucam. c. II

In illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi; Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit; Quinímo, beáti qui áudiunt verbum Dei: et custódiunt illud.

Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum et in sæculum sæculi.

Secreta.

Unigéniti tui nobis, Dómine, succúrrat humánitas: ut qui natus de vírgine integritátem matris non mínuit sed sacrávit, in nativitátis ejus solémniis a nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram sibimet fáciat esse accéptam, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum vivit.

Præfatio. Et te in nativitate.

Hæc Præfatio dicitur qvotidie per octavas et in octava, quando de sancta Maria dicitur missa.

Communio. Vera fides géniti purgant crímina mundi:
Et tibi virgínitas invioláta manet.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta; præsta quæsumus, ut, intercedénte beáta María semper vírgine, et temporális nobis vitæ remédia præbeant et ætérnæ. Per Dóminum.

Quotidie per octavas dicitur eadem Missa cum eisdem Sequentiis, quæ infra octavas Assumptionis suo ordine prætitulatæ sunt, sed sine Credo: nisi in Exaltatione sanctæ Crucis. Tamen in dominica infra octavas, et in octava si dominica fuerit, dicitur Credo.

Secunda die

fiat memoria de sancto Gorgonio martyre.

Oratio.

Sanctus Gorgónius martyr tuus, Dómine, sua nos, quæsumus, intercessióne lætíficet, et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per.

Secreta.

Grata tibi sit, Dómine, quæsumus, nostræ servitútis oblátio, quam famíliæ tuæ pia defert devótio, [2]pro[2] qua sanctus martyr tuus Gorgónius intervéniat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine Deus, suávitas illa contíngat et vége-tet; qua in mártyre tuo Gorgónio Christi tui bono júgiter odóre pascátur. Per eundem.

Quarta die

memoria de martyribus Protho et Jacincto.

Oratio.

Beatórum mártyrum tuórum Prothi et Jacíncti nos, quæsumus, Domine, fóveat pretiósa conféssio, et pia júgiter intercéssio tueátur. Per.

[1] et legatur hac die tantum Credo, nam quotidie.—94. 97. 98.
[2] non habent 97. 98.

Secreta.

PRO sanctórum mártyrum tuórum Prothi et Jacíncti veneratióne tibi, Dómine, múnera quæ debémus exsólvimus; præsta, quæsumus, ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dóminum.

Postcommunio.

UT percépta nos, Dómine, tua sancta purificent, beatórum mártyrum tuórum Prothi et Jacíncti, quæsumus, ímploret orátio. Per Dóminum.

Dominica infra octavas Nativitatis beatæ Mariæ

cum extra festum Exaltationis sanctæ Crucis evenerit.

Ad missam omnia fiant sicut in prima die, more simplicis festi novem lectionum, ita tamen quod Kýrie, Glória in excélsis, Sanctus et Agnus per ordinem dicantur; et legatur Evangelium, Loquénte Jesu.

In Exaltatione sanctæ Crucis.

Ad Missam: Officium. Gal. 6

NOS autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus.

Ps. 66 Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri.

Kýrie. Lux et orígo, cum suis versibus.

Oratio.

DEUS, qui unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es; concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt, a peccatorum suorum nexibus liberentur. Per eundem.

Memoria de martyribus Cornelio et Cypriano.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut populus Christianus ad sanctorum sacerdotum tuorum Cornelii et Cypriam temporalem concurrit solemnitatem, ita perfruatur æterna; et quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per.

Memoria de nativitate beatæ Mariæ.

Oratio. Supplicatiónem, ut supra.

Epistola. Confido in vobis, in Communi, fol. 580.

Gradale. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis.

℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Alleluya. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére regem cœlórum et dóminum.

Sequentia.

LAUDES crucis attollamus,
nos qui crucis exsultamus
speciali gloria;
Dulce melos pulset cœlos;
dulce lignum, dulci dignum
credimus melodia.
[1]Voce[1] vita non discordet;
cum vox vitam non remordet
dulcis est symphonia;
Servi crucis crucem laudent,
qui per crucem sibi gaudent
vitæ dari munera.

[1] ita 26. etc. voci.—94. 97. 55 P.

Dicant omnes et dicant singuli,
ave, salus totius populi,
arbor salutifera;
O quam felix, quam præclara,
fuit hæc salutis ara
rubens Agni sanguine.
Agni sine macula,
qui mundavit sæcula
ab antiquo crimine;
Hæc est scala peccatorum,
per quam Christus rex cœlorum,
ad se [1]traxit[1] omnia;
Forma cujus hoc ostendit,
quæ terrarum comprehendit
quatuor confinia.
Non sunt nova sacramenta,
nec recenter est inventa
crucis hæc religio;
Ipsa dulces aquas fecit,
per hanc silex aquas [2]jecit,[2]
Moysi officio.
Nulla salus est in domo,
nisi cruce munit homo
superliminaria;
Neque sensit gladium,
nec amisit filium,
quisquis egit talia.
Ligna legens in Sarepta
spem salutis est adepta
pauper muliercula;
Sine lignis fidei
nec lechitus olei
valet nec farinula.
In scripturis sub figuris
ista latent, sed jam patent
crucis beneficia;
Reges credunt, hostes cedunt;
sola cruce Christo duce
hostis [3]fugant[3] millia.
Ista suos fortiores
semper facit et victores,
morbos sanat et languores,
deprimit dæmonia;
Dat captivis libertatem,
vitæ confert novitatem,
ad antiquam dignitatem
crux reduxit omnia.
O crux, signum triumphale,
mundi vera salus, vale!
inter ligna nullum tale,
fronde, flore, germine.
Medicina Christiana,
salva sanos, ægros sana;
quod non valet vis humana
fit in tuo nomine,
Insistentes crucis laudi,
consecrator crucis audi,
atque servos tuæ crucis
post hanc vitam, verte lucis
transfer ad palatia.
Quos tormento vis servire,
fac tormenta non sentire,
sed cum dies erit iræ
nobis confer et largire
sempiterna gaudia.

[1] ita 26. etc. trahit.—55P. 57.
[2] fecit.—15. 57.
[3] ita 26. etc. fugat.—97. 15. 55P. Grad.

Secundum Johannem. c. 12

In illo témpore, Dixit Jesus turbis Judæórum; Nunc judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et ego si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum. Hoc autem dicébat, significans qua morte esset moritúrus. Respóndit ei turba; Nos audívimus ex lege, quia Christus manet in ætérnum. Et quómodo tu dicis, opórtet exaltári Fílium Hóminis? Et quis est iste Fílius Hóminis? Dixit ergo eis Jesus; Adhuc módicum lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis, ut non ténebræ vos comprehéndant Et qui ámbulat in ténebris, nescit

quo vadat. Dum lucem habétis crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.

Credo.

Offertorium. Prótege, Dómine, plebem tuam per signum sanctæ crucis ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium: ut tibi gratam exhibeámus servitútem, et acceptábile tibi fiat sacrifícium nostrum.

Secreta.

DEVOTAS [1]in hoc festo,[1] Domine, humilitatis nostræ preces et hostias misericordiæ tuæ præcedat auxilium; et salutem quam per Evam in [2]paradiso ligni[2] clauserat temerata præsumptio, ligni rursum fides aperiat. Per Dominum.

Alia Secreta de martyribus.

PRÆSTA nobis, omnipotens Deus, ut nostræ humilitatis oblatio, et pro tuorum tibi placeat honore sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet. Per Dominum.

Præfatio. Qui salutem.

Communio. Per lignum servi facti sumus: et per sanctam crucam liberáti sumus; fructus arbóris sedúxit nos: Fílius Dei redémit nos, allelúya.

Postcommunio.

JESU Christi Domini nostri corpore saginati et sanguine per quem crucis est sanctificatum vexillum, quæsumus, Domine Deus noster; ut sicut hanc adorare meruimus, ita perennitatis ejus gloria salutari potiamur affectu. Per eundem Dominum.

Alia Postcommunio de martyribus.

PASCE nos, quæsumus, Domine, tuorum gaudiis ubique sanctorum; quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honos impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

In octava Nativitatis beatæ Mariæ.

Ad Missam omnia fiant sicut in prima die, more simplicis festi novem lectionum; et dicitur super Kýrie, cantus de Kýrie omnípotens; dicitur etiam Spíritus et alme, [3]a tribus clericis de superiori gradu in superpelliciis ad gradum chori. Sequentia, Ave præclara, Evangelium, Loquénte Jesu; et dicitur Sanctus cum hac additione, Benedíctus Maríæ Fílius. Cætera omnia sicut in prima die.

Eodem die

fiat Memoria de sancto Nichomede martyre.

Oratio.

HDÉSTO, Dómine, pópulo tuo, ut beáti Nichomédis mártyris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis [4]sublevétur.[4] Per.

Secreta.

SÚSCIPE, Dómine, múnera propítius obláta, quæ majestáti tuæ beáti Nichomédis mártyris tui comméndet orátio. Per.

Postcommunio.

PURÍFICENT nos, quæsumus, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus, et, intercedénte beáto Nichoméde mártyre tuo, a cunctis nos effíciant vítiis absolútos. Per.

[1] non habent 92. 94. 97. 98. 4L.
[2] paradisi ligno.—94. 98.
[3] videlicet sine versu.—Grad.
[4] adjuvetur.—94. 97. 98. sublevemur.—92. 4L. 15.

Sanctæ Edithæ virginis non martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui fidelibus tuis castitatis [1]exempla[1] præbuisti, dum de virgine Filium tuum Dominum nostrum nasci voluisti; sanctæ Edithæ virginis tuæ precibus, nobis mentis et corporis tribue puritatem, per quam a te nobis promissam percipiamus felicitatem. Per eundem.

Memoria de martyribus, Eufemia, Lucia, et Geminiano.

Oratio.

PRÆSTA, quǽsumus, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne [2]provectum:[2] ut quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus: étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

Epistola. Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. 2 ad Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi[3] vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Sequentia. Vírginis venerándæ, in Communi, fol. 609.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

SUPER hanc oblationom nostram, quæsumus, Domine, benedictio tua descendat; et ut ipsi tibi hostia placabilis efficiamur, sancta Editha apud te obtineat. Per Dominum.

Alia Secreta de martyribus.

MUNERA populi tui, Domine, propitiatus intende; et sanctorum martyrum tuorum, Eufemiæ, Luciæ, et Geminiani, quorum nobis tribuis solemnitatem celebrare, fac gaudere suffragiis. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

SPIRITUALIS mensæ, Domine, participatio nobis mentis et corporis fiat salvatio; et sanctæ Edithæ virginis tuæ tibi nos commendet supplicatio. Per Dominum.

Alia Postcommunio de martyribus.

SUMPTIS, Domine, divinis mysteriis, exaudi, quæsumus, preces nostras, et sanctorum martyrum tuorum, Eufemiæ, Luciæ, et Geminiani, quorum solemniter celebramus victoriam, continuis foveamur auxiliis. Per.

[1] exemplum.—92. 4L. 15. 57.
[2] ita 26. etc. profectum.—94. 97. 98. 15. proventum.—55P. 57.
[3] enim.—26. V.

Sancti Lamberti episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

SANCTI Lamberti martyris tui atque pontificis, Domine, nos[1] tibi quæsumus, commendet oratio; et sicut hunc diem ejus gloriosa decorat passio; ita nos ipsius semper muniamur suffragio. Per Dominum.

Epistola. Omnis póntifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto[2] unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo; et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum: in pópulo suo.

Evangelium. Circuíbat Jesus, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit vehemènter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, pro commemoratione sancti Lamberti martyris tui atque pontificis offerimus, obsecrantes, ut tua nobis sua intercessione multiplicet beneficia, quem a tui corporis unitate nulla temptatio separavit. Qui vivis.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

PERCEPTO, Domine, tui corporis et sanguinis sacramento, concede nobis, quæsumus, supplicante beato Lamberto martyre tuo atque pontifice, ita muniri, ut et temporalibus relevemur commodis, et abundemus æternis. Qui vivis.

In vigilia sancti Mathæi apostoli et evangelistæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 51

EGO autem sicut olíva fructificávi in domo Dómini: sperávi in misericórdia Dei mei, et exspectábo nomen tuum quóniam bonum est ante conspéctum sanctórum tuórum.

Psalmus. Quid gloriáris in malítia: qui potens es in iniquitáte?

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Mathæi apóstoli tui et evangelístæ quam prævenímus veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Epistola. Beátus homo qui invénit, in Communi, fol. 572.

Gradale. Ps. 91 Justus ut palma florébit: et sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam: et veritátem tuam per noctem.

Si Dominica fuerit, dicetur.

Allelúya. ℣. Act. 5 Per manus autem apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

[1] non habent 97. 98.
[2] ita 26. etc. meo.—15. 55P.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 5

In illo témpore, Vidit Jesus publicánum nómine Levi sedéntem ad thelóneum, et ait illi; Séquere me. Et relíctis ómnibus, surgens secútus est eum. Et fecit ei convívium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa publicanórum et aliórum qui cum illis erant discumbéntes. Et murmurábant Pharisæi et scribæ eórum, dicéntes ad discípulos ejus; Quare cum publicánis et peccatóribus manducátis et bíbitis? Et respóndens Jesus, dixit ad illos; Non egent qui sani sunt médico, sed qui male habent; non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum; et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Respice, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, munera quæ pro veneratione beati Mathæi apostoli [1]tui[1] et evangelistæ, tuæ offerimus majestati; et præsta, ut cujus solemnia his sacrificiis prævenimus, ejus suffragantibus meritis, quæ tibi sunt placita digno affectu ac devotis mentibus exsequamur. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo; glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut divino munere satiati, intercedente beato Mathæo apostolo tuo et erangelista cujus solemnia prævenimus, sacris semper et mysteriis renovemur et moribus. Per Dominum.[2]

Si vero hæc vigilia[2] in aliqua feria Quatuor temporum contigerit, tunc de vigilia nihil fiat nisi tantum memoria ad Missam de jejunio.

In die sancti Mathæi apostoli.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Kýrie eléyson.

Oratio.

Beáti Mathæi apóstoli tui et evangelístæ, Dómine, précibus adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Per.

Memoria de sancto Laudo episcopo et confessore.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Laudi confessoris tui atque pontificis solemnia [3]colimus,[3] ejus intercessione æternam beatitudinem consequamur. Per.

Epistola. Similitúdo vultus, in Communi, fol. 577.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Esai. 41 Primus ad Sion dicet ecce assum: et Hierúsalem evangelístam dabo.

[1] non habent 92. 97. 98.

[2] Si hæc vigilia in Dominica evenerit, Missa de vigilia in capitulo dicitur, cum uno Alleluya de Communi Apostolorum. Cum vero.—94. 98. 4L. 57.

[3] agimus.—94. 97. 98.

Sequentia. Laus devóta, in Communi, fol. 577.

Secundum Mathæum. c. 9

In illo témpore, Cum transíret Jesus, vidit hóminem sedéntem in theló-neo, Matthæum nómine; et ait illi; Séquere me. Et surgens secútus est eum. Et factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni et peccatóres veniéntes discumbébant cum Jesu et discípulis ejus. Et vidéntes Pharisæi, dicébant discípulis ejus; Quare cum publicánis et peccatóribus mánducat magíster vester? At Jesus áudiens, ait; Non est opus valéntibus médicus, sed male habéntibus. Eúntes autem díscite, quid est misericórdiam volo, et non sacrifícium. Non enim veni vocáre justos, sed peccatóres.

Credo.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit et tribuísti ei, Allelúya.

Secreta.

Supplicatiónibus beáti Mathæi apóstoli tui et evangelístæ, quæsumus, Dómine, Ecclésiæ tuæ commendétur oblátio; cujus magníficis prædicatiónibus erudítur. Per Dóminum.

Alia Secreta de sancto Laudo.

Sicut beatum Laudum confessorem tuum atque pontificem, Domine, ad æternam gloriam transtulisti; sic ipsius meritis, quæsumus, ad salutem nostram hanc præsentem sanctifica hostiam. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

Non dicitur in hac Præfatione [1]per beátos evangelístas, sed per beátos apóstolos.[1]

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, venerabile sacramentum, beati Mathæi apostoli tui et evangelistæ festivitate lætantes; quæsumus, ut, suis precibus gloriosis, et credendum nobis jugiter postulet et sequendum, beatus evangelista quod [2]prædicavit et[2] docuit. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Laudo.

Refecti mensæ cœlestis collatione, quæsumus, Domine Deus noster; ut intercessione beati Laudi confessoris tui atque pontificis, cujus veneramur solemnia, ab omni nos semper adversitate defendas. Per Dominum.

Sancti Mauricii sociorumque martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

ntret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis nostris séptuplum in sino eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

Annue, quæsumus, omnípotens Deus, ut nos sanctórum mártyrum tuórum Maurícii, Exuperii, Candidi, Victoria, Innocéntii et Vitalis, [3]sociorúmque[3] eorúmdem lætíficet festíva solémnitas; ut quo-

[1] ita 26. etc. per beatos apostolos sed per beatos evangelistas.—55P.
[2] non habent 92. 97. 98.
[3] ac sociorum.—92. 94. 97. 98.

rum suffrágiis innítimur, natalítiis gloriémur. Per Dóminum.

Epistola. Sancti per fidem, in Communi, fol. 586.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis; mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.
Allelúya. ℣. Te mártyrum candidátus: laudat exércitus, Dómine.

Sequentia. Ecce pulchra, in Communi, fol. 589.

Evangelium. Descéndens Jesus de monte, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

PRÆSENTES hostias, Domine, quæsumus, merita gloriosa martyrum Thebæorum tibi reddant acceptas; pro quorum tibi pretioso sanguine sunt dicatæ. Per Dominum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ; visi sunt óculis insipiéntium mori: illi antem sunt in pace.

Postcommunio.

SUMPTIS, Domine, cœlestibus sacramentis, quæsumus, ut intercessione sanctorum martyrum tuorum Thebæorum, consequi mereamur veniam delictorum. Per Dominum.

Sanctæ Teclæ virginis non martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

LOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, auctor virtutis et amator virginitatis; da nobis, quæsumus, sanctæ Teclæ virginis tuæ placitis tibi meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per Dominum.

Epistola. Qui gloriatur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.
Allelúya. ℣. 2 ad Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.[1]

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, preces et munera in honore sanctæ Teclæ virginis tuæ gaudentes; præsta, quæsumus, ut et convenienter hæc agere, et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per Dominum.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quæ-

[1] majus.—94. 97. 98.

rénti bonas margarítas; invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua et comparávit eam.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Domine, quæsumus, sumpta mysteria, pariterque nos, intercedente beata virgine tua Tecla, et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per Dominum.

Firmini episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei lætitiam pro commemoratione beati Firmini martyris tui atque pontificis fecisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per.

Epistola. Omnis póntifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum.

Evangelium. Circuíbat Jesus, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum, et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

INTENDE propitius, quæsumus, Domine, oblata tibi hæc munera; et, deprecatione beati Firmini martyris tui atque pontificis in cujus ea commemoratione deferimus, nosipsos eademque sanctifica. Per Dominum.

Communio. Matth. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis: supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, in sancti martyris tui atque pontificis Firmini solemnitate cœlestia sacramenta; cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Sancti Cypriani episcopi et Justinæ virginis martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio de Communi, fol. 586 vel dicatur sequens

Oratio.

BEATÓRUM mártyrum tuórum Cypriáni et Justínæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia; quia non désinis propítius intuéri quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per.

Epistola. Justi autem, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 78 Vindica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum: qui effúsus est.

℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Evangelium. Cum persequéntur, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

SANCTORUM martyrum tuorum Cypriani et Justinæ tibi grata confessio et munera nostra commendet et tuam nobis indulgentiam semper imploret. Per Dominum.

Communio. Luc. 5 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut, sanctorum martyrum tuorum Cypriani et Justinæ deprecationibus, sacramenta quæ sumpsimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum. Per Dominum.

Cosmæ et Damiani martyrum.

Ad Missam: Officium. Eccli. 44

SAPIÉNTIAM sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum núnciat ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

MAGNIFICET te, Domine, sanctorum martyrum tuorum Cosmæ et Damiani beata solemnitas; qua et illis gloriam sempiternam et opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum.

Epistola. Benedíctus Deus, in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 33 Clamavérunt justi et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

℣. Juxta est Dóminus his qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúya. ℣. Ps. 117 Vox exsultatiónis et salútis in tabernáculis justórum: et dedúcet illos in via mirábili.

Evangelium. Elevátis Jesus óculis, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te, omnes qui díligunt nomen tuum, quóniam tu, Dómine, benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

IN tuorum, Domine, pretiosa morte justorum sacrificium illud offerimus, de quo martyrium sumpsit omne principium; quod, quæsumus, ut propitiationis tuæ nobis munus obtineat. Per Dominum.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortipunitórum.

Postcommunio.

SIT nobis, Domine, libatio sacramenti tui certa salvatio; quæ cum beatorum martyrum tuorum Cosmæ et Damiani meritis imploratur. Per Dominum.

Michaelis archangeli.

Ad Missam: Officium. Ps. 102

BENEDÍCITE Dóminum, omnes ángeli ejus, poténtes virtúte: qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Psalmus. Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus.

Kýrie rex splendens, cum suis versibus.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine angelórum ministéria hominúmque dispénsas; concéde propítius, ut a quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis apostoli. c. 1

IN diébus illis, Significávit [1]Jesus[1] quæ opórtet fíeri cito, loquens per ángelum suum servo suo Johánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi [2]in his[2] quæcúnque vidit. Beátus qui [3]audit et qui legit[3] verba prophétiæ hujus: et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Johánnes septem Ecclésiis quæ sunt in Asia. Grátia vobis et pax ab eo qui [4]est et qui erat[4] et qui ventúrus est. Et a septem spirítibus qui in conspéctu throni ejus sunt: et a Jesu Christo qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, et princeps regum terræ; qui diléxit nos, et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo.

Gradale. Ps. 102 Benedícite Dóminum omnes ángeli ejus: poténtes virtúte qui fácitis verbum ejus.

℣. Bénedic, ánima mea Dómino: et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 137 In conspéctu angelórum psallam tibi, Dómine Deus meus.

Sequentia.

AD celebres, rex cœlice, laudes cuncta
Pangat nunc canora
caterva symphonia;
Odas atque solvat
concio tibi nostra,
Cum jam renovantur
Michaelis inclyta [5]valde[5] festa,
Per quem lætabunda
perornatur machina mundi tota.
Novies distincta
pneumatum sunt agmina
per te facta,
Sed cum vis facis hæc
flammea [6]per angelicas
officinas.[6]
Inter primæva sunt hæc nam creata tua,
cum simus nos ultima factura, sed imago tua.
Theologa categorizent symbola nobis hæc
ter tripartita per privata officia,
Plebs angelica: phalanx et archangelica
principans turma: virtus uranica ac potestas almiphona,
Dominantia numina divinaque subsellia:
cherubin ætherea ac seraphin ignicoma.
Vos, O Michael,
cœli satrapa:
Gabrielque vera
dans Verbi nuntia,
Atque Raphael
vitæ vernula
conferte nos inter
paradisicolas;
Per quos Patris cuncta
complentur mandata quæ dat
Ejusdem Sophia

[1] Deus.—92. 97. 98. 4L. V.
[2] non habent 92. 97. 98. V.
[3] legit et qui audit.—97. 98. legit et audit.—V.
[4] erat et qui est.—97. 98.
[5] laude.—92. 94. 4L.
[6] ita 26. etc. ceu rutilantia sydera.—55P. 57.

compar quoque Pneuma: una
permanens in usya;
Cui estis administrantia
Deo millia millium sacra.
Vices per bis quinas
bis atque quingenta dena,
Centena millena
assistunt in aula, ad quam
rex ovem centesimam,
Verbigenam dragmamque decimam
vestra duxit super algamatha;
Vos per æthera
nos per rura [1]dena[1]
Pars electa
armoniæ vota
demus hyperlyrica cythara;
Ut post bella
Michaelis inclyta,
Nostra Deo sint
accepta auream
circa aram thymiamata;
Quo in cœlesti jam gloria
Condecantemus, alleluya.

Secundum Matthæum. c. 18

In illo témpore, Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes; Quis putas major est in regno cœlórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit; Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. Quicúnque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic major est in regno cœlórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscepit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis qui in me credunt, éxpedit ei ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo [2]ab[2] scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala. Veruntamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus scandalízat te, abscínde eum et prójice abs te. Bonum est tibi ad vitam íngredi débilem aut claudum, quam duas manus vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalízat te, érue eum et prójice abs te. Bonum est tibi cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis. Dico enim vobis, quia ángeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est.

Credo.

Offertorium. Apoc.8[3] Stetit ángelus juxta aram templi habens thuríbulum áureum in manu sua: et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei, allelúya.

Secreta.

Munus populi tui, quæsumus, Domine, dignanter assume; quod tibi non nostris meritis sed sancti archangeli tui Michaelis omniumque beatorum spirituum deprecatione sit gratum. Per Dominum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Dan. 3 Benedícite, omnes ángeli Dómini Dómino: hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio.

Beáti archángeli tui Michaélis interventióne suffúlti, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut quod [4]honóre[4] proséquimur, contingámus et mente. Per Dóminum.

[1] ita 26. etc. devia.—55P. 57.
[2] a.—97. 26. V.
[3] (cf. Apoc. cap. viii. 3, 4 et vide notas Sabatierii.)
[4] ore.—94.

Sancti Hieronymi presbyteri et doctoris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui [1]nobis[1] per beatum Hieronymum confessorem sacerdotemque tuum scripturæ sanctæ veritatem et mystica sacramenta revelare dignatus es; concede, quæsumus, ut cujus natalitia colimus, ejus semper et erudiamur doctrinis et meritis adjuvemur. Per.

Epistola. Dedit Dóminus, in Communi, fol. 600.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Sequentia. Adest nobis dies alma, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Vos estis sal terræ, in Communi, fol. 601.

Credo dicitur.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

CLEMENTIA tua, Domine, quæsumus, munera nostra dignanter [2]respiciat,[2] et, beati Hieronymi confessoris et sacerdotis tui deprecatione, per hæc eadem nos placatus purifica. Per Dominum.

Communio. Matth. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis: supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

Postcommunio.

PRÆSTA, Domine, quæsumus, ut Ecclesiam tuam beatus sacerdos Hieronymus et fidei doctrinis erudiat, et eruditam divinis mysteriis dignam pia intercessione efficiat. Per Dominum.

Sanctorum Remigii, Germani, Vedasti et Bavonis episcoporum.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Domine, populum tuum cum sanctorum confessorum tuorum Remigii, Germani, Vedasti et Bavonis episcoporum tibi patrocinio supplicantem; ut et temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, et [3]æternum[3] reperire subsidium. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

[1] nos.—97. 98.
[2] aspiciat.—94. 97. 98.
[3] æternæ.—92. 94. 98.

Memoria de sancto Meloro martyre.

Oratio.

ADESTO, Domino, supplicationibus nostris, et intercessione beati Melori martyris tui perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Dominum nostrum.

Epistola. Plures facti sunt, in Communi, fol. 604.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi: et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Nulla dicitur Sequentia, licet novem lectiones habeantur.

Evangelium. Sint lumbi, in Communi, fol. 604.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, et tuorum respice oblationes fidelium; ut tibi gratæ sint in tuorum festivitate sanctorum, et nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Meloro.

PRÆSENTIA munera, Domine, quæsumus, serena pietate intuere; ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione, quatenus illam validius in nostris cordibus dilectionem infundant, per quam sanctus Melorus martyr tuus omnia corporis tormenta devicit. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

REPLETI sacramento reparationis humanæ [1]festivitate sanctorum confessorum tuorum Remigii, Germani, Vedasti, et Bavonis, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut munera nobis dignaris præbere cœlestia, sic per eadem tribuas nos donis inhærere cœlestibus. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Meloro.

QUOS refecisti, Domine, cœlesti mysterio, ab omnibus, quæsumus, propitiatus absolve delictis; ut intercedente beato Meloro martyre tuo, divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per Dominum.

Sancti Leodegarii episcopi et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

DEUS, qui hodierna die beatum Leodegarium martyrem tuum atque pontificem gloria et honore coronasti; tribue nobis propitius, ut qui gloriam non meremur, indulgentiam, ipso interveniente, consequamur. Per Dominum.

Ad Timothæum. 2 et 3

CHARÍSSIME, Memor esto Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémi-

[1] in.—92. 97. 98. 4L. 15.

ne David, secúndum evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula quasi male operans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur quæ est in Christo Jesu cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antiochíæ, Ycónio, Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex his ómnibus me erípuit Dóminus. Et omnes qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.
℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.
Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum: in pópulo suo.

Evangelium. Qui vos audit, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut beati Leodegarii martyris tui atque pontificis suffragio tua in nobis munera tuearis, pro cujus honoranda confessione hostias tibi laudis offerimus. Per Dominum nostrum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

REFECTI participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut intercedente beato Leodegario martyre tuo atque pontifice, cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per Dominum.

Sanctæ Fidis virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

LOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, qui præsentem diem beatæ Fidis virginis [1]tuæ[1] martyrio facis esse solemnem; præsta Ecclesiæ tuæ, ut cujus meritis gloriatur, ejus precibus adjuvetur. Per Dominum.

Epistola. Domine Deus meus, in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
Allelúya. ℣. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

SUSCIPE, Domine, preces et hostias, meritis beatæ Fidis virginis ac martyris tibi dicatas; et concede ut nobis ejus

[1] non habent 92. 94. 97. 98.

sint supplicatione salutares, cujus sunt veneratione solemnes. Per Dominum.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua et comparávit eam.

Postcommunio.

SACRI altaris participatione refecti, tuam, Domine, misericordiam suppliciter exoramus; ut qui hæc in beatæ Fidis virginis et martyris tuæ veneratione percepimus, ejus nos confoveri suffragiis sentiamus. Per Dominum.

Sanctorum Marci, Marcelli, et Apulei.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

SANCTÓRUM mártyrum tuórum Marci, Marcélli et Apuléi nos, Dómine, quæsumus, beáta mérita prosequántur; et tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per Dóminum.

Epistola. Sancti per fidem vicérunt, in Communi, fol. 586.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.

℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

Evangelium. Cum audiéritis, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

MAJESTÁTEM tuam nobis, Dómine, quæsumus, hæc hóstia immolánda reddat placátam,[1] tuórum digna postulatióne sanctórum, in quorum commemoratióne defértur. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in mano Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.

SACRAMÉNTIS, quæsumus, Dómine, muniámur accéptis; et, sanctórum mártyrum tuórum Marci, Marcélli, et Apuléi méritis, contra irruéntes nequítias armis cœléstibus protegámur. Per Dóminum.

Sancti Dionysii sociorumque ejus martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

INTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Dionýsium virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi ad prædicándum géntibus glóriam tuam Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es; tríbue nobis,

[1] placatam reddat immolanda.—4L. 15. 57. reddat immolanda placatam.—92.

quæsumus, ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 17

PAULUS cum Athenis Sylam et Timotheum exspectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idolatriæ deditam civitatem. Disputabat ergo in synagoga cum Judæis et idola colentibus et in foro per omnes dies ad eos qui audierant. Quidam autem Epicurei et Stoici[1] philosophi [2]et Dionysius[2] disserebant cum eo, et quidam dicebant; Quid vult [3]seminator verborum[3] hic [4]disserere[4]? Alii vero [5]dicebant[5]; Novorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia Jesum et resurrectionem annunciabat eis. Et apprehensum eum ad Ariopagum duxerunt, dicentes; Possumus scire quæ est hæc nova quæ a te dicitur doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris: volumus [6]enim[6] scire quidnam velint hæc esse, Athenienses autem omnes et advenæ hospites cum Dionysio ad nihil aliud vacabant, nisi aut discere aut aliquid audire novi. Stans autem Paulus in medio Ariopagi, ait; Viri Atheniénses, per ómnia quasi superstitiósos vos vídeo. Prætériens enim et videns simulácra vestra, invéni et aram in qua scriptum erat: Ignóto Deo. Et quis est ille incognitus Deus? Quod ergo ignoántes cólitis, hoc ego annúncio vobis. Deus qui fecit mundum et ómnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam et inspiratiónem et ómnia. Fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, defíniens statúta témpora, et términos habitatiónis eórum, quærere Deum, si forte attréctent eum aut invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus, et movémur et sumus: sicut [7]et[7] quidam vestrórum poetárum dixérunt: Ipsíus enim [8]et creatúra[8] et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro [9]aut[9] argénto aut lápidi sculptúræ artis et cogitatiónis hóminum Divínum esse símile. Et témpora quidem hujus ignoántiæ despíciens Deus, nunc annúnciat homínibus, ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quod státuit diem in qua judicatúrus est orbem in æquitáte in viro in quo státuit, fidem præbens ómnibus súscitans eum a mórtuis. Cum audíssent autem resurrectiónem mortuórum, quidam [10]quidem[10] irridébant, quidam vero dixérunt; Audiámus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam [11]vero[11] viri adhæréntes ei credidérunt: in quibus et Dionýsius Ariopagíta crédidit in Dóminum Jesum Christum.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in

[1] ita 55P. etc. et.—97. 98. 26.
[2] ita 26. etc. non habent 55P. V.
[3] ita 26. etc. seminiverbius.—55P. 57. V. semiverbius.—92.
[4] ita 26. etc. dicere.—92. 97. 55P. 57. V.
[5] non habent 92. 97. 98. V.
[6] ita 26. etc. ergo.—92. 55P. V.
[7] non habent 4L. 13. 15.
[8] non habent 98. 4L. V.
[9] et.—97. 26.
[10] non habent 98. 13. 57.
[11] autem.—92. 97. 98.

sanctis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.
Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Sequentia. Ecce pulchra, in Communi, fol. 589.

Evangelium. Descéndens Jesus de monte, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

OFFERENDORUM tibi munerum, Deus, auctor et dator; præsta, quæsumus, ut hoc sacrificium singulare quod sanctis tuis in passione contulit caritatem, nobis tribuat [1]devotionis[1] præsidium. Per Dominum.

Communio. Luc. 5 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, votiva mysteria, deprecantes clementiam tuam; ut eorum nobis fiant deprecatione salutaria quorum passionis celebramus gloriosa solemnia. Per Dominum.

Sancti Gereonis sociorumque ejus martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 67

USTI epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut sicut sanctorum martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii, sociorumque eorum nos natalitia celebranda non deserunt; ita jugiter suffragia comitentur. Per Dominum.

Epistola. Sancti per fidem, in Communi, fol. 586.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.
℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.
Allelúya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum: et dedúcet eos in via mirábili.

Evangelium. Cum audiéritis, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ; benedíctus Deus, allelúya.

Secreta.

MUNERA plebis tuæ, Domine, quæsumus, beatorum martyrum tuorum Gereonis [2]Victoris, Cassii, Florentii, sociorumque eorum[2] fiant tibi grata suffragiis; ut quorum triumphi tuo nomini proferuntur, ipsorum digna perficiantur et meritis. Per Dominum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in mano Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

[1] in devotione.—92. 94. 98.
[2] sociorumque ejus.—92. 94. 98. 4L. 15. 57.

Postcommunio.

ADESTO, Domine, populo tuo cum sanctorum tuorum Gereonis, Victoris, Cassii, Florentii, sociorumque eorum patrocinio supplicanti; ut quod propria fiducia non præsumit, suffragantium meritis consequatur. Per Dominum.

Sancti Nigasii sociorumque ejus martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem in honore sanctorum martyrum tuorum Nigasii, Quirini et Scuviculi consecrasti; adesto familiæ tuæ precibus, et dona, ut quorum festa celebramus, eorum meritis et auxilio sublevemur. Per Dominum.

Epistola. Rememorámini, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus índuant salutáre: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi: et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Evangelium. Cum persequéntur vos, in Communi, fol. 590.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

PRECES, Domine, tuorum respice oblationesque fidelium; ut et tibi gratæ sint pro tuorum honore sanctorum Nigasii, Quirini et Scuviculi, et nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per Dominum.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.

Postcommunio.

SANCTORUM martyrum tuorum, Domine, Nigasii, Quirini et Scuviculi intercessione placatus; præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per Dominum.

Translatio sancti Edwardi regis et confessoris.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre Edwárdi confessóris: de cujus translatióne gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

DEUS, qui beátum regem Edwárdum confessórem tuum æternitátis glória coronásti: fac nos, quæsumus, ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre póssimus in cœlis. Per Dóminum.

Epistola. Justus cor suum, in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Adest nobis, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Nemo accendit, in Communi, fol. 602.

Credo.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, allelúya.

Secreta.

SACRIS altaribus assistentes nos, Domine, quæsumus, Spiritus Sancti luce perfunde; ut quod tibi in honore beati regis Edwardi devote offerimus, nobis, ipso interveniente, fiat remedium salutare. Per Dominum. in unitate ejusdem.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo; glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

VITALIS alimoniæ convivio saginati, quæsumus, Domine Deus noster, ut, beati regis Edwardi confessoris tui suffragantibus meritis, cœlestis convivii mereamur esse participes. Per Dominum.

Vel dicuntur ad Missam de sancto Edwardo in Translatione ejusdem hæ tres Orationes.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beatum regem Edwardum sanctorum collegio sociasti; concede, propitius, ut qui gloriam translationis ejus recolimus insignia, ipsius apud te sentiamus patrocinia. Per Dominum.

Secreta.

QUOS beati regis Edwardi translatio sancta lætificat, tua nos, Domine, gratia reddat lætiores; et tribuat in hoc sacrificio præsentiæ tuæ dulcedinem toto corde sentire. Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

UT nobis salutem conferant sacramenta quæ sumpsimus, beatissimus rex Edwardus confessor tuus, Domine, pro nobis intercessor existat, de cujus veneranda translatione tribuis nos annua devotione lætari. Per.

Sancti Calixti papæ et martyris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere; ad amórem tuum nos misericórditer per sancti Calixti mártyris tui atque pontíficis exémpla restáura. Per Dóminum.

Epistola. Doctrínis váriis, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum: in pópulo suo.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

MÝSTICA nobis, Dómine, prosit oblátio, quæ per sancti Calixti méritum nos et a reátibus nostris expédiat, et perpétua salvatióne confírmet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem; amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

PRÆSTA, Domine, quæsumus, ut cujus passionis memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem proficiendo sectemur. Per.

Sancti Wlfranni episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

TÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Wlfranni confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Adest nobis, vel Alma chorus, in Communi, fol. 597 vel 598.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

RESPICE, quæsumus, munera populi tui in sancti Wlfranni confessoris tui atque pontificis honore oblata; et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis, sancti Wlfranni confessoris tui atque pontificis attolle benignus suffragiis; ut nostræ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per Dominum.

Sancti Michaelis in monte Tumba.

Ad Missam: Officium. Ps. 102

NEDÍCITE Dóminum, omnes ángeli ejus, poténtes virtúte: qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Psalmus. Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus.

Kýrie rex splendens. Et dicitur absque versibus.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine angelórum ministéria hominúmque dispénsas; concéde propítius, ut a quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis apostoli. c. 12

FACTUM est prælium magnum in cœlo: Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone. Et draco pugnabat et angeli ejus: et non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et sathanas, qui seducit universum orbem. Et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem; Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini, cœli et qui habitatis in eis.

Gradale. Ps. 102 Benedícite Dóminum omnes ángeli ejus: poténtes virtúte qui fácitis verbum ejus.
℣. Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Allelúya. ℣. Concússum est mare et contrémuit terra: ubi archángelus Michael descendébat de cœlo.

Non dicitur Sequentia.

Evangelium. Accessérunt discípuli, ut supra in alio festo.

Credo.

Offertorium. Apoc. 8 Stetit ángelus juxta aram templi habens thuríbulum aureum in manu sua: et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus aromátum in conspéctu Dei, allelúya.

Secreta.

QUNUS populi tui, quæsumus, Domine, dignanter assume; quod tibi non nostris meritis sed sancti archangeli tui Michaelis omniumque beatorum spirituum deprecatione sit gratum. Per Dominum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Dan. 3 Benedícite, omnes ángeli Dómini Dómino: hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio.

BEÁTI archángeli tui Michaélis interventióne suffúlti, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut quos honóre prosequimur, contingámus et mente. Per Dóminum.

Sanctæ Etheldredæ virginis non martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, auctor virtutis et amator virginitatis; da nobis, quæsumus, sanctæ Etheldredæ virginis tuæ placitis tibi meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per Dominum.

Epistola. Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Sequentia. Vírginis venerándæ, in Communi, fol. 609.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, preces et munera in honore sanctæ Etheldredæ virginis tuæ gaudentes; præsta, quæsumus, ut et convenienter hæc agere et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Domine, quæsumus, sumpta mysteria, pariterque nos (intercedente beata virgine tua Etheldreda) et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per Dominum.

Sancti Lucæ evangelistæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

S justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium, lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

INTERVÉNIAT pro nobis, Dómine, quæsumus, sanctus[1] Lucas evangelísta; qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum.

Memoria de sancto Justo.

Oratio.

DEUS, qui beato Justo talem fortitudinem [2]tribuisti,[2] ut in puerili corpusculo gloriosum pro tuo amore subiret martyrium; concede propitius, ut, [3]ipsius[3] intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolvas peccatis. Per.

Epistola. Similitúdo vultus, in Communi, fol. 577.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Esai. 41 Primus ad Sion dicet ecce assum: et Hierúsalem evangelístam dabo.

Sequentia. Laus devota, in Communi, fol. 577.

Evangelium. Designávit Dóminus, in Communi, fol. 578.

Credo.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, Allelúya.

Secreta.

DONIS cœléstibus da nobis, quæsumus, Dómine, líbera mente servíre; ut múnera quæ deférimus, interveniénte beáto Luca evangelísta, et medicínam nobis operéntur et glóriam. Per.

Alia Secreta de sancto Justo.

SICUT divinæ potentiæ gloriam munera pro beati Justi martyrio oblata testantur; sic nobis effectum, Domine, quæsumus, tuæ salvationis impendant. Per.

Præfatio. Et te, Dómine.

[1] tuus.—92. 94. 97. 98. 4L. 57.
[2] præstitisti.—94. 97. 98.
[3] ejus.—92. 94. 97. 98.

Non dicitur in hac Præfatione per beátos evangelístas, sed per beátos apóstolos.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut id quod de sancto altári tuo percépimus, précibus beáti evangelístæ tui Lucas, salvíficet ánimas nostras, per quod semper tuti esse póssimus. Per Dóminum.

Alia Postcommunia de sancto Justo.

REFECTI, Domine, benedictione cœlesti, quæsumus ut, per intercessionem beati Justi martyris tui, medicina sacramenti et corporibus nostris prosit et mentibus. Per Dominum.

Sanctæ Fredeswidæ virginis non martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, auctor virtutis et amator virginitatis, da nobis, quæsumus, sanctæ Fredeswidæ virginis tuæ placitis tibi meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per Dominum.

Epistola. [1]Qui gloriátur, in Communi, fol. 609.[1]

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. [2]Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.[2]

Sequentia. Vírginis venerándæ, in Communi, fol. 609.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, preces et munera in honorem sanctæ Fredeswidæ virginis tuæ gaudentes; præsta, quæsumus, ut et convenienter hæc agere et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis; proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Domine, quæsumus, sumpta mysteria, pariterque nos, intercedente beata virgine tua Fredeswida, et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per Dominum.

Sanctarum undecim millium virginum et martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 44

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi.

Glória Patri.

[1] Sapientia vincit, in Communi, fol. 609.—97. 98.
[2] Æmulor, fol. 609.—98.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem pro beatarum virginum martyrumque tuarum gloriosa passione fecisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da ut quarum hodie festa celebramus, meritis et intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Epistola. O quam pulchra est casta generátio, in Communi, fol. 611.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.
℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.
Allelúya. ℣. Ps. 44 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

PRÆSENTIA munera, quæsumus, Domine, ita serena pietate intuere, ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione; ut in nostris cordibus eam dilectionem [1]avidius capiamus,[1] per quam [2]sanctæ virgines[2] martyresque tuæ omnia corporis tormenta devicerunt. Per Dominum. in unitate ejusdem.

Communio. Matth. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, [3]sanctarum virginum martyrumque tuarum solemnitate cœlestia sacramenta, quarum suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Sancti Romani Rothomagensis archiepiscopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.
Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, cui beatus Romanus pontifex ita sanctitatis gratia decoratus complacuit, ut tuorum consortium in cœlis promereretur sanctorum; da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, ejus interventu, perpetuam consequi lætitiam, cujus depositionis diem gratulando celebrat solemnem. Per Dominum.

Epistola. Justum dedúxit Dóminus per vias, in Communi, fol. 603.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem Excélsi.
Allelúya. ℣. Ps. 88 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum.

Evangelium. Vigiláte quia nescítis, in Communi, fol. 599.

[1] valident.—92. 94. 97. 98.
[2] sanctarum sanctæ virgines.—94. 97. 98. sanctarum virginum.—92.
[3] in.—97. 98.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SACRIFICIUM devotionis nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, clementer respice; et, interccssione beati Romani confessoris tui atque pontificis, per hoc nobis salutem mentis et corporis benignus impende. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

CONCEDE, quæsumus, Domine Deus noster, ut mysteria sancta quæ sumpsimus, intercedente beato Romano confessore tuo atque pontifice, et gratiam nobis devotionis obtineant, et effectum beatæ perennitatis adquirant. Per.

Sanctorum Crispini et Crispiniani martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui sanctis martyribus tuis Crispino et Crispiniano coronam martyrii præstitisti; concede, quæsumus, ut eorum intercessione veniam consequamur delictorum et æterna gaudia beatorum. Per Dominum.

Memoria de Translatione sancti Johannis de Beverlaco episcopi et confessoris.

Oratio.

DEUS, qui hunc diem sanctissimi Johannis confessoris tui atque pontificis translatione decorasti, fac nos, quæsumus, ejus meritis et precibus, in sanctorum tuorum societate transferri. Per Dominum.

Epistola. Spectáculum facti, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 132 Ecce quam bonum et quam jocúndum: habitáre fratres in unum.

℣. Sicut unguéntum in cápite: quod descéndit in barbum, barbam Aaron.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Sequentia. Ecce pulchra, in Communi, fol. 589.

Evangelium. Ecce ego mitto, in Communi, fol. 575.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te, omnes qui díligunt nomen tuum, quóniam tu, Dómine, benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut his muneribus quæ pro sanctorum martyrum tuorum Crispini et Crispiniani honore deferimus, et te placemus exhibitis, et nos vivificemur acceptis. Per Dominum.

Alia Secreta de sancto Johanne.

RESPICE, quæsumus, Domine, propitius ad humilitatis nostræ simplicem servitutem; et, intercedente beato Johanno confessore tuo atque pontifice cujus translationem celebramus, hostias quas in

honore ejus sacris altaribus immolamus, benignus assume. Per Dominum.

Communio. Sap. 3 Et si coram homínibus torménta passi sunt: Deus tentávit eos: tanquam aurum in fornáce probávit eos: et quasi holocáusta accépit illos.

Postcommunio.

SANCTORUM martyrum tuorum Crispini et Crispiniani, quæsumus, Domine, precibus adjuvemur; et eorum solemnia sacris mysteriis celebrantes, fac nos tuo nomini semper esse devotos. Per Dominum.

Alia Postcommunio de sancto Johanne.

PRÆSTA nobis, Domine, quæsumus, beati Johannis confessoris tui atque pontificis meritis et precibus adjuvari; ut quod præsentibus celebramus officiis, ejus suffragio perpetuæ salvationis gaudiis assequamur. Per Dominum.

In vigilia apostolorum Symonis et Judæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

NTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut sicut apostolórum tuórum Symónis et Judæ gloriósa natalítia prævenímus, sic ad tua benefícia promerénda, majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant. Per Dóminum.

Epistola. Justórum ánimæ, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 78 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum: qui effúsus est.

℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Si hæc vigilia in dominica evenerit, dicitur

Allelúya. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor bálsami erunt ante te.

Evangelium. Ego sum vitis, vos pálmites, in Communi, fol. 573.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis, exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

HCCEPTA tibi sit, quæsumus, Domine, nostræ devotionis oblatio; et ad apostolicam puriores nos faciat pervenire festivitatem. Per Dominum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ; visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum jejunando solemnia prævenimus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum.

In die apostolorum Symonis et Judæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 138

IHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos apóstolos tuos Symónem et Judam ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti; da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre et celebrándo proficere. Per Dóminum nostrum.

Ad Romanos. c. 8

FRATRES, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Et quos vocavit, hos et justificavit. Quos autem justificavit, illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui [1]etiam[1] proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat; quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

Alleluya. ℣. Johan. 15 Non vos me elegístis: sed ego vos elégi, et pósui vos ut eátis et fructum afferátis et fructus vester máneat.

Sequentia de Communi et Evangelium. Hæc mando vobis ut diligátis, in Communi, fol. 575.

Credo.

Offertorium. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

GLÓRIAM, Dómine, sanctórum tuórum apostolórum Symónis et Judæ perpétuam venerántes, quæsumus, ut eándem sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me: sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

Postcommunio.

SANCTIFICATO divino mysterio, quæsumus, omnipotens Deus, ut pro nobis eorum non desit oratio, quorum nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

In vigilia omnium Sanctorum.

Ad Missam: Officium. Ps. 33

TIMÉTE Dóminum, omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum, dívites eguérunt

[1] ita 26. etc. enim.—55P. 57.

et esuriérunt, inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Oratio.

DÓMINE Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam; et sanctórum tuórum quórum pravenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi [1]in[1] sancta professióne lætítiam. Per.

Nulla fiat Memoria.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis apostoli. c. 5

IN diébus illis, [2]Ecce ego Johánnes vidi[2] in médio throni et quátuor animálium et in médio seniórum Agnum stantem [3]tanquam[3] occísum, habéntem córnua septem, et óculos septem qui sunt septem spíritus Dei missi in omnem terram. Et venit et accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et cum aperuísset librum, quátuor animália et vigintiquátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cýtharas et phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes sanctórum. Et cantábant cánticum novum dicéntes; Dignus es, Dómine Deus noster, accípere librum et aperíre signácula ejus; quóniam occísus es et redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu et lingua et pópulo et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum et sacerdótes; et regnábunt super terram. Et vidi et audívi vocem angelórum multórum in circúitu throni et animálium et seniórum: et erat númerus eórum míllia míllium voce magna dicéntium; Dignus est Agnus qui occísus est accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem, in sæcula sæculórum, Amen.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Si hæc vigilia in dominica evenerit, dicitur Missa de vigilia in capitulo, cum hoc

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

et tunc ad magnam Missam, quæ erit de Dominica, fiat Memoria de sancto Quintino, cum hac Oratione, Deus qui ecclésiam, cum Secreta et Postcommunione. Quære post istud Officium.

Secundum Johannem. c. 17

IN illo témpore, Respíciens Jesus in discípulos suos, dixit; Pater sancte, serva eos in nómine tuo quos dedísti mihi, ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in nómine tuo. Quos dedísti mihi ego custodívi: et nemo ex eis périit nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio: et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis. Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus eos ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritáte; sermo tuus véritas est. Sicut tu me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meípsum: ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum illórum in me: ut omnes unum sint sicut

[1] non habent 26. 57.
[2] ego Johannes vidi.—92. 97. 98. 4L. et vidi et ecce.—V.
[3] quasi.—97. 98.

tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misísti. Et ego claritátem quam dedísti mihi, dedi eis: ut sint unum sicut et nos unum sumus, (ego in eis et tu in me) ut sint consummáti in unum; et cognoscat mundus quia tu me misísti, et dilexísti eos sicut et me dilexísti. Pater, quos dedísti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut vídeant claritátem meam quam dedísti mihi, quia dilexísti me ante mundi constitutiónem. Pater juste, mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi. Et hi cognovérunt quia tu me misísti; et notum feci eis nomen tuum et notum fáciam. Ut diléctio qua dilexísti me, in ipsis sit, et ego in eis.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.

Secreta.

ALTÁRE tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis; da, quæsumus, ut ad salútem nostram ómnium sanctórum tuórum precatióne proficiant, quorum solémnia ventúra præcúrrimus. Per Dóminum nostrum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ; visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio.

SACRAMÉNTIS, Dómine, et gáudiis optátæ celebritátis explétis, quæsumus, ut eórum précibus adjuvémur, quorum recordatiónibus exhibéntur. Per Dóminum.

De sancto Quintino martyre.

Oratio.

DEUS, qui Ecclesiam tuam annua beati Quintini martyris tui solemnitate [1]lætificas;[1] concede propitius, ut qui memoriam illius digna servitute veneramur, intercessorem eum semper apud te habere mereamur. Per Dominum.

Secreta.

IN veneratione beati Quintini martyris tui, omnipotens Deus, tibi laudis hostiam immolamus; orantes ut ipse pro nobis intercessor exsistat, qui pro tuo nomine gloriosa morte occubuit. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PERCIPIAT, Domino, quæsumus, plebs tua, intercedente beato Quintino martyre tuo, misericordiam quam deposcit; ut tuis semper digna inveniatur sacramentis. Per Dominum.

In die omnium Sanctorum.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre ómnium sanctórum, de quorum solemnitáte gaudent ángeli: et colláudant Fílium Dei.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium sanctórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári; quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum nostrum.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis apostoli. c. 7

ECCE ego Johánnes vidi ángelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: et clamávit voce magna quátuor ángelis quibus datum est nocére

[1] ita 55P. etc. clarificas.—92. 4L. 13. 26.

terræ et mari, dicens; Nolíte nocére terræ et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Et audívi númerum signatórum, centum quadragínta quátuor míllia signáti, ex omni tribu filiórum Israel. Ex tribu Juda, duódecim míllia signáti. Ex tribu Ruben, duódocim míllia signáti. Ex tribu Gad, duódecim míllia signáti. Ex tribu Aser, duódecim míllia signáti. Ex tribu Néptalim, duódecim míllia signáti. Ex tribu Manásse, duódecim míllia signáti. Ex tribu Sýmeon, duódecim míllia signáti. Ex tribu Levi, duódecim míllia signáti. Ex tribu Isachar, duódecim míllia signáti. Ex tribu Zábulon, duódecim míllia signáti. Ex tribu Joseph, duódecim míllia signáti. Ex tribu Bénjamin, duódecim míllia signáti. Post hæc vidi turbam magnam quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis, stantes ante thronum et in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. Et clamábant voce magna, dicéntes; Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno. Et omnes ángeli stabant in circúitu throni et seniórum et quátuor animálium. Et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum dicéntes; Amen; benedíctio, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum actio, honor et virtus et fortitúdo Deo nostro, in sæcula sæculórum, amen.

Gradale. Ps. 33 Timéte Dóminum omnes sancti ejus quóniam nihil deest timéntibus eum.

℣. Inquiréntes autem Dóminum: non defícient omni bono.

Alleluya. ℣. Judicábunt sancti natiónes et dominabúntur pópulis: et regnábit illórum rex in ætérnum.

Sequentia.

A CHRISTO inclyto candida
nostra canant [1]melodia[1] agmina,
Laudes omnibus dantia
sanctis per hæc sacrata festalia.
Mariam primum vox sonet nostra,
per quam nobis vitæ sunt data præmia;
Regina, quæ es mater et casta,
solve nostra per Filium peccamina.
Angelorum concio sacra,
et archangelorum turma inclyta,
Nostra diluant jam peccata,
præstando supera cœli [2]gaudia.[2]
Tu, propheta, præco, lucerna,
atque plusquam propheta,
In lucida nos pone via,
mundans nostra corpora.
Apostolorum[3] princeps
[4]omnium,[4] atque cuncta
[5]juncta[5] caterva,
Jam corrobora vera,
quæsumus, in doctrina
plebis pectora.
Stephane [6]gloriose,[6]
rutilans in corona,
[7]sanctorumque[7] martyrum turma inclyta,
Fortia date corda,
corpora æque firma,
[8]sacra[8] ut hostem vincant rite spicula.
Martine inclyte,

[1] melodiam.—92. 4L. 13.
[2] ita 26. etc. culmina.—55P. 57.
[3] ita 26. etc. que.—55P. 57.
[4] ita 98. 55P. omniumque.—97. 26. non habent 92. 13. 15.
[5] non habet 94.
[6] ita 26. etc. gloriosa.—55P.
[7] sanctorum.—57.
[8] nostra.—94. 97. 98.

præsulumque omnis caterva,
Suscipe nunc pia,
modo nostra clemens precata.
Regina virginum præmaxima,
tu mater incorrupta,
virgo et gravida,
Sacrata Domino et [1]castitas,[1]
nostras serva animas,
mundaque corpora.
Monachorum veneranda suffragia
Omniumque sanctorum contubernia,
Per precata assidua
nostra gubernent tempora,
Nosque ducant ad superna
polorum [2]vera[2] gaudia;
[3]Subjungant[3] pium agmina amen redempta.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Matthæum. c. 5

In illo témpore, Videns Jesus turbas, ascéndit in montem. Et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et apériens os suum, docébat eos dicens; Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam cousequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes propter me. Gaudéte et exsultáte: quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

[1] castas.—94. 13.
[2] vere.—94. 98.
[3] subjungunt.—92. 4L. 15. 57. subjungat.—13.

Credo.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ, benedíctus Deus, Allelúya.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostras devotiónis offérimus; quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre sanctórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio, allelúya.

Postcommunio.

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis per hujus sacraménti participatiónem, ómnium sanctórum tuórum semper veneratióne lætári; et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

In commemoratione animarum.

Ad Missam: Officium.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

Ps. 64 Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddétur votum in Hierúsalem, exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet.

Oratio.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui cum Deo Patre.

Nulla fiat Memoria ad hanc Missam, licet corpus præsens fuerit.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli: ad Thessalonicenses. I c. 4

Fratres, Nólumus vos ignoráre de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et céteri qui spem non habent. Si enim crédimus quod Jesus mórtuus est et resurréxit; ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini; quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in advéntu Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu et in voce archángeli et in tuba Dei descéndet de cœlo: et mórtui qui in Christo sunt resúrgent primi. Deínde nos qui vívimus qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áera, et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

Et legatur in pulpito.

Qua lecta, tres clerici de secunda forma, habitu non mutato, ibidem dicant

Gradale. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

℣. Ps. 24 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum hereditet terram.

Tractus. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

℣. Fiant aures tuæ intendéntes: in oratiónem servi tui.

℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

℣. Quia apud te propitiátio est: et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Et dicitur cum eodem cantu quo in Dominica lxx; et dicitur a quatuor clericis de superiori gradu[1] ad gradum chori; habitu non mutato;[1] et interim procedat diaconus cum subdiacono et ceroferario et thuribulario, [2]sine cruce[2] ad pronunciandum Evangelium.

Secundum Johannem. c. 11

In illo témpore, Dixit Martha ad Jesum; Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus. Sed et nunc scio, quia quæcúnque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus; Resúrget frater tuus. Dixit ei Martha; Scio, quia resúrget in resurrectióne, in novíssimo die. Dicit ei Jesus; Ego sum resurréctio, et vita. Qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit vivet. Et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi; Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi qui in hunc mundum venísti.

Et legatur in pulpito more dominicali.

Non dicitur Credo.

Offertorium. O pie Deus, qui primum hominem ad æternam gloriam revocasti: pastor bone, qui ovem perditam pio humero ad ovile reportasti: juste judex, dum veneris judicare, libera de morte animas eorum quæ redemisti; ne tradas bestiis animas confitentes tibi; ne derelinquns eas in finem.

Non dicitur, Hóstias et preces, neque ℣. Réquiem ætérnam.

Secreta.

Hóstias, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animábus ómnium fidélium defunctórum offérimus, propitiátus inténde; ut quibus fídei Christiánæ méritum contulísti, dones et præmium. Per Dóminum.

[1] habitu non mutato ad gradum chori continue stantibus, ita quod omnes illi quatuor primum versum simul incipiant quod duo ex parte chori principalis prosequantur, aliis duobus interim tacentibus; et ita alternis vicibus singuli versus ab illis quatuor totius Tractus dicuntur, choro interim sedente; ita quidem ut omnes illi quatuor clerici ipsum Tractum terminent.—Grad.

[2] cum cruce per medium chori ad pulpitum.—Grad.

Communio. Pro quorum memoria corpus Christi sumitur, dona eis, Domine, requiem sempiternam.

℣. Et lux perpetua luceat eis. Pro quorum memoria sanguis Christi sumitur, dona eis, Domine, requiem sempiternam.

Postcommunio.

ANIMÁBUS, quǽsumus, Dómine, ómnium fidélium defunctórum orátio proficiat supplicántium; ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes. Qui cum Deo Patre.

Si hæc commemoratio in Dominica contigerit, differatur in crastinum, et fiat totum servitium de Dominica; ei tunc fiat in ipsa Dominica memoria de martyribus Eustachio sociisque ejus.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, sanctorum martyrum tuorum Eustachii sociorumque ejus intercessione, lætitiam et pacem; ut quorum gaudemus triumphis, protegamur subsidiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secreta.[1]

ASSUME,[1] quæsumus, omnipotens Deus, in honore sanctorum martyrum tuorum Eustachii sociorumque ejus, hæc tibi oblata libamina; quorum pia supplicatione placatus, et præteritorum veniam et futurorum nobis cautelam præbeas delictorum. Per Dominum nostrum Jesum.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, divina mysteria beatorum martyrum tuorum Eustachii sociorumque ejus merita venerantes; præsta, quæsumus, ut eorum semper et fideli muniamur auxilio et magnifico proficiamus exemplo. Per Dominum.

[2]Quando commemoratio animarum a Dominica differtur; tunc feria tertia fiat servitium de sancta Wenefreda.[2]

Sanctæ Wenefredæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

SOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster; ut sicut de beatæ Wenefredæ virginis et martyris tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia.

Epistola. Sapiéntia vincit malítiam, in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulcritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Sequentia. Exsultémus, in Communi, fol. 607.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 610.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne, adducéntur in templum regi Dómino.

[1] annue.—92. 94.
[2] non habent 94. 4L. 15. 57.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, quas tibi offerimus propitius respice; et intercedente beata Wenefreda virgine tua et martyre, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum.

Communio. Ps. 118 Feci judícium et justítiam, Dómine: non calumniéntur mihi supérbi, ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

PLACEANT tibi, quæsumus, misericors Deus, nostræ servitutis obsequia; ut mysteria sacrosancta quæ sumpsimus, intercedente beata Wenefreda virgine tua et martyre, et tuam gratiam nobis concilient et æternæ felicitatis gaudium subministrent. Per Dominum.

MISSA DE SANCTA WENEFREDÆ ex 94. 97. 98.

Officium. Dilexisti. 605

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatam Wenefredam virginitatis præmio decorasti, fac nos, quæsumus, ejus pia intercessione, mundi hujus blandimenta postponere, et cum ipsa perennis gloriæ sedem obtinere. Per.

Epistola. Domine Deus meus. 605

Gradale. Dilexisti. 606

Alleluya. ℣. Veni electa mea. 607

Sequentia.

Virgo vernans velut rosa,
agni sponsa speciosa,
Christi martyr preciosa,
Wenefreda floruit;
Ex Britannis oriunda,
fide firma, spe jocunda,
actu sancta, mente munda,
mundi menda caruit.
Hanc occidit Karadocus,
quem mox sorbet Orci focuc,
qui pravorum exstat locus,
quo Sathan exuritur;
Hujus argamento rei,
fons ebullit natu Dei,
rubricatæ speciei,
quo caput præciditur.
Mira multa hic patrantur,
cœci vident, muti fantur,
morbi omnes effugantur,
cum fide petentium;
Gloriosa Wenefreda,
maris nubis fluctus seda;
ne fiamus hosti præda,
fer, pia, præsidium. Amen.

Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro. 607

Offertorium. Offerentur, minus. 608

Secreta.

Oblata, quæsumus, Domine, munera tuæ majestatis virtute sanctifica, et, beatæ virginis tuæ Wenefredæ meritis, salutaria nobis esse concede. Per.

Communio. Diffusa est. 608

Postcommunio.

Perceptis, Domine, sacramentis, te suppliciter imploramus, ut quæ in veneratione beatæ Wenefredæ virginis et martyris tuæ devotione tibi obtulimus, gaudia nobis conferant sempiterna. Per Dominum.

In Tractatu quem vocant "Crede michi," ad calcem "Ordinalis ad usum Sarum," (Ant. 1488 impresso) variam quandam formam Missa de S. Wenefreda invenimus, scil.

In die sanctæ Wenefredæ virginis.

Ad Missam Officium. Loquebar. 605

Epistola secundum Ordinale: Lectio libri Sapientiæ. Sapientia laudabit. 606

Gradale. Specie tua. 606

Alleluya. ℣. Diffusa. 607

Sequentia. Exsultemus. 607

Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro. 607

Offertorium. Offerentur major. 608

Communio. Feci judicium. 608

Sancti Leonardi abbatis.

Ad Missam: Officium. Ps. 36

Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Glória Patri et Fílio.

Oratio.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, cœlesti dono prosequere; ut qui de beati Leonardi confessoris tui atque abbatis patrociniis gloriamur, ejus meritis atque suffragiis apud te semper adjuvari mereamur. Per Dominum.

Epistola. Justus cor suum, in Communi, fol. 602.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Sequentia. Adest nobis, in Communi, fol. 597.

Evangelium. Nemo accéndit, in Communi, fol. 602.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SUSCIPE, Domine, munera tuæ pietati humiliter immolanda; et concede ut nobis, sancti Leonardi confessoris tui atque abbatis intercessione, fiant salutaria, cujus natalitiis ea tibi speramus accepta. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.[1]

PURIFICET[1] nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti; et quæ pro beati Leonardi confessoris tui atque abbatis veneranda solemnitate gerimus, ejus nobis patrocinantibus meritis, ad indulgentiam prosint æternam. Per Dominum.

Sanctorum quatuor Coronatorum martyrum.

Ad Missam: Officium. Ps. 78

INTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum, víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui gloriósos mártyres tuos Claudium, Nichostratum, Symphorianum, Castorium atque Simplicium, fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Epistola. Justórum ánimæ, in Communi, fol. 587.

Gradale. Ps. 78 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum: qui effúsus est.

℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

[1] Sanctificet.—92.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

Evangelium. Cum audiéritis prælia, in Communi, fol. 591.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis, exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta.

BENEDÍCTIO tua, quæsumus, Dómine, larga descéndat; quæ et múnera nostra, deprecántibus sanctis martýribus tuis, Claudio, Nichostrato, Symphoriano, Castorio atque Simplicio, tibi reddat accépta, et nobis sacraméntum redemptiónis effíciat. Per Dóminum.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortipunitórum.

Postcommunio.

CŒLÉSTIBUS refécti sacraméntis et gáudiis, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut quorum gaudémus triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Sancti Theodori martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 20

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Psalmus. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Theodóri mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis; præsta, nobis ejus imitatióne profícere, et oratióne [1]fulcíri.[1] Per Dóminum.

[1] non habet 94.

Epistola. Beátus vir qui in sapiéntia, in Communi, fol. 579.

Gradale. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúya. ℣. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Evangelium. Si quis vult post me veníre, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

MUNERIBUS oblatis, Domine, beati Theodori martyris tui festa venerantes, quæsumus, ut qui conscientiæ nostræ præpedimur obstaculis, illius meritis reddamur accepti. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnam decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SANCTA tua nos, Domine, sumpta purificent; et, intercedente beato Theodoro martyre tuo, ad perpetuæ beatitudinis consortium introducant. Per Dominum.

Sancti Martini episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis quia ex nulla nostra virtúte subsístimus; concéde propítius, ut, intercessióne beáti Martíni confessóris tui atque pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Memoria de sancto Menna martyre.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beáti Mennæ mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne eius, in tui nóminis amóre roborémur. Per.

Epistola. Ecce sacérdos, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Hic Martínus pauper et módicus cœlum dives ingréditur: hymnis cœléstibus honorátur.

Sequentia. Sacerdótem Christi Martínum. Require in translatione ejusdem, fol. 466.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

DEUS, qui omne bonum in tui sacri corporis mysterio contineri voluisti: concede propitius, ut hoc munus quod in beati Martini confessoris tui atque pontificis veneratione tibi offerimus, ipso intercedente, nobis proficere sentiamus. Qui vivis.

Alia Secreta.

SACRIFICIA ista tibi vero æternoque pontifici oblata, Domine, tu sanctifica; et, interveniente beato Menna martyre tuo, ita nos fac, quæsumus, hæc tractare mysteria, ut ipsi tibi [1]et[1] templum et hostia placabilis esse mereamur. Qui vivis et regnas.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

AUXILIARE, quæsumus, Domine, populo tuo; ut sacramentorum tuorum virtute proficiens, intercedente beato Martino confessore tuo atque pontifice, et tuo semper munere gubernetur, et ad redemptionis æternæ [2]perveniat,[2] te ducente, consortium. Per Dominum.

Alia Postcommunio.[3]

HÆC[3] in nobis, quæsumus, Domine, gratia tua semper exerceat; ut divinis instauret corda nostra mysteriis, et beati Mennæ martyris tui festivitate lætificet. Per Dominum.

Quotidie per octavas dicitur eadem Missa sed sine Sequentia; nisi festum intercurrat et nisi in dominica, vel quando dicitur de sancta Maria, vel missa Salus póputi restat cantanda.

Sancti Bricii episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

[1] non habent 94. 97. 98.
[2] pertineat.—92. 94. 4L. pertingat.—97. 98.
[3] ita 26. etc. hoc.—97. 98. 55P.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

CONSERVA, quæsumus, Domine, populum tuum, intercessione beati Bricii confessoris tui atque pontificis, in tuo amore confisum; ut mereamur, ipso intercedente, consortes fieri cœlestium gaudiorum. Per Dominum.

Memoria de sancto Martino, ut supra.

Epistola. Justum dedúxit, in Communi, fol. 603.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diébus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem Excélsi.

Allelúya. ℣. ib. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Si dominica fuerit, dicitur Sequentia de Communi, fol. 597.

Evangelium. Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum, et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

SANCTI Bricii confessoris tui atque pontificis, Domine, quæsumus, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, ut per hæc piæ oblationis officia sæculi præsentis miserias evadamus, et gratiæ tuæ beneficia consequamur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

MYSTERIIS refecti divinis, Domine Deus noster, quæsumus, ut beati Bricii confessoris tui atque pontificis ubique intercessione nos protegas, in cujus annua veneratione hæc tibi obtulimus sacramenta. Per Dominum nostrum.

[1]Infra diocesim Londonensem translatio sancti Erkenwaldi episcopi et confessoris: omnia fiant sicut in Communi.[1]

Sancti Machuti episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, populi tui preces exaudi; qui beatum Machutum confessorem tuum atque pontificem virtutis gratia decorasti, et eum hodie in cœlesti gloria suscepisti. Per Dominum.

Memoria de sancto Martino, ut supra.

Epistola. Ecce sacérdos magnus, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.
℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Alleluya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Alma chorus, de Communi, fol. 598.

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.

Evangelium. Homo quidam nóbilis ábiit, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

OBLATIONES nostras, quæsumus, Domine, propitiatus intende, quas tibi in honore beati Machuti confessoris tui atque pontificis consecrandas deferimus, precantes, ut, ipsius meritis et intercessione, peccatorum omnium quæ negligenter gessimus, te propitiante, veniam consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

QUOS donis cœlestibus, Domine, satiasti, sancti Machuti confessoris tui atque pontificis [1]benignus[1] attolle præsidiis; ut [2]a[2] noxiis omnibus expediti, post salutaria tua toto corde curramus. Per Dominum.

Sancti Edmundi archiepiscopi.

Ad Missam: Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Edmundi præsulis: de cujus solemnitáte gaudent ángeli: et colláudant Fílium Dei.

Ps. 32 [3]Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.[3]

Oratio.

DEUS, qui largifluæ bonitatis [4]consilio[4] Ecclesiam tuam beati Edmundi confessoris tui atque pontificis præclaræ vitæ meritis decorasti, et gloriosis lætificasti miraculis; concede [5]propitius[5] nobis famulis tuis, ut et ipsius in melius reformemur exemplis, et ab omnibus, ejus patrocinio, protegamur adversis. Per Dominum.

Memoria de sancto Martino.

Epistola. Ecce sacérdos magnus qui in vita, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.
Allelúya. ℣. Hic Edmundus pauper et módicus cœlum dives ingréditur: hymnis cœléstibus honorátur.

Sequentia. Alma chorus, et Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 598, 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

BEATI Edmundi confessoris tui atque pontificis, quæsumus, Domine, precibus, munera tibi offerenda complaceant, et oblata nobis proficiant ad salutem. Per Dominum nostrum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

[1] benignis.—94. 98.
[2] non habent 92. 94. 98. 57.
[3] Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.—92. 97. 98.
[4] consilio tuo.—26. concilio tuo.—13.
[5] non habent 94. 97. 98.

Postcommunio.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, susceptis robora sacramentis; ut sicut eas beati Edmundi confessoris tui atque pontificis novis dignatus es confortare miraculis, sic etiam [1]juvare[1] suffragiis et illustrare digneris exemplis. Per Dominum.

Sancti Hugonis episcopi et confessoris.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

DEUS, qui beatum Hugonem confessorem tuum atque pontificem eminentia meritorum et claritate signorum excellenter ornasti; concede, propitius, ut ejus exempla nos provocent et virtutes illustrent. Per Dominum.

Memoria de sancto Aniano confessore.

Oratio.[2]

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei celebritatem pro beati Aniani confessoris tui atque pontificis solemnitate tribuisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da, ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.[2]

Memoria de sancto Martino, ut supra.

Epistola, Diléctus Deo, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia. Alma chorus, in Communi, fol. 598.

Evangelium. Vidéte vigiláte, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

OBLATA tibi munera, quæsumus, Domine, beatus Hugo confessor tuus et pontifex prosequatur; [3]et[3] meritis ejus adjuti, per ea gratiam et gloriam consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia Secreta de sancto Aniano.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, propitiatus admitte; et dicatum tibi sacrificium beati Aniani confessoris tui atque pontificis commendet oratio. Per Dominum nostrum.

Alia Secreta de sancto Martino, ut supra.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

NOSTRÆ servitutis obsequia, quæsumus, Domine Deus, beatus Hugo confessor tuus et pontifex tibi reddat accepta, ne sacramenti cœlestis effectum

[1] adjuvare.—94. 97. 98.

[2] Deus, qui nobis beati Aniani confessoris tui atque pontificis natalitia gloriosa celebrare concedis; tribue, quæsumus, ejus nos semper et beneficiis et orationibus adjuvari. Per.—92.

[3] ita 26. etc. ut.—97. 98. 55P.

reatus noster a nobis excludat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Alia Postcommunio de sancto Aniano.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui nos sacramentorum tuorum participes efficis ac ministros; præsta, quæsumus, ut, intercedente beato Aniano confessore tuo atque pontifice, et fidei proficiamus augmento et beatitudinis ejus jungamur consortio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Alia Postcommunio de sancto Martino, ut supra.

In octava Sancti Martini.

Ad Missam: Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Martini confessoris tui atque pontificis frequentata solemnitas ad perpetuam populo tuo proficiat salutem; et quem sæpius veneramur in terris, semper habeamus patronum in cœlis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Epistola. Ecce sacérdos magnus, in Communi, fol. 596.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longtúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Hic Martínus pauper et módicus cœlum dives ingréditur: hymnis cœléstibus honorátur.

Evangelium. Homo quidam péregre, in Communi, fol. 599.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

HÆC oblatio, Domine, quæsumus, quam iterata sancti Martini confessoris tui atque pontificis festivitate offerimus tuæ majestati, prosit nobis ad indulgentiam; ut per eam a nostris liberemur peccatis, et sacris altaribus astare digni efficiamur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SACRAMENTA, Domine, quæsumus, quæ sumpsimus, beato Martino confessore tuo atque pontifice intercedente, ab omni nos adversitate defendant, et perpetua prosperitate tibi soli servire concedant. Per Dominum.

Si istæ octavæ in dominica vel in sabbato contigerint, fiat de eis Memoria ad missam, absque missa in capitulo.

Sancti Edmundi regis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

DEUS ineffabilis misericordiæ, qui beatissimum regem Edmundum tribuisti pro tuo nomine inimicum moriendo vincere; concede propitius familiæ tuæ, ut, eo interveniente, mereatur in se antiqui hostis incitamenta superando extinguere. Per Dominum nostrum Jesum.

Epistola. Beátus vir qui invéntus, in Communi, fol. 580.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Sequentia. Organicis, in Communi, fol. 581.

Evangelium. Si quis venit ad me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

HOC sacrificium redemptionis nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, clementer respice; et, intercedente beato Edmundo rege et martyre tuo, pro hac familia tua placatus assume. Per Dominum nostrum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SINT tibi, omnipotens Deus, grata nostræ servitutis obsequia; et hæc sancta quæ sumpsimus, intercedente beato Edmundo rege et martyre tuo, prosint nobis ad capessenda præmia perpetuæ. Per Dominum.

Sanctæ Cæciliæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

QUOQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ vírginis et mártyris tuæ solemnitáte lætíficas; da ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

Epistola. Dómine Deus meus, in Communi, fol. 605.

Gradale. Ps. 44 Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: intende, próspere procéde et regna.
Allelúya. ℣. Veni elécta mea et ponam te in thronum meum: quia concupívit rex spéciem tuam.

Sequentia. Exsultémus, in Communi, fol. 607.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, [1]omnipotens et[1] misericors Deus, ut sicut divina offerimus in sanctæ Cæciliæ virginis tuæ et

[1] non habent 92. 94. 97. 98.

martyris solemnitate sacramenta; sic indulgentiæ tuæ largitatem, piis ejus precibus assequamur. Per Dominum.

Communio. Ps. 118 Confundántur supérbi quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis [1]exercébor:[1] et in tuis justificatiónibus, [2]ut[2] non [3]confúndar.[3]

Postcommunio.

SACRAMENTORUM tuorum, Domine, participes effecti, imploramus clementiam tuam, ut, beatæ Cæciliæ virginis [4]tuæ[4] et martyris interventu, peccatorum nostrorum veniam consequi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sancti Clementis papæ et martyris.

Ad Missam: Officium. Ex Esaia 59 et 57

DICIT Dóminus, sermónes mei quos dedi in os tuum non defícient [5]de[5] ore tuo: adest enim nomen tuum: et múnera tua accépta erunt super altáre meum.

Ps. 101 Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Cleméntis mártyris tui atque pontíficis solemnitáte lætíficas; concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Memoria de sancta Felicitate virgine.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut beátæ Felicitátis mártyris tuæ solémnia recenséntes méritis ipsíus protegámur et précibus. Per.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Philippenses. c. 4

FRATRES, Rogo vos, caríssimi et desideratíssimi, gáudium meum et coróna mea, sic state in Dómino, caríssimi. Rogo Euchódiam et Sínthicem déprecor, idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo te, germáne compar, ádjuva [6]eas quæ[6] mecum laboravérunt in evangélio, cum Cleménte et cæteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Allelúya. ℣. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum; qui ad [7]gáudia[7] transiit angelórum.

Sequentia. Organicis, in Communi, fol. 581.

Evangelium. Homo quidam nóbilis, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meam: et in óleo sancto unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei et bráchium meum confortábit eum.

[1] exercebar.—13. 15. exercebor in mandatis tuis.—V.
[2] et.—13.
[3] confundas.—13.
[4] non habent 94. 97. 98.
[5] non habent 94. 97. in—98.
[6] illas quæ.—4L. V. eos qui.—97. 98. 26.
[7] gaudium.—92. 97. 98.

Secreta.

PRO passione beati Clementis martyris tui atque pontificis gratanter tibi, Domine, munus offerimus, quia sicut eum sentimus in te vivere gloriosum, sic pro nobis intervenire confidimus. Per Dominum.

Alia Secreta de sancta Felicitate.

MUNERA tibi, Domine, pro sanctæ Felicitatis gloriosa solemnitate deferimus, obsecrantes; ut quæ nobis hujus celebritatis effectum et confessione dedicavit et sanguine, miserationis tuæ continuum imploret auxilium. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

PURIFICENT nos, Domine, quæsumus, et divini perceptio sacramenti, et gloriosa deprecatio beati Clementis martyris tui atque pontificis. Per Dominum nostrum.

Alia Postcommunio de sancta Felicitate.

HÆC, Domine, sacramenta sumentes, quæsumus, ut, intercedente beata Felicitate martyre tua, vitæ æternæ in nobis nutriant alimenta. Per Dominum.

Sancti Grisogoni martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Grisógoni mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Epistola. Beátus homo qui invénit, in Communi, fol. 572.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Jacob. 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Evangelium. Qui vos audit me, in Communi, fol. 582.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuórum, Dómine.

Secreta.

MUNERA nostra, quæsumus, Domine, sereno vultu[1] suscipe; ut, intercedente beato Grisogono martyre tuo, criminum nostrorum contagia cuncta expurgent. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

ANNUE, quæsumus, Domine, ut mysteriis tuis recreati sancti quoque Grisogoni martyris tui semper muniamur auxiliis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Sanctæ Katherinæ virginis et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

NE exspectavérunt peccatóres ut pérderent me; testimónia tua, Dómine, intelléxi; omnis con-

[1] intuitu.—94. 97. 98.

summatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui corpus gloriosæ virginis tuæ Katherinæ in montem Sinai ab angelis deferri jussisti; concede, quæsumus, ejus obtentu, nos ad arcem virtutum provehi, ubi visionis tuæ claritatem mereamur intueri. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 51

CONFITÉBOR tibi, Dómine rex; et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne. A láqueo lingua iníquæ, et a lábiis operántium mendácium. Et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor, et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad escam; de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónem quæ circumdedérunt me; a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta. De altetúdine ventris inferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii; a rege iníquo et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum; et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et cooperatiónis tuæ quæ a sæculo sunt, quóniam eruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus meus.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúya. ℣. Ps. 118 Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum: et non confundébar, Dómine.

Sequentia.

ODAS hac in die lætas
Christo [1]canit[1] omnis ætas,
corde, voce, fidibus:
Omnem spectat ad ætatem,
Katherinæ dignitatem
cumulare laudibus.
Hæc est illa Costi nata
cujus ortu decorata
gloriatur Græcia;
Hæc est quæ mnam sibi datam
Christo reddit decuplatam
oris eloquentia.
Scholis vacans, artes discens,
altiora concupiscens,
studet evangelio;
Duo legens testamenta,
vitæ videt alimenta,
Christum in præsepio.
Cibo dulci refovetur;
quo pius gustat, plus augetur
sanctum desiderium.
Cibo [2]conformatur[2] isti,
se configens cruci Christi,
currit ad martyrium.
Rex hinc terret, hinc blanditur;
hæc non timet nec lenitur
præ mentis constantia;

[1] ita 26 etc. canat—55P. Grad.
[2] confortatur.—98. Grad.

Hinc terrores ut favillæ,
hinc [1]res servi vel[1] ancillæ
spernuntur ut vilia.
Sapientes superantur;
credunt Christo, flammis dantur;
sed nec perit fimbria;
Carceratur virgo cæsa;
visitatur, fit illæsa,
superum præsentia.
Quam regina dum solatur,
ad certamen invitatur,
favet ovans coronatur,
certat die tertia.
A columba dum cibatur
virgo, rota fabricatur;
orat; nexus dissipatur,
sternitur plebs impia.
Tot triumphans in tormentis,
ad superna cum ducentis
præmittit Porphyrium;
Impetrato quicquid orat,
ferit lictor, lac irrorat
ferientis gladium.
Corpus cœlitus sublatum,
est in Sina tumulatum,
tumba manat oleum;
Sina signis illustratur;
cœlum sibi gloriatur,
addi sidus aureum.
Virgo, sidus honestatis,
dux et decus probitatis,
Christi reos majestatis
Christo reconcilia.
Vas virtutum, via morum,
flos odoris, odor florum,
nos tuere, nos cœlorum
transfer ad palatia.

Secundum Matthæum. c. 13

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo abscóndit, et præ gáudio illíus vadit et vendit univérsa quæ habet et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam cum impléta esset, educéntes et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa sua, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi. Exíbunt ángeli et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis. Ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei; Etiam, Ait illis; Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis: in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, propitius oblationes tuorum fidelium; quas tibi in honore [2]sanctæ[2] Katherinæ virginis tuæ et martyris hodierna solemnitate lætanter offerimus; sicque nobis, ipsa intercedente, per hoc sacrificium placatus adesto, ut nos et a periculis hujus vitæ clementer eripias et a peccatis omnibus miseratus absolvas. Per Dominum nostrum.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua et comparávit eam.

[1] res servi ut—26. etc. favores et.—55P. fervores vel.—57.
[2] beatæ.—92. 94. 97. 98.

Postcommunio.

DA, quæsumus, Domine, per hæc sancta quæ sumpsimus populo tuo salutem mentis et corporis; et, intercedente beata Katherina virgine et martyre tua, in cujus honore lætamur, perpetuis consolationibus tuorum reple corda fidelium, ut divina protectione relevati, et pia tibi devotione complaceant, et tua semper beneficia consequantur. Per Dominum.

Sancti Lini papæ et martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 131

SACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei lætitiam pro commemoratione beati Lini martyris tui atque pontificis fecisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Epistola. Omnis póntifex, in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum: in pópulo suo.

Evangelium. Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum, et in óleo sancto unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

INTENDE propitius, quæsumus, Domine, oblata tibi hæc munera; et deprecatione beati Lini martyris tui atque pontificis, in cujus ea commemoratione deferimus, nosipsos eademque sanctifica. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, in sancti Lini martyris tui atque pontificis solemnitate cœlestia sacramenta; cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIT SANCTORALE.

Commune Sanctorum proprium non habentium.

In vigilia unius Apostoli sive Evangelistæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 51

Ego autem sicut olíva [1]fructificávi[1] in domo Dómini: sperávi in misericórdia Dei mei, et exspectábo nomen tuum quóniam bonum est ante conspéctum sanctórum tuórum.

Psalmus. Quid gloriáris in malítia: qui potens es in iniquitáte?

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut nostra devótio, quæ natalítia beáti N. apóstoli tui antecédit, patrocínia nobis intercessióne ejus accúmulet. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 44 et 45

Benedíctio Dómini super caput justi. Ideo dedit illi hereditátem, et divísit illi partem in tríbubus duódecim; et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit eum in conspéctu regum, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi cor ad præcépta et legem vitæ et disciplínæ, et excélsum fecit illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et circumcínxit eum zona justítiæ. Et índuit eum Dóminus coróna glóriæ.

Lectio libri Sapientiæ. Proverb. c. 3

Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri; primi et purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis opibus: et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam beatus. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi: et nubes rore concrescunt.

Gradale. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam: et veritátem tuam per noctem.

Si Dominica fuerit, dicitur unum Allelúya de Communi apostolorum: [2]quære in officio sequenti.[2]

Secundum Johannem. c. 15

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollet eum. Et omnem qui fert fructum purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil

[1] fructifera.—13. V.

[2] In omnibus propriis missis de vigilia unius apostoli, si dominica fuerit, missa dicitur in capitulo cum uno Alleluya.—97. 98.

potéstis fácere. Si quis in me non mánserit; mittétur foras sicut palmes et aréscet, et cólligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúnque voluéritis petétis, et fiet vobis.

Secundum Johannem. c. 15

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Ego sum vitis, vos pálmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes et aréscet, et cólligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúnque voluéritis petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

ACCEPTA sit tibi, Domine, nostræ devotionis oblatio; et ad apostolicam puriores nos faciat venire festivitatem. Per.

Præfatio quotidiana.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, æterne Largitor, ejus ubique pia protegi oratione, cujus natalitia per hæc sancta quæ sumpsimus votivo prævenimus obsequio. Per Dominum.

In die unius Apostoli.

Ad Missam. Officium. Ps. 138

MIHI autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, nimis confortátus est principátus eórum.

In tempore Paschali allelúya.

Psalmus. Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.[1]

Oratio.

EXAUDI, Domine, populum tuum, cum sancti apostoli tui N. patrocinio supplicantem; ut tuo semper auxilio munitus, secura tibi possit devotione servire. Per.

Ad Ephesios. c. 2

FRATRES, Jam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei; superædificáti super fundaméntum apostolórum et prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. In quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in [2]habitáculum[2] Dei in Spíritu Sancto.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 5

IN diébus illis, Per manus apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe: et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Cæterórum autem nemo audébat conjúngere se illis: sed[3] magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo, virórum ac muliérum, ita ut in plateas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis et grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur[4] ab infirmitátibus suis. Concur-

[1] Kyrie eleyson.—26. Gloria.—15.
[2] ita 55P. etc. tabernaculum.—4L. 13. 26.
[3] magis.—97. 98.
[4] omnes.—13. 26.

rébat autem et multitúdo vicinárum civitátum in Hierúsalem, afferéntes ægros et vexátos a spirítibus immúndis: qui curabántur omnes.[1]

Gradale. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.
℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

Gradale. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.
℣. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Gradale. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.
℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúya. ℣. Ps. 138 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principatus eórum.

Allelúya. ℣. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Allelúya. ℣. Act. 5 Per manus autem apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

Allelúya. ℣. Johan. 15 Non [2]vos[2] me elegístis: sed ego vos elégi, et pósui vos ut eátis et fructum afferátis et fructus vester máneat.

In Septuagesima Tractus. Ps. 101
Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia.

CLARE sanctorum senatus apostolorum,
princeps orbis terrarum,
rectorque regnorum,
Ecclesiarum mores
et vitam moderare;
[3]Qui[3] per doctrinam tuam
fideles sunt ubique.
Antiochus et Remus
concedunt tibi Petre regni solium;
Tyrannidem tu, Paule,
Alexandrinam invasisti Græciam.
Æthiopes horridos,
Mathæe, agnelli vellere,
Qui maculas nesciat
aliquas, vestisti candido.
Thoma, Bartholomæe,
Johannes, Philippe, Simon,
Jacobique pariles,
Andrea, Thadæe, Dei
Bellatores inclyti,
En vos oriens, et occidens,
Immo teres mundi circulus,
Se patres habere gaudent,
et exspectant judices;
Et idcirco mundus omnis
laudes [4]vobis[4] et honorem
sanctis debitum supplex impendit.

Sequentia.

ALLELUYA nunc decantet
universalis Ecclesia,

[1] Et convocantes apostolos, cæsis denunciaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu; et dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni sunt habiti pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die in templo et circa domos non cessabant docentes et evangelizantes Dominum Jesum Christum.—92. 94. 97. 98.
[2] non habet 26.
[3] ita 26. etc. quæ.—97. 15. 55P. 57.
[4] non habet 94.

Extollendo laude celsa
apostolorum præconia.
Quorum princeps per crucem
scandit Petrus alta poli culmina.
Doctor orbis triumphat
sub Nerone, urbe in Romulea.
Crux Andreæ digna confert præmia;
Jacobus uterque nitet laurea,
Ægeas illum, hos Judaica
gens transmisit ad æthera.
Sunt Matthæo, sunt Johanni collata
Duo clara gratiarum munera:
Hyrtacus illum necat, hunc suas
Jesus vocat ad epulas.
Philippus, Christi gratia
docens, [1]prædicans[1] in Scythia,
Thomas confossus lancea,
cursum consummat in India.
Simon et Judas dum sacra
Persis ostendunt monita,
Fusus sanguis ambos stola
perlustravit purpurea.
Bartholomæus dat Indis vitæ dogmata;
Matthiæ culmen dedit sors apostolica.
Plaudat ergo tellus,
plaudat cœlorum curia,
Et hac die sacra
plaudat præsens familia.
[2]Honoranda[2] sacrosancta
apostolorum merita.
Hi sunt candelabra
ante Deum lucentia.
Hi prælati, celsa
summi Regis in curia.
Hi sal terræ, hi lux mundi,
hi clara cœli lumina.
Jam palma, jam corona,
jam, promissa olim, mensa
illis est apposita.
O quanta, quam præclara,
[3]quam[3] jocunda celebrantur,
illorum solennia.
His nostra sint solennia,
Sint vota, sint præconia,
[4]Sint[4] grata laudum carmina.

Secundum Johannem. c. 15

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit; scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis, mundus quod suum erat dilígeret. Quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis: Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur. Si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum: quia nésciunt eum qui misit me. Si non veníssem et locútus fuíssem eis, peccátum non habérent.[5] Nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Qui me odit, et patrem meum odit. Si ópera non fecíssem in eis quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent.[5] Nunc autem et vidérunt et odérunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleátur sermo qui in lege eórum scriptus est: Quia ódio habuérunt me gratis.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Ecce ego mitto vos sicut oves in

[1] ita 26. etc. prædicat.—92. 4L. 55P. 57.
[2] honorando.—92. 4L. 57.
[3] jam.—92. 97. 98. 4L. 15. 57. tam.—94.
[4] sit—94. 57.
[5] non habent 26. 57.

médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos; et ad præsides et reges ducémini propter me, in testimónium illis et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini. Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et [1]insúrgent[1] fílii in paréntes, et morte eos affícient. Et éritis ódio ómnibus homínibus propter nomen meum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

[2]Secundum Matthæum. c. 19

In illo témpore, Dixit Simon Petrus ad Jesum; Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis; Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius Hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Secundum Matthæum. c. 16

In illo tempore, Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi: et interrogábat discípulos suos dicens; Quem dicunt hómines esse Fílium Hóminis? At illi dixérunt; Alii Johánnem Baptístam, álii autem Helíam, álii vero Hieremíam, aut unum ex prophétis. Dixit illis Jesus; Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens autem Simon Petrus, dixit; Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei; Beátus es Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum. Et quodcúnque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis. Et quodcúnque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Secundum Lucam. c. 22

In illo tempore, Facta est conténtio inter discípulos Jesu, quis eórum viderétur esse major. Dixit autem eis; Reges géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic. Sed qui major est in vobis, fiat sicut júnior. Et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Nam quis major est, qui recúmbit an qui minístrat: Nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum, sicut qui minístrat. Vos autem estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo, et sedeátis super thronos, judicántes duódecim tribus Israel.[2]

Offertorium. Ps. 18 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui in omni progénie et generatióne.

Offertorium. Ps. 138 Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

[1] exsurgent.—97. 98.
[2] Hæc evangelia non habentur in 92. 94. 97. 98. 57. Grad.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

BEÁTI apóstoli tui N., Dómine, solénnia recenséntes, quæsumus, ut ejus auxílio tua benefícia capiámus, pro quo tibi hóstias laudis offérimus. Per Dóminum.

Præfatio. Et te, Dómine.

Communio. Matth. 19 Vos qui secúti estis me sedébitis super sedes judicántes duódecim tribus Israel, dicit Dóminus.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

TUÉRE nos, miséricors Deus, per hæc sancta quæ súmpsimus, et beáti apóstoli tui N. cujus natalítia celebrámus, semper guberna præsídiis. Per.

In natali unius Evangelistæ.

Ad Missam. Officium. Ps. 36

s justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Kýrie eléyson.

Oratio.

INTERVÉNIAT pro nobis, Dómine, quæsumus, sanctus tuus, N. evangelísta, qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum.

Lectio Ezechielis prophetæ. c. 1

SIMILITÚDO vultus quátuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor. Fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor. Et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Et fácies eórum et pennæ eórum exténtæ désuper. Duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum. Et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat. Ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, et non revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium et aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat visio discúrrens in médio animálium. Splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Esai. 41 Primus ad Sion dicet ecce assum: et Hierúsalem evangelístam dabo.

Sequentia.

LAUS devota mente
choro concinente
Christo sit cum gloria;
Qui evangelistas
veri dogmatistas
insignivit gratia;
Quique suo more
lucem ex fulgore
dat per orbis climata,
Tales dum elegit
per quos jam subegit
hæreses et schismata.
His bis bini fontes
valles atque montes
irrigantes flumine;
Orti paradiso
mundum indiviso
illustrantes famine.
Illos per bis bina
visio divina
signat animalia,
A quibusdam visa,

formis tunc divisa,
gestu sed æqualia.
Pennis decorata,
terris elevata,
cum rotis euntia,
Facie serena,
oculorum plena,
Verbi Dei nuntia.
In his possunt cerni
anuli quaterni
quibus area vehitur;
Quorum dogma sanum
per Samaritanum
circumquaque seritur.
Tali quasi plaustro
mulier ab austro
Salomonem adiit.
In hac [1]ceu[1] quadriga
Agnus est auriga
qui pro nobis obiit.
Istis in bis binis
caput est et finis
Christus complens omnia.
Horum documentis
horum instrumentis
florens stat Ecclesia.
Horum nos precatu
mortis a reatu
solvat Christi gratia;
Horum ut doctrina
virtus nos divina
ducat ad cœlestia.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 10

In illo témpore, Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis; Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte ergo portáre sácculum neque peram neque calciaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúnque domum intravéritis, primum dícite; Pax huic dómui. Et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operárius mercéde sua.

Credo.

In tempore Paschali, Evangelium, Ego sum vitis vera, ut supra fol. 572.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Allelúya.

et finiatur cum Allelúya quandocunque dicitur extra Septuagesimam.

Secreta.[2]

Donis cœléstibus da nobis, quæsumus, Dómine, líbera mente servíre; ut múnera quæ deférimus, interveniénte beáto N. evangelísta, et medicínam nobis operéntur et véniam. Per.[2]

Præfatio. Et te, Dómine.

[3]Non dicitur in hac Præfatione per beátos evangelístas sed per beátos apóstolos.[3]

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.[4]

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut id quod de sancto altári percépimus, précibus beáti evangelístæ tui N., salvíficet ánimas nostras, per quod semper tuti esse póssimus. Per.[4]

[1] ita 55P. etc. seu.—4L. 13. 26. 57.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. 57.
[3] ita 26. etc. non dicitur per beatos apostolos sed per beatos evangelistas.—55P.
[4] non habent 92. 94. 97. 98. 57.

In natali unius Martyris.

Ad Missam. Officium. Ps. 91

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Psalmus. Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, altíssime.

Aliud Officium. Ps. 36

JUSTUS non conturbábitur quia Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit, in ætérnum conservábitur.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Aliud Officium Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super[1] ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Aliud Officium. Ps. 20

IN virtúte tua, [2]Dómine,[2] lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Psalmus. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Aliud Officium. Ps. 63

LÆTÁBITUR justus in Dómino: et sperábit in eo et laudabúntur omnes recti corde.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Aliud Officium. Ps. 63

PROTEXÍSTI me, Deus, a convéntu malignántium, allelúya: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.[3]

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, et, intercessióne beáti N. mártyris tui, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Ecclus. c. 14 et 15

BEATUS vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. [4]Cibabit[4] illum pane vitæ et intellectus; et aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, et non flectetur: et continebit illum et non confundetur; et exaltabit illum apud proximos suos. Et nomine æterno hereditabit illum Dominus Deus noster.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli: ad Ephesios. c. 1

FRATRES, Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Je-

[1] omnia.—94.
[2] non habent 94. 26.
[3] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati N. martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per. Alia Oratio.— 92. 94. 97. 98.
[4] cibavit.—92. 98. 4L.

sum Christum in ipsum secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem[1] grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ suæ quæ superabundávit in nobis, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Lectio libri Sapientiæ. Ecclus. c. 31

Beátus vir qui invéntus est sine mácula et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in thesáuris pecúniæ. Quis est hic et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus invéntus est; et erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránsgredi et non est transgréssus; et fácere mala et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Ad Timotheum. 2 c. 4

Caríssime, Testíficor coram Deo et Jesu Christo, qui judicáturus est vivos et mórtuos, et per advéntum ipsíus et regnum ejus. Prædica verbum, insta opportúne importúne. Argue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac evangelístæ, ministérium tuum imple; sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus meæ resolutiónis instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. De réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed et his qui díligunt advéntum ejus.

Ad Timotheum. 2 c. 2

Caríssime, Nemo mílitans Deo ímplicat se negótiis sæculáribus: ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronábitur nisi legítime certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intélige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. Memor esto ígitur Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum evangélium meum in quo labóro usque ad víncula quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti.

[2]Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli: ad Galatas. c. 5 et 6

Fratres, Confido [3]in[3] vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium quicunque est ille. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscindantur, qui vos conturbant. Quicunque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum, ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt. Sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.[2]

[1] gloria.—15. 26. 57. V.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. 57.
[3] de.—4L. 15.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Gradale. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Gradale. Ps. 36 Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manum ejus.
℣. Tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Gradale. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.
℣. Ad annunciándum mane misericórdiam tuam: et veritátem tuam per noctem.

Allelúya. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.[1]

Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.[2]

Allelúya. ℣. Jacob. c. 1 Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit accípiet corónam vitæ.

Allelúya. ℣. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

Allelúya. ℣. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Alleluya. ℣. Ps. 36 Justus non conturbábitur quia Dóminus firmat manum ejus.

Sequentia.

ORGANICIS canamus modulis nunc N. solemnia;
Omnigenis Domino vocibus reddentes odas debitas,
Qui in suis sanctis mirabilis nimis, multiplici virtutum flore eosdem decorat ac mirifice adornat;
Nam et in ipsis, quasi in quibusdam musicis instrumentis, digito proprio fides agitat, fides virtutum [3]sonora.[3]
Has numerose percurrens singulas,
Permiscet singulis diatessaron mellifluam melodiam
Quam generat virtutum mater illa,
Quæ aliis decenter composita, reddit suavem symphoniam;
Qua sine cuncta
Fiunt dissona,
Necnon et frivola;
Qua cum omnia
Fiunt consona,
Necnon utilia;
Qua justi, bene
Morati, rite,
Petentes [4]excelsa[4] poli sidera,
Alacres decantant nova cantica in cithara Traicia.
Quorum agentes festa, consortia mereamur in cœlesti patria.

Tractus. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
℣. Quóniam prævenísti eum in benedictióne dulcédinis.
℣. Posuísti super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Secundum Johannem. c. 12

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen, amen, dico vobis, nisi

[1] Alleluya. ℣. Justus ut palma florebit: et sicut cedrus multiplicabitur.—Grad.
[2] Alleluya. ℣. Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum: qui ad gaudium transivit angelorum.—Grad.
[3] ita 26. etc. sonoras.—92. 98. 55P. 57.
[4] ex cœlo.—94. 97. 98.

granum fruménti cadens in [1]terram[1] mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cœlis.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 10

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gáudio, dicéntes; Dómine, etiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis; Vidébam Sáthanam sicut fulgur de cœlo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes et supra omnem virtútem inimíci: et nihil vobis nocébit. Verúntamen in hoc nolíte gaudére, quia spíritus vobis subjiciúntur: gaudéte autem quia nómina vestra scripta sunt in cœlis.

Secundum Matthæum. c. 16

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: [2]qui autem[2] perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini si univérsum mundum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim Hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum [3]ópera[3] ejus. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stántibus qui non gustábunt mortem donec vídeant Fílium Hóminis veniéntem in regno suo.

Secundum Lucam. c. 14

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem et fílios et fratres et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, [4]nonne[4] prius sedens cómputat sumptus qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum. Ne posteáquam posúerit fundaméntum et non pótuit perfícere, omnes qui víderint incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, nonne prius sedens cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei qui cum vigínti míllibus venit ad so? Alióquin adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúnciat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Nihil opertum quod non revelétur: et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt cor-

[1] terra.—92. 98. 4L. 57.
[2] et qui.—92. 97. 98. 57.
[3] opus.—97. 98.
[4] non.—92. 97. 98. 57. V.

pus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem [1]et[1] capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.

In tempore Paschali, Evangelium Ego sum vitis vera ut supra fol. 572.

Offertorium. Ps. 20 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit vehemènter, desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, allelúya.

Et finiatur cum Allelúya quandocunque dicitur, nisi infra Septuagesimam.

[2]Offertorium. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus in Líbano est multiplicábitur.

In tempore Paschali, Allelúya.[2]

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

PRÆSENTIA munera, Domine, quæsumus, serena pietate intuere; ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione; quatenus illam validius in nostris cordibus dilectionem infundant per quam sanctus N. martyr tuus omnia corporis tormenta devicit. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Communio. Matth. 26 Qui vult venire post me: ábnegat semetípsum: et tollat crucem suam et sequátur me.

Communio. Johan. 12 Qui mihi minístrat me sequátur, et ubi ego sum, illic et miníster meus erit.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Communio. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Communio. Johan. 25 Ego sum vitis vera et vos pálmites: Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, Allelúya, allelúya.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

QUOS refecisti, Domine, cœlesti mysterio, ab omnibus, quæsumus, propitiatus absolve [3]delictis; et[3] intercedente beato N. martyre tuo, divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per Dominum.

In natali unius martyris et pontificis.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

[1] non habent 26. 57. V.
[2] non habet Graduale.
[3] peccatis et—92. delictis ut—4L. 15. 57.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei lætitiam pro commemoratione beati martyris tui N. atque pontificis fecisti; adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per.

Lectio epistolæ beati Pauli apostoli; ad Hebræos. c. 5

FRATRES, Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in his quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit his qui ígnorant et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet quemádmodum et pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offére pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tanquam Aaron. Quemádmodum scriptum est; Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Lectio epistolæ beati Pauli apostoli: ad Hebræos. c. 13

FRATRES, Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non [1]in[1] escis quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum[2] confiténtium nómini ejus. Beneficiéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
Allelúya. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
Sequentia. Organicis, ut supra fol. 581.
Tractus. Desidérium ánimæ, ut supra fol. 581.

Secundum Matthæum. c. 9 et 10

IN illo témpore, Circuíbat Jesus civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dixit discípulis suis; Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Euntes autem prædicáte, dicéntes; quia appropinquábit regnum cœlórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite. Gratis accepístis, gratis date. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

Hoc sequens Evangelium dicitur in festo cujuslibet pontificis exulantis, sive martyris sive confessoris:
Secundum Lucam. c. 19

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam

[1] ita 4L. 13. etc. non habent 92. 15. 26. 57. V.
[2] nostrorum.—97. 98.

nóbilis ábiit in regionem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit illis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant illum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est ut redíret accépto regno, et jussit vocári servos quibus déderat pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge [1]serve bone et fidélis,[1] quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua quam hábui repósitam in sudário. Tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Et dixit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quia ego homo austérus sum, tollens quod non pósui et metens quod non seminávi. Et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, [2]ut[2] et ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo. Verúntamen inimícos meos, illos qui noluérunt me regnáre super se, addúcite huc, et interfícite ante me. Et his dictis, præcedébat ascéndens Hierosólymam.

In tempore Paschali, Evangelium Ego sum vitis vera ut supra fol. 572.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te et tribuísti ei, allelúya.

In Septuagesima non addatur Allelúya.

Secreta.

INTENDE propitius, quæsumus, Domine, oblata tibi hæc munera; et, deprecatione beati N. martyris tui atque pontificis, in cujus ea commemoratione deferimus, nos ipsos eademque sanctifica. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, in sancti martyris tui atque pontificis N. solemnitate, cœlestia sacramenta; cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

In natali plurimorum martyrum.

Ad Missam: Officium.[3] Ps. 78

NTRET in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum, redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum, posuérunt Hierúsalem in pomórum custódiam.

[1] serve bone.—92. 97. 98. bone serve.—V.
[2] non habent 92. 97. 98.
[3] Clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. In tempore Paschali, alleluya. Psalmus. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Aliud Officium.—Grad.

Aliud Officium. Ps. 33

TIMÉTE Dóminum, omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum, dívites eguérunt et esuriérunt, inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Psalmus. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

Aliud Officium. Ps. 67

JUSTI epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Psalmus. Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

Aliud Officium. Ecclus. 44

SAPIÉNTIAM sanctórum narrant pópuli, et laudem eórum núnciat ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Aliud Officium. Ps. 36

SALUS autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Aliud Officium.[1] Ps. 144

SANCTI tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúya.

Psalmus. Exaltábo te, Deus meus, rex: et benedícam nómini tuo in sæculum: et in sæculum sæculi.

Plurimorum martyrum non pontificum.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis sanctorum martyrum tuorum N. et N. ita digne merita venerari; quatenus et ab instantibus liberemur periculis et digni efficiamur gaudiis sempiternis. Per Dominum.

Plurimorum martyrum et pontificum.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in sanctorum martyrum tuorum atque pontificum N. et N. cordibus flammam tuæ dilectionis [2]accendisti;[2] da mentibus nostris eandem fidei caritatisque virtutem; ut quorum gaudemus triumphis proficiamus exemplis. Per.

Ad Hebræos. c. 11

FRATRES, Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt ácies gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt muliéres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes et in móntibus, et in spelúncis, et in cavérnis terra. Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

[1] Judicant sancti gentes, et dominantur populis, regnabit Dominus Deus illorum in perpetuum. Psalmus. Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. Aliud Officium.—Grad.

[2] ostendisti.—94.

Lectio libri Sapientiæ. c. 3

JUSTÓRUM ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et quod a nobis est iter extermínii: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tanquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi [1]holocáusti hóstiam[1] accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis; et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Lectio libri Sapientiæ. c. 5

JUSTI autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris et diadéma spéciei de manu Dómini. Quóniam déxtera sua teget eos, et [2]in[2] bráchio sancto suo defendet illos. Accípiet armatúram [3]zeli[3] illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile æquitátem; ibunt dirécte [4]promissiónes,[4] et ad certum locum dedúcet illos Dóminus Deus noster.

Ad Hebræos. c. 10

FRATRES, Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti magnum certámen sustinuístis passiónum; et in áltero quidem oppróbriis et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rápinam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est véniet et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Ad Corinthios. 1 c. 4

FRATRES, Spectáculum facti sumus huic mundo et ángelis et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo; sed ut fílios meos caríssimos móneo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Lectio libri Sapientiæ. Proverb. 15

LINGUA sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Domus justi plurima fortitudo: et in fructibus impii conturbatio. La-

[1] holocausta hostiæ.—92. 97. 98. holocausta hostiam.—57.
[2] non habent 92. 97. 98. 15. 57. V.
[3] zelus.—97. 98. V.
[4] ita 26. etc. emissiones.—55P. V.

bia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia. Qui sequitur justitiam, [1]diligitur[1] a Domino.

Lectio libri Sapientiæ. c. 10

REDDET Deus mercédem labórum sanctórum suórum; et dedúcet eos in via mirábili. Et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte. Tránstulit illos per mare rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómino, nomen sanctum tuum; et victrícem manum tuam laudavérunt páriter Dómine Deus noster.

Lectio libri Sapientiæ. Ecclus. 44

HI sunt viri misericórdiæ, quorum justítiæ obliviónem non accepérunt. Cum sémine eórum pérmanent bona; heréditas sancta nepótes eórum. Et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum propter eos usque in ætérnum manent. Generátio eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora eórum in pace sepúlta sunt, et nomina eórum vivent in sæcula. Sapiéntiam eórum narrábunt omnes pópuli, et laudem eórum pronúnciet omnis ecclésia sanctórum.

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis [2]suis,[2] mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.
℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit [3]inimícum.[3]

Gradale. Ps. 33 Clamavérunt justi et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.
℣. Juxta est Dóminus his qui [4]tribuláto[4] sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Gradale. Ps. 33 Timéte Dóminum omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum.
℣. Inquiréntes autem Dóminum: non defícient omni bono.

Gradale. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ.
℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.
℣. Cantáte Dómino cánticum novum; laus ejus in ecclésia sanctórum.

Gradale. Ps. 78 Vindica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est.
℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Gradale. Ps. 132 Ecce quam bonum et quam jocúndum: habitáre fratres in unum.
℣. Sicut unguéntum in cápite: quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Alius ℣. Mandávit Dóminus benedictiónem: et vitam usque in sæculum.

Gradale. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est, de láqueo venántium.
℣. Láqueus contrítus est; et nos liberáti sumus; adjutórium nostrum in nómine Dómini: qui fecit cœlum et terram.

Allelúya. ℣. Ps. 144 Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent.

[1] diligetur—15.
[2] non habent 92. 97. 98. 4L. 15. Grad.
[3] inimicos.—15.
[4] recto.—26. 57.

Allelúya. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium; et sicut odor balsami erunt ante te.

Allelúya. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte: vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Alleluya. ℣. Ps. 117 Vox exsultatiónis et salútis: in tabernáculis justórum.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Allelúya. ℣. Sap. 10 Reddet Deus mercédem labórum sanctórum suórum: et dedúcet illos in via mirábili.

Allelúya. ℣. Ps. 67 Mirábilis Dóminus noster in sanctis suis.

Allelúya. ℣. Te martyrum candidatus laudat exercitus, Domine.

Tractus. Ps. 125 Qui séminant in lácrimis; in gáudio metent.
℣. Eúntes ibant et flebant: mitténtes sémina sua.
℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne: portántes manípulos suos.

Sequentia.

ECCE pulchra canorum [1]resonet[1] voce alleluya,
Intimans requiem civibus inclytam,
Felicia nimium angelorum rutilant agmina;
Sancte, sancte, sancte, Christo ovanter proclamantia;
Sublimi in cathedra apostolorum sede fulgida lampada tribus et linguas judicantia;
Omnia ut stercora reputarunt tumida: propter hæc emicant velut stella firmamenti clara,
Stolis candidis: martyrum adornantur colla.
Hi sunt milites qui mundi præliarunt bella;
Coronis albis coronantur sancti,
Qui [2]confitentes[2] crediderunt juste,
Vel fide certantes
Respuerunt vana;
Modo habent cœlestia regna,
In [3]qua[3] triumphant dicentes optime,
Sive canticant psallentes carmina,
Arte laudiflua,
Voce dulcisona,
Regi Christo submittentes colla.
Multum recitaris laude spirituum,
Atque jubilaris in chore virginum;
Alleluya,
Dulcimoda
Te decantant pudicum agmina;
Laus tibi sit semper, Christe, per omnia,
Qui opitularis cantantes talia,
Voce pulchra
Alleluya;
Et nos, [4]Christi, proclamemus[4] una,
Da nobis æterna regna florida,
Ubi cantemus omnes Alleluya.

Sequentia.

MIRABILIS Deus in sanctis, mirabilia dans magnifica,
Qui fide præclara vicerunt mundi gravissima pericula;
Judicum minas, verbera, et blanditias contemnentes mente robusta, vero transfuderunt regi animas.
Ergo triumphant, laurea compti capita, secuti recte vestigia
Agni singularis Christi sacrata;

[1] ita 26. etc. resonat—55P. 57.
[2] confidentes—26. 57.
[3] quo.—26. 57.
[4] ita 26. etc. Christe.—94. 97. 55P. Grad. proclamamus.—55P.

Cui assidue melliflua
dant cantica, ejus produlcissima pleni gratia;
Quorum celebrantes solemnia:
consortio jungi quo mereamur Christus annuat,
Qui nostra est gloria.

Secundum Lucam. c. 6

In illo témpore, Elevátis Jesus óculis in discípulos suos, dicébat; Beati páuperes: quia vestrum est regnum Dei.[1] Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos et exprobráverint et ejécerint nomen vestrum tanquam malum propter Fílium Hóminis. Gaudéte in illa die et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Secundum Matthæum. c. 5

In illo témpore, Videns Jesus turbas, ascéndit in montem. Et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et apériens os suum, docébat eos dicens; Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos mentiéntes propter me. Gaudéte et exsultáte: quóniam merces vestra copiósa est in cœlis.

[1] cœlorum.—98.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israel, donec véniat Fílius Hóminis. Non est discípulus super magístrum, neque servus super dóminum suum. Súfficit discípulo ut sit sicut magíster ejus, et servo sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos.

Secundum Lucam. c. 21

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non potérunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus et frátribus et cognátis et amícis, et morte affícient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus homínibus propter nomen meum. Et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Secundum Lucam. c. 6

In illo témpore, Descéndens Jesus de monte stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa et Hierúsalem et marítima et Tyri et Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulos suos, dicébat, Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébi-

tis. Beáti éritis cum vos óderint hómines et cum separáverint vos et exprobráverint et ejécerint nomen vestrum tanquam malum propter Fílium Hóminis. Gaudéte in illa die et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

Secundum Lucam. c. 21

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri. Opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis; Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et terræmótus magni erunt per loca et pestiléntiæ et fames, terrorésque de cœlo et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, tradéntes ad reges et præsides propter nomen meum. Contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári, quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non potérunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a parentibus et frátribus et cognátis et amícis, et morte affícient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus homínibus propter nomen meum. Et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 12

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil [1]enim[1] opértum est quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur. Et quod in aure locúti estis in cubílibus, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis. Timéte eum qui postquam occíderit habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúnque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius Hóminis confitébitur illum coram ángelis Dei.

Secundum Matthæum. c. 24

In illo témpore, Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes; Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adféntus tui et consummatiónis sæculi? Et respóndens Jesus, dixit eis, Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prælia et opiniónes præliórum: vidéte ne turbémini; opórtet enim hæc fíeri; sed nondum est finis. Consúrget enim gens contra gentem et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ et fames et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent et sedúcent multos. Et quóniam [2]abundábit[2] iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

[1] autem.—97. 98. 57. V.
[2] abundavit—97. 98. V.

Secundum Lucam. c. 11

In illo témpore, Dicébat Jesus turbis Judæórum et princípibus sacerdótum; Væ vobis qui ædificátis monuménta Prophetárum; patres autem vestri, occidérunt illos. Profécto testificámini, quod consentítis opéribus patrum vestrórum: quóniam quidem ipsi eos occidérunt, vos autem ædificátis eórum sepúlchra. Proptérea et sapiéntia Dei dixit: Mittam ad illos prophétas et apóstolos, et ex illis occident et persequéntur; ut inquirátur sanguis ómnium prophetárum qui effúsus est a constitutióne mundi a generatióne ista; a sánguine Abel[1] usque ad sánguinem Zacharíæ qui périit inter altáre et ædem. Ita dico vobis, requirétur ab hac generatióne. Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

Secundum Marcum. c. 13

In illo tempore, Egrediente Jesu de templo, ait illi unus ex discipulis suis; Magister, aspice quales lapides et quales structuræ. Et respondens Jesus, ait illi; Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus et Jacobus et Johannes et Andreas; Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando haac omnia incipient consummari? Et respondens Jesus, cœpit dicere illis;[2] Videte ne quis vos seducat. [3]Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: et multos seducent. Cum autem audieritis bella et opiniones bellorum, ne timueritis. Oportet enim hæc fieri: sed nondum finis. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca et fames. Initium dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquamini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium. Et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem: hic salvus erit.[3]

Secundum Marcum. c. 13

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: et multos seducent. Cum autem audieritis bella et opiniones bellorum, ne timueritis. Oportet enim hæc fieri: sed nondum finis. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca et fames. Initium dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, noli-

[1] justi—97. 98.
[2] Divisio secundum Marcum.—13.
[3] non habet 98.

te præcogitare, quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquamini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium. Et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Nolíte arbitrári quia vénerim míttere pacem in terram: non veni pacem míttere sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et imimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus; et qui non accípit crucem suam et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam; et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui recípit vos, me recípit, et qui me recípit, recípit eum qui me misit. Qui recípit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui recípit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúnque potum déderit uni ex mínimis istis, cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

[1]Evangelium. Ecce ego mitto vos, ut supra in Communi unius apostoli fol. 575.[1]

Secundum Matthæum. c. 24

In illo tempore, Egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationem templi. Ipse autem respondent dixit illis; Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli ejus secreto, dicentes; Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi? Et respondens Jesus, dixit eis; Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prélia et opiniónes præliórum: vidéte ne turbémini; opórtet enim hæc fíeri; sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ et fames et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent et sedúcent multos. Et quóniam [2]abundábit[2] iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

In tempore Paschali, Evangelium. Ego sum vitis, vos palmites, ut supra fol. 572.

Offertorium. Ps. 67 Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israel; ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúya.
et finiatur cum Allelúya quandocunque dicitur.

Offertorium. Ps. 5 Gloriabúntur in te, omnes qui díligunt nomen tuum, quóniam tu, [3]Dómine,[3] benedíces justo: Dó-

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] abundavit—97. 98. V.
[3] non habent 94. 26. V.

mine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Offertorium. Ps. 31 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini omnes recti corde.
In tempore Paschali, Allelúya.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Offertorium. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est et nos liberáti sumus.

Offertorium. Ps. 88 Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúya, allelúya.

[1]Offertorium. Ps. 89 Repléti sumus mane misericórdia tua: et exsultávimus et delectáti sumus, allelúya.[1]
Plurimorum martyrum.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, munera populi tui, pro martyrum tuorum festivitate sanctorum; et sincero nos corde fac eorum natalitiis interesse. Per Dominum.

Alia.[2]

SANCTORUM martyrum tuorum atque pontificum N. et N. gloriosa merita venerantes, hæc, Domino, munera tuæ majestati offerimus; obsecrantes, ut illis reverentiam exhibendo, nobis veniam impetremus. Per.

Communio. Ps. 32 Gaudéte justi in Dómino, allelúya: rectos decet collaudátio, allelúya.

et dicitur cum Allelúya quandocunque dicitur.

Communio. Luc. 5 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Communio. Ps. 78 Posuérunt mortália servórum tuórum, [3]Dómine,[3] escas volatílibus cœli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios mortipunitórum.

Communio. Sap. 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ; visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Communio. Johan. 25 Ego vos elégi de mundo ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Communio. Sap. 3 Et si coram homínibus torménta passi sunt: Deus tentávit eos, tanquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit illos.

Communio. Ps. 123 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium.

[4]Communio. Johan. 25 Ego sum vitis vera et vos pálmites, qui manet in me et ego in eo: hic fert fructum multum, allelúya, allelúya.[4]

[5]Communio. Luc. 12 Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Communio. Matth. 10 Quod dico vobis

[1] non habent 92. 94. 4L. 57. Grad.
[2] Plurimorum martyrum pontificum.—26.
[3] non habent 92. 94. 97. V.
[4] non habet Grad.
[5] non habent 92. 94. 4L. 15. 57. Grad.

in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis: prædicáte super tecta.

Communio. Matth. 25 Amen dico vobis, quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei: possidéte præparátum vobis regnum ab inítio sæculi.[5]

Plurimorum martyrum.

Postcommunio.

SACRAMENTORUM tuorum, Domine, participatione lætantes, suppliciter exoramus; ut quorum merita celebrare condonas, eorum nos facias imitari constantiam. Per Dominum.

Alia.[1]

DEUS, qui nos sacramenti tui veneranda perceptione purificas; da nobia, quæsumus, patrocinia tuorum continuata sanctorum, quibus capere valeamus salutaris mysterii portionem. Per Dominum.

[2]Plurimorum martyrum non pontificum.

DEUS, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum N. et N. natalitia colere; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Secreta.

DUNERA tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ pro tuorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus sanctis martyribus tuis N. et N., ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per Dominum.[2]

[1] Plurimorum martyrum pontificum.—26.
[2] non habent 92. 94. 4L. 15. 57. Grad.

In natali unius confessoris.

Officium. Eccli. 45

STÁTUIT ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Aliud Officium. Ps. 131

SACERDÓTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui.

In tempore Paschali. Allelúya.

Psalmus. Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos beati N. confessoris tui atque pontificis hodierna festivitate lætificas; tuam supplices exoramus clementiam, ut cujus solemnia devotis officiis veneramur, ejus piis suffragiis, æternæ vitæ remedia consequamur. Per Dominum.

Alia Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati N. confessoris tui atque pontificis veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 44 et 45

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus. Et in témpore iracúndiæ, factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Cognóvit eum in benedictiónibus suis; conservávit illi misericórdiam suam; et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum; et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et dedit illi sacerdótium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℣Sequens Epistola legatur in utroque festo beati Edmundi archiepiscopi et confessoris.[1] Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 50

ECCE sacerdos magnus qui in vita sua curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Qui suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. Qui prævaluit amplificare civitatem; qui adeptus est gloriam in conversione gentis. Quasi stella matutina in medio nebulæ et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus vernis. Quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo illum stolam gloriæ; et vestiri eum in consummatione virtutis. In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, et ipse stans juxta aram porrexit manum suam in libatione, et libavit odorem divinum excelso principi. Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei qui fecit nobiscum secundum suam misericordiam. Qut det nobis jocunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 10

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illi áffuit, et honéstum fecit illum. Custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum. Et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum; donec afférret illi sceptrum regni et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant, et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum; et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 45

DILÉCTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit eum in conspéctu regum, et unxit illum coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum

[1] non habent 92. 94. 97. 98.

fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim vocem ipsíus, et indúxit illum in nube; et dedit illi cor ad præcepta et legem vitæ et disciplínæ.

Gradale. Eccli. 44 Ecce sacérdos magnus: qui in diebus suis plácuit Deo.
℣. Non est invéntus símilis illi: qui conserváret legem Excélsi.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.

Gradale. Ps. 88 Invéni David servum meum, óleo sancto[1] unxi eum, manus enim mea auxiliábitur ei: et bráchium meum confortábit eum.
℣. Nihil proficiet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit eum.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit a te et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Allelúya. ℣. Eccli. 45 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Dispósui testaméntum eléctis meis: jurávi David servo meo.

Allelúya. ℣. Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum.

[2]Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.[2]

Tractus. Ps. 111 Beátus vir qui timet Dominum: in mandátis ejus [3]cupit[3] nimis.
℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.
℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia.

ADEST nobis dies alma,
et magno gaudio plena,
In qua sancta Deo grata
congaudet Ecclesia;
Hodie cœlestis lætatur turma
quæ gloriam cantat in excelsis
voce dulcisona cum symphonia.
Hodie polorum sancta agmina
collaudant regem Deum nostrum
natum ex virgine sancta Maria.
Ave, inclyte præsul[4] N.,
flos pulcherrime;
Tu vestigia Christi secutus es
fide dovota;
Æterni regis adeptus es regna;
Jam gratularis in domo supera,
possidens sedes almas;
Quem postulamus et poscimus una,
Adjuvent tua sancta suffragia fragilem vitam nostram,
O beate, O sancte N.,
Laus tibi in gloria;
O beate, O sancte N.,
Pro nobis supplica,

[1] meo.—13. 26. V.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. Grad. Versus ad *Alleluya* in Graduali in hoc ordine disponuntur; *Justus, Inveni, Amavit, Disposui, Elegit.*
[3] ita 97. etc. volet—4PV. V.
[4] Christi.—98. vel confessor.—4L 26. 57. sed vide *Defensorium Directorii etc.* "Item in festis sanctorum Edwardi, Benedicti, Leonardi, Egidii, et hujusmodi; in Sequentia dicitur sic; 'Ave, inclite præsul Edwarde.' Nunquam enim dicitur 'Ave, inclyte confessor' in Ecclesia Sarum."— Maskell 2. 347.

Ut una mereamur sancta cœlorum templa
Possidere læti; cernentes alma
gaudia quæ sunt plena.
Sit Deo laus honorque et
jubilatio casta,
Qui regnat per omnia
sæculorum sæcula;
Amen dicant omnia.

Sequentia.

ALMA [1]cohors[1] una
laudum sonora
nunc promo præconia;
Quibus [2]en insignis[2] rutilat
N. ut luna
solque[3] sidera;
Meritorum est mirifica
radians idem sacra
prærogativa;
Hunc nam sophiæ mystica
ornaverunt mire dogmata
qua fulsit nitida
luculenter per ampla
orbis climata:
Verbi necnon fructifera
sevit divini semina:
mentium per arva
pellendo quoque cuncta
noctis [4]nubila.[4]
Hinc famina fundens diva:
utpote cœlestia
ferens in se numina,
Sublimavit catholica
vehementer culmina
sancta per eloquia;
Is nempe celsæ
compos gloriæ
nunc exsultat, inter lætabunda
cœlicolarum ovans
contubernia;
Sublimis extat
sede supera,
fruens vita semper inexhausta
sat per saluberrima
Christi pascua.
O dignum cuncta
laude præcelsa,
Præsulem tanta
nactum gaudia.
Virtutum propter merita:
quibus viguit ardens
velut lampada,
Nos voce clara
hunc et jocunda
Dantes, oremus,
preces et vota;
Qui nobis ferat commoda
impetret et æterna
poscens præmia.
Quod petit præsens caterva,
præsulum gemma,
Devota rependens munia
mente sincera;
Favendo [5]sibi[5] precum instantia:
scilicet ut polorum intret [6]limina,[6]
Quo jam intra palatia stantes [7]suprema
læti gratulemur adepti polorum
regna.
Qui tua, præsul, sistentes [7]hac aula
jubilamus ingenti cum lætitia,
Recinentes dulcia
nunc celsaque alleluya.

[1] chorus.—13. 26. 57.
[2] ita 97. etc. enim signis.—4PV. 15.
[3] ita 26. 4PV. etc. et.—97. 55P. 57.
[4] nebula.—92. 98. 4L. 15. 57. Grad.
[5] tibi.—94. 97. 98.
[6] lumina.—26. 57. Grad.
[7] Per typographi incuriam hæc in Graduali impresso omissa sunt; nos itaque versus inter se metro concordantes notare non potuimus.

Secundum Matthæum. c. 25

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Homo quidam péregre proficíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum; unicúique secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. Intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce alia duo [1]superlucrátus[1] sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis; quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. Intra in gáudium dómini tui.

Secundum Marcum. c. 13

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Vidéte, vigiláte, et oráte. Nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit ut vígilet. Vigiláte ergo. Nescítis enim quando dóminus domus véniat; sero an média nocte an gallicantu an mane. Ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigiláte.

Secundum Matthæum. c. 24

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret perfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia nescítis qua hora Fílius Hóminis ventúrus est. Quis putas est fidélis servus et prudens quem constítuit dóminus supra famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem cum vénerit dóminus ejus invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Evangelium Homo quidam, ut supra fol. 584.

In tempore Paschali Evangelium Ego sum vitis vera, ut supra fol. 572.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

In tempore Paschali, Allelúya.

Offertorium. Ps. 88 Invéni David servum meum: et in óleo sancto[2] unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei et bráchium meum confortábit eum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris; et, intercedente pro nobis [3]beato[3] N. confessore tuo atque pontifice, his sacramentis cœlestibus

[1] lucratus.—97. 98. V.
[2] meo.—15. V.
[3] sancto.—92. 94. 97. 98.

servientes ab omni culpa liberos esse concede; ut purificante nos gratia tua, eisdem quibus famulamur mysteriis emundemur. Per.

Alia Secreta.

RESPICE, quæsumus, Domine, munera populi tui in [1]beati[1] N. confessoris tui atque pontificis honore oblata, et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Communio. Matth. 25 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve fidélis: quia in pauca fuísti fidélis: supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

In tempore Paschali, Allelúya.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine Deus noster, ut divinis mysteriis expiati, intercedente beato N. confessore tuo atque pontifice, ad superni plenitudinem sacramenti cujus libavimus sancta tendamus. Per.

Alia Postcommunio.

QUOS tuis, Domine, reficis sacramentis, sancti N. confessoris tui atque pontificis attolle benignus suffragiis, ut nostræ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et [2]mentibus.[2] Per Dominum.

In natali unius confessoris et doctoris.

Officium. Dan. 3

SACERDÓTES Dei benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde laudáte Deum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Gloria.

Oratio.

EXAUDI, Domine, preces nostras quas in sancti N. confessoris tui atque [3]doctoris[3] solemnitate deferimus; et qui tibi digne meruit famulari, ejus precibus ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. c. 47 et 24

DEDIT Dominus confessionem sancto suo, et excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum. Et dedit illi contra inimicos potentiam, et stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit [4]modulos.[4] Et dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent mano sanctitatem Dei. Christus purgavit peccata ipsius; et exaltavit in æternum cornu ejus. Sapientia laudabit

[1] sancti.—92. 94. 97. 98.
[2] ita 97. etc. moribus.—92. 94. 4PV. 4L. 15.
[3] pontificis.—94. 97. 98.
[4] modos.—92. 97. 98. Et sic *Defensorium Directorii ad usum Sarum*, apud Maskell 2. 347; "Item in Epistola et ad horas unius Doctoris dicitur sic; 'Et in sono eorum dulces fecit modos,' non 'modulos,' secundum Sarum."

[1]animam[1] suam, et in [2]Domino[2] honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur. Et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis ipsius gloriabitur. In medio populi exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur. In multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 7

OPTÁVI, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me Spíritus sapiéntiæ. Et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse dixi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum; quóniam omne aurum in comparatióne illíus arena est exígua, et tanquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam; et propósui pro luce habére illam, quóniam inextinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus; et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam [3]horum ómnium[3] mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo.

Gradale. Ps. 109 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eam: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
℣. Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis.
Allelúya. ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stola glóriæ índuit eum.

Sequentia de Communi unius confessoris et pontificis. Quære supra fol. 597.

Infra Septuagesimam, Tractus Beátus vir, ut supra fol. 597.

Secundum Matthæum. c. 5

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas. Non veni sólvere sed adimplére. Amen dico vobis, donec tránseat cœlum et terra, iota unum aut apex unus non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo solvent unum de mandátis istis mínimis et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum. Qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

QUNERA, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica: et, intercedente beato N. confessore tuo atque doctore, per eadem nos placatus intende. Per.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

[1] ita 26. etc. misericordiam.—55P. 57.
[2] Deo.—97. 98. V.
[3] ita 26. etc. bonorum omnium.—55P. 57. omnium bonorum.—97.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato N. confessore tuo atque doctore, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

In natali unius confessoris et abbatis.

Officium. Ps. 36

s justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

DEUS, qui beatum N. confessorem tuum atque abbatem sanctitatis gratia decorasti; ipsius meritis fac nos bonis operibus abundare, ut a te summo bono omne quod expedit mereamur impetrare. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 39

JUSTUS cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim magnus Dóminus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum; et ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino. Et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Et ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

[1] ut.—92. 97. 98.
[2] intercedentibus.—94. 97. 98.

Gradale. Ps. 36

Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Sequentia Adest nobis, ut supra fol. 597, vel Tractus Desiderium animæ ejus, ut supra fol. 581.

Secundum Lucam. c. 11

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Nemo accéndit lucérnam et in abscóndito ponit neque sub módio: sed super candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit. Si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta.

SACRIFICIUM, Domine, quod pro sancti N. confessoris tui atque abbatis solemnitate deferimus, tibi, quæsumus, fiat acceptum; [1]et[1] ejus [2]intervenientibus[2] meritis, nobis augeat, te donante, suffragium. Per Dominum.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.[1]

LIBANTES,[1] Domine, sacrosancta mysteria, prætende nobis, quæsumus, misericordiam tuam; ut quæ votis expetimus, intercedente beato N. confessore tuo atque abbate, conversatione tibi placita consequamur. Per Dominum.

[2]De quocunque confessore.

Officium. Ps. 36

s justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalmus. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Oratio.

ADESTO, Domine, precibus nostris quas in sancti N. confessoris tui solemnitate deferimus; ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit meritis et precibus adjuvemur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Sap. 10

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illi áffuit, et honéstum fecit illum. Custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum. Et certámen forte dedit illi ut vínceret et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum; donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant. Et mendáces osténdit qui maculavérunt illum; et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Gradale. Ps. 36 Os justi meditábitur sapiéntiam: et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 88 Pósui adjutórium super poténtem: et exaltári eléctum de plebe mea.

Sequentia Adest nobis ut supra fol. 597, vel Tractus Desiderium ut supra fol. 581.

Secundum Marcum. c. 13

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Vidéte, vigiláte, et oráte. Nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit ut vígilet. Vigiláte ergo. Nescítis enim quando dóminus domus véniat; sero an média nocte an gallicantu an mane. Ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico, vigiláte.

Offertorium. Ps. 20 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntate labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SUSCIPE, Domine, sacrificium placationis et laudis: quod nos, interveniente beato N. confessore tuo, perducat ad veniam, et in perpetuam gratiarum constituat actionem. Per.

Communio. Matth. 24 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super

[1] ita 26. etc. Libantibus.—55P. 57.
[2] nihil habet Grad. nihil nisi Orationes habent 92. 94. 97. 98. 57.

famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut cujus festivitate votiva sunt sacramenta, ejus salutaria nobis intercessione reddantur. Per.[2]

In natali plurimorum confessorum.

Officium. Ps. 131

SACERDÓTES ejus [1]índuant salutáre:[1] et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Meménto, Dómine, David; et omnis mansuetúdinis ejus.

Oratio.

BEATORUM confessorum tuorum N. et N. nos, quæsumus, Domine, tuere præsidiis; ut quorum festivitatem annua devotione recolimus, eorum intercessione ab omnibus adversitatibus eruamur. Per Dominum.

[2]Alia Oratio.

DEUS, qui nos sanctorum confessorum tuorum N. et N. confessionibus gloriosis circumdas et protegis; da nobis et eorum imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.[2]

Ad Hebræos. c. 7

FRATRES, Plures facti sunt sacerdótes secundum legem, idcírco quod morte prohiberéntur permanére. Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest, [3]accédens[3] per semetípsum ad Deum semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus. Qui non habet quotídie necessitáte quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópulo. Hoc enim fecit semel se offeréndo Dóminus noster Jesus Christus.

Gradale. Ps. 131 Sacerdótes ejus [4]índuant salutáre:[4] et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Alleluya. ℣. Sap. 3 Fulgébunt justi: et tanquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum.

Nulla dicitur Sequentia, licet novem lectiones fiant.

Secundum Lucam. c. 12

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. Ut cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus invénerit vigilántes. Amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora

[1] ita 26. etc. induam.—55P. salutari.—97. 55P. induantur justitiam.—V.
[2] ita 97. etc. non habent 4PV. 4L. 57.
[3] accedentes.—V.
[4] ita 26. etc. induam salutari.—55P. 57. induantur justitiam.—V.

fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia qua hora non putátis, Fílius Hóminis véniet.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo témpore, Misit Jesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis et dicens; In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes; quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Gratis accepistis, gratis date.

Offertorium. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exsultatiónes Dei in fáucibus eórum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Secreta.

Adesto, Domine, precibus populi tui, adesto muneribus; ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione sanctorum. Per Dominum.

Communio. Johan. 15 Ego vos elégi de mundo: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Fideles tui, Deus, cœlestis doni remediis recreentur; et sanctorum quoque confessorum tuorum precibus, ab omnibus, quæsumus, emundentur delictis. Per.

In natali unius virginis et martyris.

Officium. Ps. 44

Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Aliud Officium. Ps. 118

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: [1]et meditábar[1] in mandátis tuis quæ diléxi nimis.
Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Aliud Officium. Ps. 118

Me exspectavérunt peccatóres ut pérderent me; testimónia tua, Dómine, intelléxi; omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis.
Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster; ut sicut de beatæ N. virginis et martyris tuæ festivitate gaudemus: ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 51

Dómine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam: et pro morte defluénti deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est

[1] non habent 94. 98. 13.

orátio mea. Liberásti [1]me a[1] perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam nómini tuo, Dómine Deus meus.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 51

CONFITÉBOR tibi, Dómine rex; et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne. A láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium. Et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor, et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui. A rugiéntibus præparátis ad escam; de mánibus quæréntium ánimam meam. Et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me;[2] a pressúra flammæ qua circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta. De altitúdine ventris inferi, et a lingua coinquináta, a verbo mendácii; a rege iníquo et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me undique, et non erat qui adjuváret. Respiciens eram ad adjutórium [3]hominum;[3] et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et cooperatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt; quóniam eruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus meus.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 24

SAPIÉNTIA laudábit ánimam suam, et in Dómino honorábitur, et in médio pópuli sui gloriábitur. Et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum; et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur. In médio pópuli exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur. In multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur, dicens; Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ego quasi libánus non incisus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebíntus exténdi ramos meos; et rami mei honóris et grátiæ.[4]

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.
℣. Proptérea unxit te Deus: Deus tuus óleo lætítiæ.

Gradale. Ps. 44 Spécie tua et pulcritúdine tua: inténde, próspere procéde, et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tuá.

Gradale. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Gradale. Ps. 44 Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.
℣. Spécie tua et pulcritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

[5]Gradale. Ps. 44 Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.[5]

[1] me de.—92. 4L. 57. V. a.—13. de.—98.
[2] ita 55P. etc. et—98. 4L. 13. 26.
[3] meum.—98. 4L. 13. 57.
[4] Lectio libri Sapientiæ. (Proverb. cap. 31.) *Mulierem fortem … opera ejus.*—4L. 15.
[5] non habent 92. 94. 4L 15. 57. et Grad. in quo etiam Gradalia *Diffusa* et *Audi* non habentur.

Allelúya. ℣. 2 ad Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo.

Allelúya. ℣. Veni elécta mea, et ponam te in thronum meum: quia concupívit rex spéciem tuam.

Allelúya. ℣. Ps. 44 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.

Allelúya. ℣. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Allelúya. ℣. Hæc est virgo sápiens: quam Dóminus vigilántem invenit.

Allelúya. ℣. Ps. 118 Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar, [1]Dómine.[1]

Infra Septuagesimam, Tractus. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde et regna.
℣. Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Audi fília et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.

Sequentia.

EXSULTEMUS in hac die festiva,
Recolentes Domini magnalia,
in sanctis qui operatur maxima;
Qui inter sua potentiæ mira
in virginum est maximus gloria.
Sua enim gratia
mundi viluit virginibus pompa,
Atque contra præcepta
regum restitit virginalis pugna.
Furit rabies vesana,
devicta tristatur malitia;
Crudescit in carne tenera:
majora exquirit tormenta.
Sed tunc stat firmior caro virginea,
Cum multiplicantur nova supplicia:
Pro æterna quam exspectant a Deo gloria,
Lætantur mortalia affligi sua corpora,
Quia sunt transitoria
Et in motu subito labentia mundi gaudia,
Ut flores decidua;
Ex hac virginea sorte claruit N.
Cujus hodie celebramus solemnia;
splendens inter alias:
ut lucifer inter minores stellas,
Virgo beata fortiter ferens omnia,
nec mori recusans pro gloria,
pro nobis pie Deum exora,
Ut tandem in aula
exsultemus ætherea,
pace perpetua;
Atque tecum virgo
gloriosa collaudemus
Dominum in gloria.

Secundum Matthæum. c. 13

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo abscóndit et præ gáudio illíus vadit et vendit univérsa qua habet et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam cum impléta esset educéntes et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa sua, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi. Exíbunt ángeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos

[1] non habent 15. 26. V.

in camínum ignis: ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei; Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre [1]tuo[1]: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Offertorium minus. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

In tempore Paschali, Allelúya.

Offertorium majus. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines [2]post eam:[2] próximæ ejus offeréntur tibi: in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

[3]Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum et in sæculum sæculi.[3]

Secreta.[4]

HOSTIAS, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice; et, intercedente beata N. virgine tua et martyre, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum.[4]

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

[5]Communio. Ps. 118 Princípes persecúti sunt me gratis: et a verbis tuis formidávit cor meum: lætábor ego super elóquia tua: sicut qui invénit spólia multa: concupívit ánima mea testimónia tua, Dómine: et diléxit ea vehementer.[5]

Communio. Ps. 118 Feci judícium et justítiam: Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta: dedit sua et comparávit eam.

Communio. Matth. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.[6]

PLACEANT tibi, quæsumus, misericors Deus, nostræ servitutis obsequia: ut mysteria sacrosancta quæ sumpsimus, intercedente beata N. virgine tua et martyre, et tuam gratiam nobis concilient, et æternæ felicitatis gaudium subministrent. Per Dominum.[6]

In natali unius virginis non martyris.

Officium. Ps. 44

DILEXÍSTI justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

[1] non habent 92. 4L. Domini.—57.
[2] non habent 92. 94. 97. 98. Grad.
[3] non habent 92. 94. 4L. 15. 57. Grad.
[4] Hostias, Domine, quæsumus, quas tibi offerimus, propitius respice; et, intercedente beata N. martyre tua, vincula etc.—94.
Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut in tuo conspectu mors est pretiosa sanctorum, ita per eorum merita, venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per.—92. 97. 98.
[5] non habent 92. 94. 4L. 15. 57. Grad.
[6] Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per.—94. 97. 98.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Glória Patri. Sicut erat.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, auctor virtutis et amator virginitatis, da nobis, quæsumus, sanctæ N. virginis tuæ placitis tibi meritis commendari, cujus vita merito castitatis tibi complacuit. Per.

Ad Corinthios. 2 c. 10 et 11

FRATRES, Qui gloriátur in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat ille probátus est: sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ: sed ei supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro, vírginem castam exhibére Christo.

Lectio libri Sapientiæ. c. 8

SAPIENTIA vincit malitiam. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi et exquisivi a juventute mea; et quæsivi eam sponsam mihi assumere et amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei; sed et omnium Dominus dilexit illam. Doctrix est enim disciplinæ Dei: et electrix operum illius.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 61 et 62

GAUDENS gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Domino; qui induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam et laudem coram universis gentibus. Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus, dicit Dominus omnipotens.[1]

Gradale. Ps. 44 Dilexísti justítiam: et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus: Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúya. ℣. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Allelúya. ℣. 2 Cor. 11 Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi vos uni viro, vírginem castem exhibére Christo.

Sequentia.

VIRGINIS venerandæ de numero sapientum festa celebremus socii,
Filiæ matris summi Regis sacrosanctæ Mariæ,
Quam sibi in sororem Dei adoptavit Filius;
Hæc corpus suum domuit fræno jejunii,
Et luxuriam secuit ense [2]agoniæ;[2]
Hæc contra cunctos hostis dimicavit impetus,
Et hostem cruentum freta Christi dextra straverat;
Hæc sponsum ab aula cœli sese invisentem alacris
Corde jocundo secuta, ejus est ingressa thalamum.
Tuque jam dulcibus [3]plena[3] deliciis,
Christo miserias nostras suggerito,
Nobis consolationem precando.

[1] Gradale. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.—26.

[2] parcimoniæ.—15.

[3] plebis.—26. frueris.—55P.

Secundum Matthæum. c. 25

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum. Prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus. Et quæ parátæ erant intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est janua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, preces et munera in honore sanctæ N. virginis tuæ gaudentes; præsta, quæsumus, ut et convenienter hæc agere, et remedium sempiternum valeamus acquirere. Per Dominum.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Domine, quæsumus, sumpta mysteria, pariterque nos, intercedente beata virgine tua N., et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per.

In natali plurimarum virginum.

Officium. Ps. 44

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonam: dico ego ópera mea regi.

Oratio.

DEUS, qui ut humanum genus ad confessionem tui nominis provocares, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti; præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua hoc exemplo [1]commonita,[1] nec pati pro te metuat, et cœlestis præmii gloriam concupiscat Per Dominum.

Ad Corinthios. 1 c. 7

FRATRES, De virgínibus autem præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus a Dómino ut sim fidélis. Exístimo enim hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve est. Réliquum est, ut et qui habent uxóres tanquam non habéntes sint:

[1] communita.—4L. 13. 15.

et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudéntes. Et qui emunt, tanquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tanquam non utántur. Præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine solicitúdine esse. Qui sine uxóre est, solícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, solícitus est quæ sunt hujus mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu, in Christo Jesu Dómino nostro.

Lectio libri Sapientiæ. c. 4

O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est et apud homines. Cum præsens est imitantur illam, et desiderant eam cum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat; incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Multigena enim impiorum multitudo non erit utilis; et [1]spuria vitulamina[1] non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita a vento commovebuntur, et a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, et fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

[2]Gradale. Ps. 149 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.[2]

Gradale. Exod. 15 Gloriósus Deus in sanctis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícum.

Allelúya. ℣. Ps. 44 Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus offeréntur tibi in lætítia et exsultatióne.[3]

Evangelium. Símile est regnum cœlórum decem virgínibus. ut supra in officio præcedenti.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

FAC nos, quæsumus, Domine, beatarum virginum et martyrum tuarum N. et N. continuis præsidiis adjuvari; pro quarum veneranda recordatione hæc dona majestati tuæ dicanda offerimus. Per Dominum.

Communio. Matth. 25 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctarum virginum et martyrum tuarum N. et N. solemnitate percepimus divina mysteria, earum intercessione remedia capere mereamur æterna. Per.

[1] ita 26. etc. adulterinæ plantationes.—55P.
[2] non habent 97. Grad.
[3] Alleluya. ℣. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus eat: ecce sponsus venit: exite obviam Christo Domino.—Grad.

De virginibus non martyribus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos idoneos non esse perpendis ad majestatem tuam sicut dignum est exorandam, fac sanctas virgines tuas N. et N. pro nostris intervenire peccatis, quarum meritis nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Secreta.

INTERCEDENTIBUS sanctis virginibus tuis N. et N., Domine, quæsumus, plebis tuæ munus sanctifica; ut ab omnibus noxiis expedita, et hic et in æternum cuncta sibi profutura percipiat. Per Dominum.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Domine Deus noster, ut sacri mysterii munus indultum, intercedentibus sanctis virginibus tuis N. et N., et præsentis nobis vitæ subsidium et æternitatis largiatur effectum. Per Dominum.

[1]De non virginibus.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Domino: diem festum celebrantes sub honore beatæ N. de cujus solemnitate gaudent angeli et collaudant Filium Dei.

Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.

Gloria Patri.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ N. festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Proverb. c. 31

QULÍEREM fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris de longe portans panem suum. De nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit brachium suum. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fíliæ ejus et beatíssimam prædicavérunt: et vir ejus laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Gradale. Ps. 44 Propter veritátem et

[1] non habent 92. 94. 97. 98. 4L. 15. 57. Grad.

mansuetúdinem et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Audi, fília et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.
Allelúya. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Prosa.

QULIER laudabilis
fortis casta parens,
mulieris sterilis
opprobrio carens.
Hæc fructum tricesimum
dedit conjugata,
sed et sexagesimum
viro viduata.
Quæ in fortitudine
lumbos castigavit,
nunquam carens lumine,
manum roboravit.
Cujus honorabilis
nuptus, mundus luctus,
fuit venerabilis
etiam senectus.
Ut sacro eloquio
patet, erit minime
dira ponderatio
continentis animæ.
Dilexit silentium,
[1]discens[1] quod nescivit,
nec unquam dominium
in virum quæsivit.
Hæc non est de viduis
luxu sæcli mortuis;
bonum operata;
Obsecrationibus
et orationibus
semper occupata.
Recepit hospitio
vagos, quam ablutio
pedum commendavit;
Et quos tribulatio
pressit, [2]hos[2] subsidio
sancto recreavit,
N. sancta veneranda,
cujus festa recolenda,
redierunt annua.
Casta, prudens, et fidelis,
impetrare nobis velis,
gaudia perpetua. Amen.

Vacante Allelúya, Tractus. Ps. 44
Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.
℣. Accíngere gládio tuo circa femur tuum, potentíssime.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, intende, próspere procéde et regna.

Secundum Matthæum.
c. 13

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis parábolam hanc; Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo abscóndit et præ gáudio illíus vadit et vendit univérsa quæ habet et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam cum impléta esset, educéntes et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa sua, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi. Exíbunt angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei; Etiam. Ait illis; Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini

[1] dicens.—13. 21P. 26.
[2] hoc.—26. hæc—55P.

patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte.

Secreta.

ACCEPTA tibi, Domine, sit sacra plebis oblatio pro tuorum honore sanctorum; quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per.

Communio. Matth. 13 Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta: dedit ómnia sua et comparávit eam.

Postcommunio.

SATIASTI, Domine, familiam tuam muneribus sacris; ejus, quæsumus, interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

[MISSÆ VOTIVÆ.]

Sequuntur Missæ votivæ sive communes; quæ dici possunt per septimanam. Et primo, die dominica, de Sanctissima Trinitate; lunæ, de angelis; martis, Salus populi; mercurii, de Sancto Spiritu; jovis, de venerabili sacramento; veneris, de sancta cruce: sabbato de nostra domina.[1] [2]

De Sanctissima Trinitate.

Officium. Tob. 12

BENEDÍCTA sit sancta Trínitas atque indivísa Unitas: confitébimur ei quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fidei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. [3]Qui vivis.[3]

Ad Romanos. c. 11[4]

O altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei. Quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus. Quis enim cognóvit sensum Dómini? Aut quis consiliárius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuétur ei? Quóniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt ómnia: ipsi glória in sæcula sæculórum. Amen.

Ad Corinthios. 2 c. 13

FRATRES, Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio Sancti Spíritus, sit semper cum ómnibus [5]vobis,[5] in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Dan. 3 Benedíctus es, Dómine, qui intueris abýssos: et sedes super chérubin.

℣. Tob. 12 Benedícite Deum cœli: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Allelúya. ℣. Dan. 3 Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum: et laudábilis in sæcula.

[6]Allelúya. ℣. Ps. 112 Laudáte púeri Dóminum: laudáte nomen Dómini: sit nomen Dómini benedíctum: ex hoc nunc et usque in sæculum.[6]

Sequentia.[7] [8]

BENEDICTA sit beata Trinitas.
Deitas æterna,
pariter coæqualis gloria,
Deus Genitor, Natus genitus,
cum sacro Neumate
permanens super omne quod exstat.
Quibus est una semper voluntas,
et a se discrepat
haud unquam triplicata persona.
Nam constat Deitas una,
non in tres Deos divisa,

[1] vide supra fol. 612
[2] In Graduali sequuntur Missæ *de Trinitate, de Sancto Spiritu, de cruce,* Salus populi, *de beata Virgine.*
[3] in qua.—94. 97. 98.
[4] Ordine inverso Epistolæ habentur in 94. 97. 98.
[5] nobis.—92. 98. 4L.
[6] non habent 94. 97. 98. Grad.
[7] non habent 92. 94. 97. 4L. 15. 57. Grad.
[8] non habet 98.

quod fides fatetur
a Christo orthodoxe edita.
Hæc namque pellit delicta,
patriam reddit serenam,
qua dulcem jubilant
agmina symphoniam cœlica.[8]
Altithroni vestigia
imitantur stolis candidata,
Operiunturque binas
quas captant post sæcli discrimina.
Et nos, quos illustrat gratia Dei,
[1]supera[1] demus nostra debita.
Quatenus caterva cœlica nobis
maneat post funera socia,
Ultimoque peracto discrimine
[2]possimus[2] altis perfrui mox palatiis,
[3]Quo[3] perspicua lux flagrat accensa constanti flamma, quæ Deus est, visio nostra et salus æterna;
Angelorumque illustrat
fortiter pectora,
Ut in Christo [4]solo[4] sua
defigant lumina.
Hæc namque est illa
sitis flagrans, [5]quam[5] tunc sitient
animæ sanctorum vel corpora
Cum fuerint data
perpetua eis pro [6]nobis[6]
a judice præmia.[7] Amen.

Secundum Johannem. c. 15 et 16

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Cum vénerit Paráclitus quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos; sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem neque me. Sed hæc locútus sum vobis, ut cum vénerit hora eórum reminiscámini, quia ego dixi vobis.

Offertorium. Tob. 12 Benedíctus sit Deus Pater: unigenitúsque Dei Fílius: Sanctus quoque Spíritus: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

Sanctífica, quæsumus, Dómine Deus Trínitas sancta, per tui sancti nóminis invocatiónem hujus oblatiónis hóstiam; et, [7]cooperánte Spíritu Sancto,[7] per eam nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. [8]Qui[8] vivis. ejusdem.
Præfatio. Qui cum unigenito.

Communio. Tob. 12 Benedícimus Deum cœli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Profíciat nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus, hujus sacraménti suscéptio; et sempitérnæ sanctæ Trínitatis ejusdémque indivíduæ Unitátis conféssio. In qua vivis.

[1] superna.—26. 54R. superat.—34.
[2] poscimus.—98.
[3] quos.—26. 54R.
[4] sola.—26. 34. 55P.
[5] qua.—55P.
[6] bonis.—98.
[7] non habent 94. 97. 98.
[8] In qua.—94. 97. 98.

Missa de Angelis.

Ad Missam: Officium. Ps. 102

ENEDÍCITE Dóminum omnes ángeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

In tempore Paschali, allelúya.

Psalmus. Bénedic, ánima mea, Dómino, et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus.

Oratio.

PERPETUUM nobis, Domine, tuæ miserationis præsta subsidium: quibus et angelica præstitisti suffragia non deesse. Per Dominum.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis Apostoli. c. 19

IN diebus illis, Dixit mihi angelus; Scribe, beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi; Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ad pedes ejus ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris; conservus enim tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora.

Gradale. Ps. 102 Benedícite Dóminum omnes ángeli ejus: poténtes virtúte qui fácitis verbum ejus.

℣. Bénedic ánima mea Dómino: et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Allelúya. ℣. Ps. 137 In conspéctu angelórum psallam tibi, Dómine Deus meus.

Secundum Johannem. c. 5

IN illo témpore,[1] Ascéndit Jesus Hierosólymam. Est autem Hierosólymis probática piscína, quæ cognomináturHebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini secúndum tempus descendébat in piscínam, et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúnque detinebátur infirmitáte.

Offertorium. Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa: et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei, alleluya.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes: ut easdem, angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus accipias, et ad salutem nostram provenire concedas. Per Dominum.

Communio. Dan. 3 Benedícite omnes ángeli Dómini Dómino: hymnum dícite et superexaltáte eum in sæcula.

In tempore Paschali, Allelúya.

Postcommunio.

REPLETI, Domine, benedictione cœlesti, suppliciter [2]exoramus;[2] ut quod fragili celebramus officio, sanctorum angelorum [3]atque archangelorum,[3] omniumque cœlestium spirituum, nobis prodesse sentiamus auxilio. Per Dominum.

Sciendum est quod per totum Adventum et a Dómine, ne in ira usque ad Caput jejunii, et ab octavis Paschæ usque ad Ascensionem Domini, et a festo Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini, singulis hebdomadis semel solet dici missa Salus pópuli pro fratribus et so-

[1] Erat dies festus Judæorum, et.—4L. 26. 57. V.
[2] imploramus.—94. 97. 98.
[3] ita 15. etc. non habent 92. 4L 8RM. 57.

roribus; ita [1]videlicet[1] quod, si vacaverit a festis sanctorum, et extra octavas cum regimine chori, et si missa Dominicalis in hebdomada cantanda fuerit completa, [2]commemoratio[2] quoque beatæ Mariæ et [3]festi[3] loci, et propriæ Epistolæ et Evangelia propria propter illam missam non fuerint prætermissa; tunc illa, si qua dies vacaverit, est cantanda. Si vero propriæ Epistolæ et propria Evangelia quæ quartis feriis intitulantur, frequenter nequeant ibi dici, in proximis sequentibus feriis, si vacaverint, perlegantur; nec propter missam Salus pópuli vel Nos autem alicubi per totum annum aliqualiter omittantur. In missis etiam Salus pópuli vel Nos autem, super Kyrie, Sanctus, et Agnus semper dicitur cantus ferialis.

Et notandum est quod per totum tempus prædictum, quando missa dominicalis in dominica vel in secunda feria cantata fuerit, et tertia feria vacaverit, semper dicitur missa Salus pópuli in ipsa tertia feria; et si non vacaverit, tunc in aliqua feria ipsius hebdomadæ quæ ad hoc vacaverit cantetur.

Et sciendum est, quod missa Salus pópuli est in dispositione cantoris quando convenientius et quota feria potest dici. Quando vero dicitur missa Salus pópuli, tunc nulla dicitur memoria de dominica neque de aliqua alia missa trium lectionum, nisi in Adventu.

[4]Dicatur etiam missa Salus pópuli in unaquaque hebdomada semel, nisi in Quadragesima, et nisi festum impediat vel octavæ cum regimine chori; et nisi infra tempus Nativitatis Domini et nisi in hebdomadis Paschæ et Pentecostes.[4]

[1] non habent 4L. 15.
[2] commemoratione.—57.
[3] festo.—4L.
[4] non habent 94. 97. 98. Grad.

[Missa Salus pópuli.]

Ad Missam: Officium.

SALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus; de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Non dicitur Glória in excélsis Deo in hac missa.

Oratio.

DEUS, qui caritatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infundis: da famulis et famulabus tuis, fratribus et sororibus nostris pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Lectio Esaiæ prophetæ. c. 19

HÆC dicit Dominus Deus; In die illa, deferetur munus Domino exercituum, et rex fortis dominabitur eorum. In die illa erit altare Domini in medio terra, et cognoscetur Dominus, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino et solvent. Et revertentur ad Dominum et placabitur eis, et sanabit eos. In die illa, erit Israel benedictio in medio terra, cui benedixit Dominus exercituum dicens; Benedictus populus meus et opus manuum mearum, hereditas mea Israel, dicit Dominus omnipotens.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes, ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honorem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 84 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

In tempore Paschali secundum Allelúya erit de missa dominicali per hebdomadam, sicut in festis sine regimine chori. Tamen in Processione ubi fit statio secundum Allelúya non dicetur. Idem modus observetur in missa pro Pace et in consimilibus.

Secundum Marcum. c. 12

In illo tempore, Sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba [1]jactaret[1] æs in gazophylacium. Et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua paupercula, misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans discipulos suos, ait illis; Amen dico vobis, quia vidua hæc paupercula plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt; hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

Offertorium. Ps. 54 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me et exáudi me.

In tempore Paschali, Allelúya.

Sequentes duo Versus dicuntur alternis vicibus infra Adventum Domini, et a Septuagesima usque ad Quinquagesimam tantum.

℣. [2]Conturbátus[2] sum a voce inimíci: et a tribulatióne peccatóris: et exspectábam eum qui me salvum fáceret.

℣. Ego autem ad Deum clamávi, líbera ánimam meam: et exténdes manum tuam in retribuéndo illis.

Secreta.

Miserere, quæsumus, Domine, famulis et famulabus tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati; et præsta, ut per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant et gloriam æternæ felicitatis acquirant. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis, quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Divina libantes mysteria quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem et pacem, pro quorum quarumque dilectione hæc tuæ obtulimus majestati. Per.

In commemoratione Sancti Spiritus.

Ad Missam: Officium. Sap. 1

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúya: et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 67 Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.[3]

[1] jactabat.—97. 98.

[2] Tristatus.—92. Versus omnino omittitur in Graduali.

[3] A Septuagesima usque ad Pascha. Officium. (Ezek. c. 36. 23–26.) Dum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de universis terris, et effundam super vos aquam mundam, et mundabimiui ab omnibus iniquitatibus vestris, et dabo vobis spiritum novum. Ps. (34. 1.) Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.—98.

Oratio.

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti, da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 8

In diébus illis, Cum audíssent apóstoli qui erant Hierosólymis, quia recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum et Johánnem. Qui cum veníssent oravérunt pro ipsis, ut accíperent Spíritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, et accipiébant Spíritum Sanctum.

Gradale. Ps. 32 Beáta gens cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus quem elégit Dóminus in hereditátem sibi.
℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt: et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum.
Allelúya. ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium et tui amóris in eis ignem accénde.

In tempore Paschali, primum

Allelúya. ℣. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ.

Secundum

Alleluya. ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Sequentia.

Veni, Sancte Spiritus,
et emitte cœlitus
lucis tuæ radium;
Veni, pater pauperum,
veni, dator munerum,
veni, lumen cordium.
Consolator optime,
dulcis hospes animæ,
dulce refrigerium.
In labore requies,
in æstu temperies,
in fletu solatium.
O lux beatissima,
reple cordis intima
tuorum fidelium.
Sine tuo numine,
nihil est in lumine,
nihil est innoxium.
Lava quod est sordidum,
riga quod est aridum,
sana quod est saucium;
Flecte quod est rigidum,
fove quod est frigidum,
rege quod est devium.
Da tuis fidelibus
in te confidentibus
sacrum septenarium;
Da virtutis meritum,
da salutis exitum,
da perenne gaudium.

Secundum Johannem. c. 14

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Si quis díligit me, sermónem meum servábit; et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus: qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia et súggeret vobis ómnia quæcúnque díxero vobis. Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque fórmidet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado et vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis útique quia vado ad Patrem: quia Pa-

ter major me est. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobíscum: venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam. Sed ut cognóscat mundus quia díligo Patrem, et sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio.

Offertorium. Ps. 67 Confírma hoc Deus quod operátus es in nobis; a templo tuo quod est in Hierúsalem tibi ófferent reges múnera, allelúya.

Secreta.

Múnera, quæsumus, Dómine, obláta sanctífica; et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Præfatio. Qui ascéndens.

Non dicitur in hac Præfatione Hodiérna die, nisi in hebdomada Pentecostes tantum.

Communio. Act. 2 Factus est repénte de cœlo sonus adveniéntis spíritus vehemántis ubi erant sedéntes, allelúya; et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, loquéntes magnália Dei, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio, et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

In commemoratione corporis Christi.

Officium. Ps. 80

Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúya: et de petra melle saturávit eos, allelúya, allelúya, allelúya.

Psalmus. Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti; tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis.

Ad Corinthios. 1 c. 11

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit: Accípite et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens; Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite quotiescúnque [1]súmitis[1] in meam commemoratiónem. Quotiescúnque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annunciábitis donec véniat. Itaque quicúnque manducáverit hunc panem vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini.

Gradale. Ps. 144 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúya. ℣. Johan. 6 Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem: in me manet et ego in eo.

[1] ita 55P. etc. bibetis.—13. 26. V. bibitis.—97. 98.

Sequentia qui voluerit: quære in festo Corporis Christi.

Secundum Johannem. c. 6

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Caro mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna in deserto, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Offertorium. Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus, allelúya.

Secreta.

ECCLÉSIÆ tuæ, quæsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde; quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Dóminum.

Præfatio. Quia per incarnáti.

Communio. 1 Cor. 11 Quotiescúnque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat; itaque quicúnque manducáverit panem vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit córporis et sánguinis Dómini, allelúya.

Postcommunio.

FAC nos, quæsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri, quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporalis percéptio præfigúrat. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Sciendum est quod missa de Cruce dicitur omni sexta feria a Deus ómnium usque ad Adventum, nisi festum novem lectionum impediat, vel octavæ cum regimine chori, vel dies octava vel quod ex necessitate oporteat agere missam dominicalem, vel aliquod tale festum trium lectionum quod aliquod proprium habet servitium. Si vero in sexta feria aliquod festum trium lectionum evenerit, unde nullum proprium habeatur servitium; tunc est in dispositione cantoris dicere missam de Cruce vel non. Cum vero sexta feria omnino a festo vacaverit, et non oportet ex necessitate dicere missam dominicalem, semper infra prædictum tempus dicitur missa de Cruce, quamvis omnes Horæ dicantur de feria, et nulla fiat memoria de missa dominicali. Tamen si oporteat dicere missam Salus pópuli, omnino prætermittatur missa de Cruce.

Ad missam de sancta Cruce.

Officium. Gal. 6

NOS autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita et resurréctio nostra: per quem salváti et liberáti sumus.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Ps. 66 Deus misereátur nostri et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos et misereátur nostri.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio.

DEUS, qui unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi pretióso sánguine, vivíficæ crucis vexíllum sanctificáre voluísti: concéde, quæsumus, eos qui ejúsdem sanctæ crucis gaudent honóre, tua quoque ubique protectióne gaudére. Per eúndem.

Ad Philippenses. c. 2

FRATRES, Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem

autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium et infernórum. Et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus noster Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Gradale. ibid. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis.

℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

Allelúya. ℣. Dulce lignum, dulces clavos,
dulcia ferens pondera,
quæ sola fuisti digna
sustinere regem cœlorum et Dominum.

In tempore Paschali, secundum

Allelúya. ℣. Gal. 6 Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Secundum Matthæum. c. 20

In illo témpore, Ascéndens Jesus Hierosólymam, assúmpsit duódecim discípulos suos secréto, et ait illis; Ecce ascéndimus Hierosólymam, et Fílius Hóminis tradétur princípibus sacerdótum et scribis, et condemnábunt eum morte. Et tradent eum géntibus ad illuděndum et flagellándum et crucifigéndum; et tértia die resúrget.

Offertorium. Prótege, Dómine, plebem tuam per signum sanctæ crucis ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium: ut tibi gratam exhibeámus servitútem: et acceptábile tibi fiat sacrifícium nostrum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

Hæc oblátio, quæsumus, Dómine, ab ómnibus nos purget offénsis; quæ in ara crucis immoláta étiam totíus mundi tulit offénsas. Per.

Præfatio. Qui salútem.

Communio. Per lignum servi facti sumus:
et per sanctam crucem liberati sumus:
fructus arboris seduxit nos:
Filius Dei redemit nos, alleluya.

et finiatur cum allelúya quandocunque dicitur, nisi infra Septuagesimam usque ad Pascha.

Postcommunio.

Adésto nobis, Dómine Deus noster; et quos sanctæ crucis lætári facis honóre, ejus quoque perpétuis defénde subsídiis. Per Dóminum.

[1]Sanctus Bonifacius papa ægrotavit usque ad mortem; qui instanter petiit a Deo vitam in hoc sæculo sibi prolongari. Ad quem misit Dominus sanctum Raphaelem archangelum cum officio missæ de quinque vulneribus Christi, dicens ad papam; Surge et scribe istud Officium; et dicas ipsum quinque vicibus: et continuo recipies sanitatem. Et quicunque sacerdos hoc Officium devote pro se vel alio ægrotante celebraverit quinquies; hic sanitatem et gratiam recipiet, et in futuro vitam æternam possidebit, si in bono perseveret. Et in quacunque tribulatione homo exstiterit in hoc sæculo, si procuraverit a sacerdote hoc officium quinquies pro se legi, sine dubio liberabitur. Et si pro anima defuncti legatur; statim postquam complete dictum fuerit, scilicet quinquies, a pœnas anima solvetur. Sanctus igitur Bonifacius papa hæc audiens, statim erexit se in loco quo jacuit infirmatus, et ipsum conjuravit per omnipotentem Deum, ut absque suo periculo recederet, et quis esset, et ad quid

[1] Hic sequitur missa de Nomine Jesu in 92. 94.

venisset sibi continuo indicaret. Qui statim dixit, se esse archangelum Raphaelem a Deo sibi missum, et superius pronunciata promittebat sine dubio fore rata. Sanctus tunc Bonifacius papa officium confirmavit apostolica auctoritate; tribuens omnibus vere confessis et contritis, septimam partem remissionis omnium peccatorum suorum, qui illud devote legerint quina vice. Et similiter illud prædictum officium legi procurantibus, quadraginta dies criminalium et unum annum venialium in Domino relaxavit.

Incipit Officium missæ de quinque vulneribus domini nostri Jesu Christi.[1]

HUMILIÁVIT semetípsum Dóminus noster Jesus Christus usque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum: et donávit illi nomen quod est super omne nomen.

Ps. 88 Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo.

Et dicitur Glória in excélsis, nisi per Adventum, et a Septuagesima usque ad Pascha.

Oratio.

DÓMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui de cœlo ad terram de sinu Patris descendísti, et in ligno crucis quinque plagas sustinuísti; et sánguinem tuum pretiósum in remissiónem peccatórum nostrórum effudísti; te humíliter deprecámur, ut in die judícii ad déxteram tuam [2]statúti,[2] a te audíre mereámur [3]illam vocem dulcíssimam,[3] Veníte, benedícti in regnum Patris mei. Qui cum eódem Patre in unitáte Spíritus Sancti vivis et regnas etc. Per.

Addatur etiam una Collecta, ubi placuerit, secundum numerum et temporis exigentiam, pro vivo vel pro defuncto, pro quo istæ missæ celebrantur.

Lectio Zachariæ Prophetæ. c. 12 et 13

HÆC dicit Dóminus Deus; Effúndam de Spíritu meo super domum David et super habitatóres Hierúsalem, Spíritum grátiæ et miseratiónis; et aspícient in eum quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum; et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa erit planctus magnus in Hierúsalem. Et dicétur ei; Quæ sunt istæ plagæ in medio mánuum tuárum? Et dixit eis; His plagátus sum in domo eórum qui me diligébant. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum. Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis, dicit Dóminus exercítuum.

Gradale. Ps. 68 Impropérium exspectávit cor meum et misériam, et sustínui qui simul contristarétur et non fuit consolántem me: quæsívi et non invéni.

℣. Et dedérunt in escam meam fel: et in siti mea potavérunt me acéto.

Allelúya. ℣. Ave, rex noster, Jesu Christe: tu solus nostros erróres et reátos miserátus pertulísti, Patri obédiens, ductus es ad crucem: ut agnus mansuétus ad occisiónem, tibi glória, osánna tibi, summe laudis et honestátis chórea.

Tractus. Ps. 42 Júdica me, Deus, et discérne meam de gente non sancta: ab hómine iníquo et dolóso erue me.

[1] Phil. c. 2
[2] assistentes.—97. 98.
[3] non habent 92. 94. 4L. 57.

℣. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: quare me repulísti et quare tristis incédo dum afflígit me inimícus.
℣. Ps. 26 Testes enim iníqui insurrexérunt advérsum me: et mentíta est iníquitas sibi.
℣. Ps. 128 Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, prolongavérunt iniquitátem suam.
℣. Ps. 21 Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.
℣. Fodérunt manus meas et pedes meos: et dinumeravérunt ómnia ossa mea, et dolórem super dolórem vulnéribus meis addidérunt.

Sequentia.

Cœnam cum discipulis,
Christe, celebrasti,
et mortem apostolis
palam nunciasti,
[1]et[1] auctorem sceleris
Judam demonstrasti,
et egressus protinus
hortulum intrasti.
Tunc procidens Dominus humo se prostravit,
et transferri calicem a se postulavit,
sed Patris arbitrio illud commendavit,
et ecce mox sanguinis sudor emanavit.
Judas post hoc osculum ori dedit Christi;
ad quid, inquit Dominus, amice, venisti?
nunquid tradis osculo quem jam vendidisti?
assistentes protinus irruunt ministri.
Nox insomnis itaque [2]illa[2] ducebatur;
nulla prorsus requies Jesu præstabatur;
[3]magistrorum[3] impia plebs injuriatur,
alapis et colaphis innocens mactatur.
Dum Jesum eripere Pilatus conatur,
Judæorum furia magis inflammatur,
et tumultus populi ingens excitatur,
et plebis vox intonat ut crucifigatur.
Traditur militibus, vinculis arctatur,
undique verberibus corpus cruentatur,
caput regis gloriæ spinis coronatur,
postque flexis genibus [4]quisquis[4] irritatur.
Ecce caro tenera pii Salvatoris,
ad columuam nequiter coarctatur loris,
sic flagellis cæditur impii tortoris,
quod emanant rivuli undique cruoris.
Post per urbis medium Jesus procedebat,
et crucis patibulum humoris ferebat,
ad fores, ad ostia populus fluebat,
ejusque confusio omnibus patebat.
Ad pudoris cumulum, Jesu, denudaris,
et ventis ac frigori nudus spoliaris,
innocens cum impiis in crucem damnaris,
et quasi dux sceleris medio locaris.
Tensis ligno brachiis manus conclavantur,
[5]cruci caro cruribus clavis tractabantur,

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] tota.—97. 98.
[3] ministrorum.—97. 98.
[4] a cunctis.—97. 98. 13.
[5] ita 92. 94. 4L. 8RM. 13. 15. 26. 57. conclavantur.—13. 15. 26.
corporis membra singula pœnis tractabantur.
nervi, venæ, simili modo laniantur,
pedes, plantæ etiam, ferro conclavantur—97. 98.
Cruci membra trucibus chordis alligantur,
nervi, venæ, simili modo laniantur,
pedum plantæ etiam ferro terebrantur.—55P. 34.

nervi, venæ, simili modo laniantur,
pedes, plantæ, etiam ferro concavantur.[5]
Loquens Jesus postea, Sitio dicebat,
et acetum protinus felle commiscebat,
ac infusum spongiæ ori porrigebat,
quod degustans paululum, sumere nolebat.
O Jesu mirifice, quid est quod agebas;
tu de siti conquerens, de cruce silebas;
nunquid hanc doloribus magis sentiebas,
aut salutem potius nostram sitiebas?
Vocem promens ultimam, Patrem invocasti,
spiritumque manibus ejus commendasti;
cum clamore valido tandem exspirasti;
sic salutem omnium opus consummasti.
Nunc ego superbio, tu humiliaris;
ego culpas perpetro, tu pœna gravaris;
ego pomum mordeo, tu felle potaris;
ego peto mollia, tu dire tractaris.
Demum, cujus valeat mens vel lingua fari,
Virgo intus creditur quantum cruciari,
dum cernit jam mortuum latus vulnerari,
atque Nati viscera lancea rimari?
Corpus quidem mortuum jam nil sentiebat;
militis sed lancea pectus infigebat,
quam fixam in Filii latere videbat,
unde aqua sanguine mixta effluebat.
Fundunt rivos sanguinis [1]fontes[1] Salvatoris,
properans huc anima currat peccatoris,
et hauriat quispiam sacrati liquoris,
quo frequenter liniat vulnera doloris.
Ad hunc ergo propera fontem Salvatoris,
ut fluentis impleas visceradulo oris,
atque vitæ lavacrum pretium cruoris
hinc tui curatio profluat languoris.

Secundum Johannem. c. 19

In illo témpore, [2]præsciens[2] Jesus quia jam ómnia consummáta erant [3]de ipso,[3] ut consummarétur scriptúra, dixit, Sítio. Vas autem erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto et hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Et cum accepísset Jesus acétum, dixit; Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judæi ergo, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, (erat enim magnus dies ille sábbati) rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura. Sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Offertorium. Insurrexérunt in me testes iníqui: absque misericórdia quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in fáciem meam spúere et lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea.

Secreta.

Domine Jesu Christe, qui pro mundi redemptione crucis lignum ascendisti, ut universus mundus qui in tenebris erat illuminaretur; illam, quæsumus, lucem in animas nostras et corpora infunde: per quam ad æternam lucem pervenire mereamur. Qui cum Patre.

[1] membra.—97. 98.
[2] sciens.—97. 98. V.
[3] non habent 97. 98. V.

Præfatio. Qui salútem.

Communio. Ps. 21 Fodérunt manus meas et pedes meos: et dinumeravérunt ómnia ossa mea.[1]

Postcommunio.

DÓMINE Jesu Christe, qui hora diei sexta pro redemptióne mundi crucis patíbulum ascendísti, et sánguinem tuum pretiósum in remissiónem peccatórum nostrórum fudísti; te humíliter deprecámur, ut per tuæ passiónis et vúlnerum tuórum mérita, post óbitum nostrum paradísi jánuam gaudénter mereámur introíre. Qui cum Deo.

In festo coronæ Domini.

Officium.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre corónæ Dómini: de cujus solemnitáte gaudent ángeli et colláudant Fílium Dei.

Psalmus. Gaudent ángeli et exsúltant archángeli: lætántur et congratulántur omnes sancti.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria et honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 3

LÉCTULUM Salomónis sexagínta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israel: omnes teneántes gládios, et ad bella doctíssimi. Uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit sibi rex Sálomon de lignis Líbani. Colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum: média caritáte constrávit propter fílias Hierusalem. Egredímini fíliæ Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis illíus et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es. Oculi tui columbárum absque eo quod intrínsecus latet. Veni de Líbano, sponsa mea; veni de Líbano; veni coronáberis.

Allelúya. ℣. Tuam corónam adorámus, Dómine; tuum gloriósum recolimus triumphum.

Allelúya. ℣. Diadema spineum
veneremur hodie:
cujus per aculeum
sertum datur gloriæ.

Sequentia.

SI vis vere gloriari
et a Deo coronari
honore et gloria;
Hanc coronam venerari
studeas atque sectari
portantes[2] vestigia.
Hanc cœlorum rex portavit,
honoravit et sacravit,
sacro suo capite;
In hac galea pugnavit,
cum antiquum hostem stravit,
triumphans in stipite.
Hæc pugnantis galea
triumphantis laurea
tiara pontificis;
Primum fuit spinea,
postmodum fit aurea
tactu sancti verticis.

[1] Ipsi vero consideraverunt me et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.—97. 98.

[2] *rectius* portantis.—92. 97. 98.

Spinarum aculeos
virtus fecit aureos
Christi passionis;
Quæ peccatis spineos,
mortis æternæ reos,
adimplevit bonis.
De malis colligitur,
et de spinis plectitur
spinea perversis;
Sed in aurum vertitur,
quando culpa tollitur
eisdem conversis.
Jocunda mysteria
sunt hæc, sed materia
præsentis lætitiæ;
Nobis est historia,
qua patenter Francia
coronatur hodie.
Hujus coronatio
coronæ susceptio
cujus festum agimus;
Debito cum gaudio
et anniversario
honore recolimus.
Thesauro tam nobili,
tam desiderabili
dives es effecta;
Terra carens simili
carens comparabili
Deo prædilecta.
Tria privilegia
regna tibi alia
subdunt in honore;
Fides et militia
unctioque regia,
quarum flores flore;
Tibi, O urbs inclyta,
omni laude prædita,
mater studiorum,
Est corona [1]tradita,[1]
et in te reposita,
urbs Parisiorum.

[1] credita.—94. 97. 98.

In Dei præconium
totum confer studium,
totum cor appone;
Quæ Christi palladium
et sacræ sacrarium
facta es corona.
Jesu pie, Jesu bone,
nostro nobis in agone
largire victoriam;
Mores nostros sic compone,
ut perpetuæ coronæ
mereamur gloriam.

Secundum Johannem.
c. 19

In illo témpore, Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant; Ave, rex Judæórum; et dabant ei álapas. Exívit íterum Pilátus foras, et dixit eis; Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis quia in eo nullam invénio causam. Exívit ergo Jesus portans spíneam corónam et purpúreum vestiméntum.
Credo.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Tuorum militum, rex omnipotens, virtutem corrobora; ut quos in hujus mortalitatis stadio unigeniti Filii tui corona lætificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem.
Præfatio de Cruce.

Communio. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus: corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut hæc sacramenta quæ sumpsimus, per sacrosanctæ Filii tui coronæ, cujus solemnia recensemus, virtutem, nobis proficiant ad medelam. Per eundem.

Sabbato celebratur de beata Virgine; [1]et quare in septima feria de beata Virgine initium quidem habuit. Quoniam[1] in quadam ecclesia civitatis Constantinopolitanæ erat imago beatæ Virginis, coram qua dependebat velum, quod totam velabat imaginem; sed hoc velum in sexta feria post vesperas recedebat ab imagine, nullo movente, solo Dei miraculo, quasi deferretur in cœlum ut ad plenum posset imago conspici. Celebratis vesperis in sabbato, descendebat ipsum velum ante eandem[2] imaginem et ibi manebat usque in feriam sextam sequentem. Hoc viso miraculo, sancitum est ut semper illa feria celebretur de beata Virgine.

Alia etiam ratio est, quia Domino crucifixo et mortuo, discipulis fugientibus et de resurrectione desperantibus, in illa sola tota fides remansit. Sciebat enim quoniam portaverat eum sine labore, et pepererat sine dolore, et ideo certa erat quod Filius Dei esset, et a mortuis tertia die resurgere deberet. Et hæc est ratio quare dies sabbati magis quam alia dies beatæ Mariæ appropriatur.

Tertia ratio est, quia dies sabbati est janua et introitus ad dominicam diem; dies autem dominica est dies requiei, et significat vitam æternam. Unde cum in gratia sumus dominæ nostræ, sumus quasi in janua paradisi. Igitur quia ipsa est nobis porta ad regnum cœlorum, quod per diem dominicam figuratur, ideo de illa solemnizamus in septima feria,[3] quæ diem dominicam præcedit.

Quarta ratio est, ut solemnitas matris solemnitati Filii continuetur.

Quinta ratio est, ut festivius agatur in die qua Deus ab omni opere requievit.

Ordinatio missæ quotidianæ beatæ Virginis quæ dicitur Salve.

Pulsato ad missam beatæ Mariæ, conveniant clerici ad eandem per hebdomadam deputati; qui dictis prius Horis beatæ Virginis in capella ejusdem, videlicet prima, tertia, sexta, et nona, missam solemniter exsequantur. Hoc addito, quod in inceptione cujuslibet horæ dicitur Salutatio Angelica, scilicet Ave María, genuflectendo sub silentio.

Ad missam quotidianam beatæ Mariæ, sacerdoti assistant diaconus et subdiaconus, ministrantes ei in dalmaticis et tunicis omni duplici festo per annum, et per octavas Nativitatis Domini, Paschæ et Pentecostes, in sabbatis et in dominicis, et in omnibus festis quæ habent Invitatorium triplex. Et in omnibus his, Allelúya a duobus de superioribus in superpelliciis cantatur; alias a clericis inferioribus in habitu semper eodem. Celebratur etiam missa beatæ Virginis solemniter omni die per annum in capella ejusdem, nisi duobus diebus proximis ante Pascha.

[1] ita 26. etc. Et hoc institutum est propter quinque rationes, quarum prima est.—55P. 34.
[2] yconiam vel.—94. 97. 98.
[3] ordinatio missæ quotidianæ beatæ Mariæ.—26.

Ad Missam beatæ Virginis quotidie dicendam in capella et in choro infra Adventum, quando fit plenum servitium de ea; nisi in festo Conceptionis ejusdem.

Officium. Esai. 45

ORÁTE cœli désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra et gérminet Salvatórem.

Psalmus. Et justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eam.

Deinde repetatur Officium Roráte. Glória Patri. Tertio repetatur Officium. Et sic fiat ibidem per totum annum, etiam infra Passionem.

Ad missam quotidianam de sancta Maria in capella ejusdem omni die per annum, nisi duobus diebus ante Pascha, dicitur unum Kýrie ex istis sequentibus; videlicet omnibus [1]simplicibus[1] festis, sive fiat in choro de temporali sive de festis sanctorum, dicitur unum istorum absque versibus, scilicet,[2] Kýrie, Rex splendens vel Kýrie, Fons bonitátis. In omnibus vero dominicis dicitur absque versibus unum eorundem; vel istud, scilicet, Kýrie, Rex genitor; Feria secunda, Kyrie de O rex clemens; Feria tertia, Kyrie Cónditor; Feria quarta, Cunctipotens; Feria quinta, Orbis factor; Feria sexta, Lux et origo; sabbato, Kýrie omnípotens.

Oratio.

DEUS, qui de beátæ Maríæ semper Vírginis útero Verbum tuum, ángelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui vere eam Dei genitrícem crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúndem.

Sequentes Memoriæ fiant per totum annum ad missam ejusdem in capella; secunda Oratio de Trinitate, Oratio. Omnípotens sempitérne. tertia Oratio pro episcopis vivis, Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília. quarta Oratio pro benefactoribus defunctis, Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, unica salus mortálium. quinta Oratio generalis, scilicet Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum.

Require prædictas Orationes cum Secretis et Postcommunionibus ante Officium Salve, sancta parens. Et sciendum est quod secunda Oratio ad missam quotidianam de sancta Maria, erit semper de sancto in cujus honore dedicatum est altare vel ecclesia ubi quis celebrat.

Lectio Esaiæ Prophetæ. c. 7

IN diébus illis, Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens; Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz; Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit; Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum: et elígere bonum.

In capella beatæ Virginis per totum annum [3]Gradale[3] cum suo versu cantetur a toto choro.

[1] duplicibus.—92. 94. 98. 4L. 15. 57.

[2] *Notandum est, quod* Kyrie, Deus Creator *in hoc loco omissum est; et quod hoc* Kyrie *de* O rex clemens *apud novem* Kyrie *quæ in finem Missalis enumerantur, non habet locum.*

[3] Gradus.—13.

℟Gradale.[1] Ps. 23 Tóllite portas, príncipes vestras: et elevámini portæ æternáles, et introíbit rex glóriæ.
℣. Quis ascéndet in montem Dómini: aut quis stabit in loco sancto ejus: ínnocens mánibus et mundo corde.

Nunquam enim repetatur Gradale post suum versum in missis quotidianis de sancta Maria, neque de Trinitate, neque de cæteris commemorationibus, nisi in pleno servitio tantum.

Alleluya. ℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in mulieribus.

Idem Allelúya per totum Adventum dicitur, in choro in commemoratione beatæ Mariæ et similiter in capella.

Sequentia, Mittit ad vírginem, vel quævis alia ad placitum. Et hoc per totum annum observetur ad missam quotidianam de sancta Maria.

Et sciendum est quod quotidie per annum dicitur Sequentia in capella beatæ Virginis, et similiter in choro, quando dicitur missa solemniter de eadem.

Quando fit plenum servitium de sancta Maria per Adventum, dicitur una ex istis Sequentiis per ordinem; et similiter dicuntur ad missam quotidianam.

Sequentia.

Missus Gabriel de cœlis
verbi bajulus fidelis
sacris disserit loquelis
cum beata Virgine;
Verbum bonum et suave
pandit intus in conclave,
et ex Eva formans ave,
Evæ verso nomine.
Consequenter juxta pactum
adest Verbum caro factum;
semper tamen est intactum
puellare gremium.
Patrem pariens ignorat,
et quam homo non deflorat
non torquetur nec laborat
quando parit Filium.
Signum audis novitatis;
credo solum et est satis;
non est tuæ facultatis
solvere corrigiam.
Grande signum et insigne
est in rubo et in igne;
ne appropiet indigne
calciatus quispiam.
Virga sicca sine rore,
novo ritu, novo more,
fructum protulit cum flore;
sic et virgo peperit.
Benedictus talis fructus,
fructus gaudii non luctus;
non erat Adam seductus
si de hoc gustaverit.
Jesus noster, Jesus bonus,
piæ matris pium onus,
cujus est in cœlo thronus,
nascitur in stabulo:
Qui sic est pro nobis natus,
nostros deleat reatus,
quia noster incolatus
hic est in periculo.

Sequentia.

Mittit ad virginem
non quemvis angelum
sed fortitudinem
suam, archangelum,
amator hominis.
Fortem expediat
pro nobis nuntium,
naturæ faciat
ut præjudicium
in partu virginis.
Naturam superat
natus Rex gloriæ;

[1] Tractus.—92. 94. 97. 98.

[1]regnet et imperet
et zyma scoriæ
tollat de medio.
Superbientium
terat[1] fastigia,
colla sublimium
calcans vi propria
potens in prælio.
Foras ejiciat
mundanum principem,
[2]sponsamque[2] faciat
secum participem
Patris imperii.
Exi qui mittens,
hæc dona dissere;
revela veteris
velamen literæ,
virtute nuncii.
Accede, nuncia,
dic, Ave, cominus,
dic, Plena gratia,
dic, Tecum Dominus,
et dic, Ne timeas.
Virgo suscipias
Dei depositum,
in quo perficias
casta propositum
et votum teneas.
Audit et suscipit
puella nuntium,
credit et concipit
et parit Filium;
sed admirabilem
Consiliarium
humani generis
et Deum fortium
et patrem posteris
in [3]pace[3] stabilem.

Sequentia.

VERBUM bonum et suave
personemus illud ave,
per quod Christi fit conclave
virgo mater filia;
Per quod ave salutata,
mox concepit fœcundata
virgo David stirpe nata,
inter spinas lilia.
Ave, veri Salomonis
mater, vellus Gedeonis,
cujus magi tribus donis
laudant puerperium.
Ave, solem genuisti,
ave, prolem protulisti;
mundo lapso contulisti
numen et imperium.
Ave, mater Verbi summi,
maris portus, signum dumi,
aromatum virga fumi,
angelorum [4]domina;[4]
Supplicamus, nos emenda,
emendatos nos commenda
tuo Nato, ad habenda
sempiterna gaudia.

Secundum Lucam. c. 1

IN illo témpore, Missus est ángelus Gábriel a Deo, in civitátem Galilǽæ cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus ángelus ad eam, dixit; Ave, grátia plena: Dóminus tecum. Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait ángelus ei; Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum. Ecce concípies in útero et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic

[1] regnat . . . imperat . . . tollit . . . terit.—94. 97. 98.
[2] matremque.—*Grad.*
[3] fide.—94.
[4] gloria.—*Grad.*

erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur. Et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad ángelum; Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens ángelus, dixit ei; Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elízabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua. Et hic mensis est sextus illi quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María; Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum.

Et legatur Evangelium ad Missam beatæ Mariæ in ejusdem capella omni die per annum, cum eadem nota qua et Evangelium ad Missam de die legendum est.

Nota, quod ad Missam quotidianam beatæ Mariæ, semper dicitur Credo, quando dicendum est [1]ad Missam de die.[1]

Offertorium. Luc. 1 Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui.

sine Versu vel quodvis aliud ad placitum [2]per totum annum ad Missam quotidie de eadem. Idem de Communione observetur.[2]

Secreta.

In méntibus nostris, quæsumus, Dómine, vera fídei sacraménta confírma; ut qui concéptum de vírgine Deum verum et hóminem fírmiter confitémur, per ejúsdem salutíferæ incarnatiónis poténtiam ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per eúndem.

Præfatio. Et te in veneratióne.

Et dicitur hæc Præfatio quotidie in capella et etiam in commemorationibus ejusdem per totum annum, nisi a Nativitate Domini usque ad Purificationem.

Communio. Esai. 7 Ecce virgo concípiet et páriet Fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio.

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde; ut qui, ángelo nuntiánte, Christi Filii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem.

[3]Hæc prædicta Postcommunio, scilicet Grátiam tuam, dicitur in tempore Paschali usque ad vigiliam Ascensionis Domini exclusive, quando post aliquam Missam fit memoria de beata Maria cum Officio Salve sancta parens.[3]

Notandum est, quod in omnibus festis beatæ Mariæ per totum annum, et quotidie infra octavas et in octavis ejusdem, dicitur eadem Missa in capella quæ dicenda est in choro: ita tamen quod epistola non mutetur per octavas.

Ad Missam de sancta Maria in die Nativitatis Domini et quotidie abhinc usque ad Purificationem, in capella et in choro quando fit plenum servitium de ea.

Officium. Ps. 44

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

[1] in choro.—94. 97. 98.
[2] non habent 92. 4L. 15. 57. Grad.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.

Psalmus. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

Quando autem dicitur Glória in excélsis cum versu Spíritus et alme, habet dici omnibus sabbatis in capella cum[1] hoc cantu.

In choro autem quater in anno; videlicet in ultima commemoratione beatæ Virginis ante Adventum Domini, et ante Septuagesimam; et tunc dicitur Spíritus et alme orphanórum a toto choro cum versibus sequentibus. Dicetur etiam in choro in Octavis Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ a tribus clericis de superiori gradu in superpelliciis ad gradum chori.

Et sciendum est quod quandocunque dicitur, in choro vel extra, Versus Spíritus et alme, dicitur super Kýrie cantus de Kýrie omnípotens, et iste sequens cantus super Sanctus cum hac additione Benedíctus Maríæ Fílius; et dicitur iste cantus super Agnus.

Oratio.

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fecúnda humáno generi prǽmia præstitísti; tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: Ad Titum. c. 3

Caríssime, Appáruit benígnitas [2]et humánitas[2] Salvatóris nostri Dei. Non ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secúndum suum misericórdiam salvos nos fecit. Per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti quem effúdit in nos abúnde, per Jesum Christum Salvatórem nostrum. Ut justificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ, in Christo Jesu Dómino nostro.

Gradale. Ps. 44 Speciósus forma præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi: lingua mea cálamus scribæ velóciter scribéntis.

Allelúya. ℣. Post partum virgo inviolǽta permansísti: Dei génitrix, intercéde pro nobis.

Hoc Allelúya dicitur in commemoratione beatæ Mariæ in choro in tempore Nativitatis Domini, et etiam quotidie in capella. Item in die Purificationis dicitur Allelúya. ℣. Adorabo in choro et in capella, ut supra in eodem die Purificationis.

Quandocunque enim fit plenum servitium de sancta Maria, dicitur una ex istis Sequentiis per ordinem.

Sequentia.

Post partum, Virgo Maria
Dei genitrix fecunda
gratia tonantis plena.
Ave terrarum Domina,
alma cœlorum Regina.
Tibi æthera
omnisque sanctorum turma
depromat symphonia.
Tellus flumina
atque sylvarum nemora
resultant voce sua.
Salve, Parens inclyta,
felix puerpera.
Per te lux et veritas
mundo est edita.
Tu Jesu in papilla
lactasti sacri,

[1] cantu qui continetur in magno Missali de nostra Domina.—26.
[2] non habent 94. 98.

extans virgo feta,
mater intacta.
Unde nostris eya
fave votis, Domina,
Christum interpellans
pro salute humana.
Per te, mater, aboleri
filiorum flagitamus crimina,
Nosque omnes introduci
sempiterna Paradisi gaudia,
Quo perennis vitæ
perfruamur gloria.
Amen.

Alia Sequentia.

AVE Maria, gratia plena;
Dominus tecum, Virgo serena.
Benedicta tu in mulieribus,
Quæ peperisti pacem hominibus et angelis
gloriam.
Et benedictus fructus ventris tui,
Qui coheredes ut essemus sui
nos fecit per gratiam.
Per hoc autem ave
mundo tam suave,
contra carnis jura,
Genuisti prolem,
novum stella solem,
nova genitura.
Tu parvi et magni
leonis et Agni
Salvatoris Christi
templum extitisti
sed virgo intacta.
Tu floris et Roris
Panis et Pastoris,
virginum Regina
rosa sine spina,
genitrix es facta;
Tu civitas Regis justitiæ,
Tu mater es misericordiæ,
Theophilum reformans gratiæ
De lacu fæcis et miseriæ.
Ergo maris Stella,
verbi Dei cella,
et solis aurora,
Paradisi porta,
per quam lux est orta,
Natum tuum ora,
Nos ut solvat a peccatis
et in regno claritatis
quo lux lucet sedula
collocat per sæcula.
Amen.

Alia Sequentia.

LÆTABUNDUS exsultet
fidelis chorus,
[1]alleluya;[1]
Regem regum intactæ
profudit thorus,
res miranda.
Angelus consilii
natus est de virgine,
sol de stella.
Sol occasum nesciens,
stella semper rutilans,
semper clara.
Sicut sidus radium,
profert virgo Filium,
pari forma.
Neque sidus radio,
neque mater Filio,
fit corrupta.
Cedrus alta Libani
conformatur hyssopo
valle nostra.
Verbum ens Altissimi
[2]corporari[2] passum est
carne sumpta.
Esaias cecinit,
synagoga meminit,

[1] Nota; in Septuagesima pro *Alleluya* dicitur *Die ista*.—98.
[2] corporali.—13.

nunquam tamen desinit
esse cæca.
Si non suis vatibus
credat vel gentilibus
sibyllinis versibus
hæc prædicta.
Infelix propera,
crede vel vetera;
cur damnaberis,
gens misera?
Quem docet litera
[1]vatum[1] considera;
ipsum genuit
Puerpera. [2]Alleluia.[2]

[3]Alia Sequentia de sancta Maria.

SALVE, sancta parens
rosa spinis carens;
seda nobis bella;
ave, maris stella.
Dona nobis pacem,
mater, tu veracem;
juvamen tribue,
mutans nomen Evæ.
Mala nostra pelle,
trahens sine felle;
crimina ignosce,
bona cuncta posce.
Per te detur, mater,
Filius [4]nobis[4] et Pater,
ut qui ex te natus
tulit esse tuus.
Superbiam vita,
salus infinita,
suscipe tu fastos,
mites fac et castos.
Subleva tu clemens,
Salve virgo parens,
tecum sublevemur,
semper collætemur.
Ago tibi Patri
summas grates ratas;
almo nato [5]sonus,[5]
trinus honor unus.
Laudetur Dei Filius
patris Mariæ unicus,
colant adorent viscera
quem terra pontus æthera.
Surgamus omnes invicem;
flectamus iram vindicem;
subdantur illi singula,
cui luna sol et omnia.
Beata mater humilis,
excelsa super sidera,
fac nos purgatos crimine,
beata mater munere.
Præsta, virgo piissima,
lustrata almo flamine,
munitos redde Filio,
beata cœli nuntio.
Per te sumamus gaudia
et supernorum cantica,
psallentes Christi nomine,
gloria tibi, Domine.
O gloriosa Domina,
hirsutos hostes callidos
sternis collisa tartara,
confusa semper viscera.
Quod Eva tristis abstulit,
tu sola, mater, tribuis;
per te resumit populus
priores vires perditas.
Tu regis alti janua,
per quam intramus curiam,
jocunditatis gaudia
atque sanctorum civium.

[1] natum.—4L. 13. 57.
[2] non habent Grad. 4L.
[3] habetur in 13. 26.
[4] ita 13. 26. non habent 55P. 34.
[5] summus.—13.

Gloria tibi, Domine,
qui natus es de virgine;
cum Patre et Sancto Spiritu
in sempiterna sæcula. Amen.[3]

Alia Sequentia.

HAC clara die turma
festiva dat præconia,
Mariam concrepando
symphonia nectarea.
Mundi Domina quæ est sola
castissima virginum regina,
Salutis causa, vitæ porta,
atque cœli referta gratia.
Nam ad illam sunt nuncia olim facta angelica,
Ave Maria, gratia Dei plena per sæcula;
Mulierum pia
agmina intra
semper benedicta;
Virgo et gravida
mater intacta
prole gloriosa.
Cui contra Maria
hæc reddit famina;
In me quomodo tua
jam fient nuncia?
Viri novi nullam
certe copulam;
Ex quo atque nata
sum incorrupta.
[1]Diva[1] missus ita
reddit affata;
Flatu sacro plena
fies Maria;
Nova afferens gaudia
cœlo terræ nati per exordia,
Intra tui uteri claustra,
portans qui gubernat [2]æterna,[2]
Omnia qui dat tempora
pacifica.

[1] divæ.—55P. 57. 34.
[2] æthera.—94.

Alia Sequentia.

AVE, mundi spes, Maria;
ave mitis, ave pia,
ave plena gratia;
Ave virgo singularis,
quæ per rubum designaris,
non passum incendia.
Ave rosa speciosa,
ave Jesse virgula,
Cujus fructus nostri luctus
relaxavit vincula.
Ave, carens simili;
mundo diu flebili
reparasti gaudium.
Ave, cujus viscera
contra mortis fœdera
ediderunt Filium.
Ave virginum lucerna,
per quam fulsit lux superna,
his quos umbra tenuit.
Ave virgo, de qua nasci
et de cujus lacte pasci
Rex cœlorum voluit.
Ave, gemma cœli luminarium,
Ave, sancti Spiritus sacrarium.
O quam mirabilis
et quam laudabilis
hæc est virginitas;
In qua per Spiritum
facta Paraclytum
fulsit fecunditas.
O quam sancta, quam serena,
quam benigna, quam amena,
esse virgo creditur;
Per quam servitus finitur,
porta cœli aperitur,
et libertas redditur.
O castitatis lilium,
tuum precare Filium,
qui salus est humilium;

Ne nos pro nostro vitio
in flebili judicio
subjiciat supplicio;
Sed nos tua sancta prece
mundans a peccati fæce,
Collocet in lucis domo,
amen dicat omnis homo.

Alia Sequentia.

HODIERNÆ lux diei
celebris in matris Dei
agitur memoria.
Decantemus in hac die
semper virginis Mariæ
laudes et præconia.
Omnis homo, omni hora,
ipsam ora, et implora
ejus patrocinia;
Psalle, psalle, nisu toto,
cordis, oris voce, voto
Ave plena gratia,
Ave Domina cœlorum,
inexperta viri thorum,
parens paris nescia.
Fecundata sine viro,
genuisti modo miro
Genitorem filia.
Florens hortus austro flante,
porta clausi post et ante,
via viris invia.
Fusa cœli rore tellus,
fusum Gedeonis vellus,
Deitatis pluvia.
Salve splendor firmamenti;
tu caliginosæ menti
desuper irradia;
Placa mare, maris stella,
ne involvat nos procella
et tempestas obvia.[1]

Istæ [2]sex[2] Sequentiæ dicuntur quando fit plenum servitium de sancta Maria extra Adventum per totum annum, etiam in Septuagesima usque ad Caput jejunii. Nunquam enim dicitur Tractus ad missam de commemoratione beatæ Mariæ in Ecclesia Sarum sed semper Sequentia, etiam per totam Quadragesimam ad missam quotidianam de ea. Et tunc quamplures dicunt in dominicis, Ave præclara.

Evangelium: Secundum Lucam. c. 2

IN illo témpore, Pastóres loquebántur ad ínvicem; Transeámus usque Béthleem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dóminus et osténdit nobis. Et venérunt festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem, cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes qui audíerant miráti sunt, et de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum, in ómnibus quæ audíerant et víderant: sicut dictum est ad illos.

Offertorium. Ps. 44 Offeréntur regi vírgines post eam: próximæ ejus offeréntur tibi.

Secreta.

OBLATIS, Domine, muneribus, suppliciter deprecamur, ut qui veram Verbi tui incarnationem [3]fideliter[3] veneramur, veram ejusdem substantiam carnis ac sanguinis quam per Spiritum Sanctum virgo mater edidit, in hoc præsenti mysterio salubriter percipiamus. Per eundem.

Præfatio. Quia per incarnáti.

[1] Require has Sequentias infra octavas Assumptionis beatæ Mariæ.—92. 94. 97. 98. 57.
[2] septem.—13. 26.
[3] non habent 94. 97. 98.

Communio. Ps. 44 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio.

DA, quæsumus, misericors Deus, ejus nos continua intercessione vegetari, cujus integra virginitate suscepimus auctorem nostræ salutis Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

[1]Sequentes Memoriæ fiant per totum annum ad missam ejusdem in capella.

Secunda Oratio de Trinitate.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Qui vivis.

Tertia Oratio, pro episcopis vivis et subditis.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus; præténde super fámulos tuos pontífices et super cunctas congregatiónes illis commíssas Spíritum grátiæ salutáris; et ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Dóminum.

Quarta Oratio, pro benefactoribus defunctis.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, unica salus mortalium; te supplices exoramus pro animabus famulorum famularumque tuarum, parentum et benefactorum nostrorum; ut, interveniente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, peccatorum eis largiri digneris indulgentiam; et in novissimo die beatæ resurrectionis lætitiam. Per eundem.

Quinta Oratio generalis, pro vivis et defunctis.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet vel futúrum jam exútos córpore suscépit, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam et gáudia cónsequi mereántur ætérna. Per.

De Trinitate.

Secreta.

SANCTÍFICA, quæsumus, Dómine Deus, Trínitas sancta, per tui sancti nóminis invocatiónem hujus oblatiónis hóstiam; et per eam nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Qui vivis.

Pro episcopis vivis et subditis.

Secreta.

HÓSTIAS, quæsumus, Dómine, famulórum tuórum placátus inténde; et quas in honóre nóminis tui devóta mente pro eis celebrámus, profícere sibi séntiant ad salútem. Per.

Pro benefactoribus defunctis.

Secreta.

SANCTIFICA, quæsumus, Domine, hæc fidelium omnium vitalia sacramenta; et præsta, ut per ea, interveniente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, hoc ipsum proficiat animabus famulorum famularumqne tuarum, parentum et benefactorum nostrorum, ut ab omni-

[1] non habent 92. 94. 97. 98. 57.

bus vitiis expiatæ pabulo vitæ reficiantur æternæ. Per eundem.

Pro vivis et defunctis.

Secreta.

DEUS, cui soli cógnitus est númerus electórum in supérna felicitáte locándus; tríbue, quæsumus, ut universórum quos in oratióne commendátos suscépimus sive ómnium fidélium nómina, beátæ prædestinatiónis liber ascrípta retíneat. Per Dóminum.

De Trinitate.

Postcommunio.

PROFÍCIAT nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus noster, hujus sacraménti suscéptio, et sempitérnæ sanctæ Trinitátis ejusdémque indivíduæ Unitátis conféssio. In qua vivis et regnas.

Pro episcopis et subditis.

Postcommunio.

QUOS cœlésti récreas múnere, Dómine, perpétuo comitáre præsídio; et quos fovére non désinis, dignos fíeri sempitérna redemptióne concéde. Per Dóminum.

Pro benefactoribus.

Postcommunio.

VIVIFICET nos, quæsumus, Domine, salutare quo pasti sumus sacramentum; et, interveniente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, concede ut hoc ipsum proficiat animabus famulorum famularumque tuarum, parentum et benefactorum nostrorum ad promerendam propitiationis tuæ gratiam, et percipiendam futuræ resurrectionis gloriam sempiternam. Per eundem.

Pro vivis et defunctis.

Postcommunio.

PRO cœlestis convivii jocunditate gratias tibi referimus, rex et sacerdos noster, majestatem tuam humiliter rogantes; ut hæc sacrosancta corporis et sanguinis tui hostia non sit nobis reatus ad pœnam sed intercessio salutaris ad veniam; sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. Per te, salvator mundi, Rex gloriæ. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate.[1]

Ad Missam de sancta Maria a Purificatione usque ad Adventum Domini in capella et in choro quando fit plenum servitium de ea, nisi in festis et per octavas ejusdem.

Officium. [Sedulius, Carm. Pasch. 2. 63.]

SALVE, sancta parens, eníxa puérpera regem: qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum.

In tempore Paschali, allelúya.

Psalmus. Luc. 1 Benedícta tu in muliéribus: et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio.

CONCÉDE nos, fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis [1]salúte[1] gaudére; et gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Lectio libri Sapientiæ. Ecclus. 24

AB inítio et ante sæcula creáta sum; et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Hierúsalem potéstas mea. Et radicávi in

[1] sanitate.—26.

pópulo honorificáto, et in partes Dei mei heréditas illíus. Et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

Gradale. Benedícta et venerábilis es, María; quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.
℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis: in tua se clausit víscera factus homo.

Sciendum est, quod quando in tempore Paschali fiat de festo Annunciationis beatæ Mariæ in capella, erit primum Alleluya. ℣. Per te, Dei génitrix, et secundum Allelúya. ℣. Ave María. Item in die Assumptionis beatæ Mariæ, dominica infra octavas et in octava die, Allelúya. ℣. Hódie María virgo, in choro et in capella; et per octavas, Allelúya. ℣. Assumpta est, in choro et in capella. Item in Nativitate beatæ Mariæ, dominica infra octavas, et in octava die, Allelúya. ℣. Natívitas gloriósæ, in choro et in capella; et per octavas, Allelúya. ℣. Per te Dei génitrix, in choro et in capella.

Sciendum est, quod a Purificatione usque ad Septuagesimam, et a Deus ómnium usque ad Adventum Domini, quando fit plenum servitium de sancta Maria, quacunque feria contigerit semper dicitur sequens

Allelúya. ℣. Salve, virgo, mater Dei: templum Sancti Spíritus: quæ sola vocári [1]digne[1] meruísti regína cœlórum et dómina.
nisi in tempore Paschali; tunc enim semper erit primum
Allelúya. ℣. Per te, Dei génitrix, nobis est vita pérdita data: quæ de cœlo suscepísti prolem et mundo genuísti Salvatórem.
et secundum Allelúya quando fit plenum servitium, erit de Resurrectione, sicut de uno festo cum regimine chori; et dicitur Sequentia una de supranotatis.

In capella autem primum Allelúya. ℣. Per te, Dei génitrix. Secundum vero Allelúya diversimode dicitur per totam hebdomadam; videlicet,

Die dominica.

Alleluya. ℣. Obtine sacris precibus, pia Dei genitrix, veniam delictorum tuis supplicibus.

Feria secunda.

Alleluya. ℣. Post partum virgo inviolata permansisti: Dei genitrix, intercede pro nobis.

Feria tertia.

Allelúya. ℣. Ora pro nobis, pia virgo María: unde Christus natus est, pro nobis peccatóribus ora.

Feria quarta.

Allelúya. ℣. Virtútes cœli te veneránturvirgo María: tuum unigénitum contemplántes ad déxteram Dei Patris in potestáte et majestáte magna.

Feria quinta.

Allelúya. ℣. Veni, elécta mea, et ponam te in thronum meum: quia concupívit rex spéciem tuam.

Feria sexta.

Allelúya. ℣. Salve, virgo, ut supra.

Sabbato.

Allelúya. ℣. Virga Jesse flóruit: virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit: in se reconcílians ima summis.

Ista septem Allelúya dicuntur in capella beatæ Mariæ a Purificatione usque ad Adventum Domini, extra Septuagesimam usque ad Pascha; nisi quod [2]extra[2] tempus Paschæ in loco illius Allelúya. ℣. Post partum. dicatur Allelúya. ℣. Per te Dei génitrix: ut supra, et exceptis temporibus

[1] digna.—13. 26.
[2] infra.—94. 97. 98.

prænominatis. Similiter in tempore Paschali quando celebratur missa de sancta Maria sine nota vel post missam fit memoria, tunc primum Alleluya erit ℣. Per te, Dei génitrix, et secundum Allelúya. ℣. Post partum virgo. In hebdomada Paschæ etiam semper dicitur Gradale, Benedícta et venerábilis, ad missam quotidianam de sancta Maria usque ad sabbatum et non in ipso sabbato. Sequentia dicitur per ordinem una de septem Sequentiis supranotatis vel quævis alia per totum annum ad placitum.

Secundum Lucam. c. 11

In illo témpore, Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi; Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit; Quinímo, beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Aliud Evangelium in tempore Paschali: Secundum Johannem. c. 19

In illo témpore, Stabant juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dixit matri suæ; Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dixit discípulo; Ecce mater tua. Et ex illa hora, accépit eam discípulus in [1]suam.[1]

Offertorium. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ Christus Deus noster, allelúya.

Et finiatur cum allelúya quandocunque dicitur, extra Septuagesimam usque ad Pascha, et nisi in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ tantum.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio. Et te in veneratióne.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

In tempore Paschali, Communio.

Vera fides Geniti
purgavit crimina mundi:
et tibi virginitas
inviolata manet,
alleluya, alleluya.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da, quæsumus, ejus patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Missa pro pace.

Ad Missam: Officium. Eccli. 36

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te: ut prophétæ tui fidéles inveniántur exáudi preces servi tui et plebis tuæ Israel.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.[2]

Oratio.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandátis tuæ dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

[1] ita 97. etc. sua.—98. 4PV. V.
[2] in talibus missis, nisi in commemorationibus.—98. Kyrie eleison.—26.

Lectio libri Machabæorum. 2 c. 1

In diébus illis, Oratiónem faciébant sacerdótes dum offerrent sacrifícium pro pópulo Israel, Jonatha inchoánte, cæteris autem respondéntibus, et dicéntibus; Benefáciat vobis Deus et memínerit testaménti sui, quod ad Abraham et Isaac et Jacob locútus est servórum suórum fidélium. Et det vobis cor ómnibus ut colátis eum et faciátis ejus voluntátem. Adapériat cor vestrum in lege sua et in præcéptis suis, et fáciat pacem. Exáudiat [1] oratiónes vestras et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, Dóminus Deus vester.

Gradale. Ps. 121 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus.

℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúya. ℣. Ps. 147 Qui pósuit fines tuos pacem: et adipe fruménti sátiat te.

Secundum Johannem. c. 16

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis; Ecce venit hora et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. Et non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Sed confidite, quia ego vici mundum.

Offertorium. Ps. 84 Deus, tu [2]convértens[2] vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Secreta.

Deus, qui credéntes in te pópulos nullis sinis cóncuti terróribus; dignáre preces et hóstias dicátæ tibi plebis suscípere; ut pax tua pietáte concéssa, Christianórum fines ab omni hoste fáciat esse secúros. Per Dóminum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis et fiet vobis.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Deus, auctor pacis et amátor, quem nosse vívere, cui servíre regnáre est; prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos; ut qui in defensióne tua confídimus, nullíus hostilitátis arma timeámus. Per Dóminum.

Missa pro rege.

Ad Missam: Officium. Ps. 83

Protéctor noster áspice, Deus: et réspice in fáciem Christi tui quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

In tempore Paschali, allelúya, allelúya.

Psalmus. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Oratio.[3]

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus rex noster N., qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula,

[1] Dominus.— 97. 98.
[2] conversus.—4L. 57. V.
[3] Quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut rex noster Henricus octavus qui tua miseratione regni suscepit gubernacula, virtutum omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, vitiorum voraginem devitare, corporis incolumitate gaudere, hostes superare, et in tranquilla pace dum in humanis aget, tam feliciter possit sua tempora pertransire ut post hujus vitæ decursum, ad te qui via, veritas, et vita es, gratiosus valeat pervenire. Alia Oratio.—12. 20.

virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, et vitiórum voraginem devitáre, et hostes superáre, et ad te qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum.

Epistola. Oratiónem faciébant sacerdótes. ut supra in Officio præcedenti.

Gradale. Ps. 85 Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.
℣. Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam.
Allelúya. ℣. Ps. 58 Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me.

Secundum Marcum. c. 11

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen dico vobis, quia quicúnque díxerit huic monti; Tóllere, et míttere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúnque díxerit fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis, Omnia quæcúnque oántes pétitis, crédite quia accipiétis, et evénient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite siquid habetis adversus aliquem: ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.

Offertorium. Ps. 54 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me et exáudi me.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

[1]Secreta.[1]

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica; ut et nobis unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et famulo tuo N. regi nostro, ad obtinendam animæ corporisque salutem et ad peragendum injunctum sibi officium, te largiente usquequaque proficiant. Per eundem. Qui tecum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid oántes pétitis, crédite quia accipiétis et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.[2]

Hæc, Domine, salutaris sacramenti perceptio famulum tuum regem nostrum N. ab omnibus, quæsumus, tueatur adversis, quatenus et ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post istius temporis decursum ad æternam perveniat hereditatem. Per Dominum nostrum.

Ad invocandum gratiam Spiritus Sancti.

Ad Missam: Officium. Sap. 1

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúya: et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis, allelúya, allelúya, allelúya.

Ps. 67 Exsúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.[3]

[1] Secretum. Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica, ut nobis unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et famulo tuo Henrico octavo regi nostro ad obtinendum animæ oorporisque salutem et ad peragendum in firma fide et solida pace injunctum sibi officium, te largiente, usquequaque proficiant. Aliud Secretum.—12. 20.

[2] Hæc, quæsumus, Domine, salutaris sacramenti perceptio famulum tuum Henricum octavum regem nostrum ab omnibus tueatur adversis, quatenus diuturnam et prosperam vitam in tranquillitate ecclesiasticæ pacis obtineat, et post hujus vitæ decursum ad æternam beatitudinem, tua gratia cooperante, perveniat. Alia Postcommunio.—12. 20.

[3] A lxx usque ad Pascha, Officium patet in Commemoratione Spiritus sancti.—98.

Oratio.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum; purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, ut perfécte te dilígere et digne laudáre mereámur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Ad Corinthios. 1 c. 12

FRATRES, Unicuíque datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ; álii sermo sciéntiæ, secúndum eúndem Spíritum: álteri fides, in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum, in eódem Spíritu: álii operátio virtútum: álii prophétia: álii discrétio spirítuum: álii génera linguárum: alii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Gradale. Ps. 32 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum, pópulus quem elégit Dóminus in hereditátem sibi.
℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt; et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum.
Allelúya. ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Secundum Johannem. c. 4

IN illo tempore, Dixit Jesus mulieri Samaritanæ; Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Offertorium. Ps. 103 Emítte Spíritum tuum et creabúntur: et renovábis fáciem terræ: sit glória Dómini in sæcula.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

HÆC oblátio, Dómine Deus, quæsumus, cordis nostri máculas emúndet: ut Sancti Spíritus digna habitátio efficiátur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Communio. Johan. 14 Spíritus Sanctus docébit vos ómnia, allelúya: quæcúnque díxero vobis, allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SACRIFÍCIUM salútis nostræ tibi offeréntes, concéde nobis, quæsumus, Dómine, per grátiam Sancti Spíritus purificátis méntibus sæpius tuæ pietátis celebráre mystérium. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Ad Missam pro seipso.

Ad Missam: Officium. Ps. 53

DEUS, in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua júdica me: Deus, exáudi oratiónem meam.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me: et fortes quæsiérunt ánimam meam.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui me peccatórem sacris altáribus adstáre voluísti, et sancti nóminis tui laudáre poténtiam; concéde, queeso, per hujus sacraménti mystérium meórum mihi véniam peccatórum, ut tuæ majestáti digne ministráre mérear. Per Dóminum.

Ad Romanos. c. 7

FRATRES, Condeléctor legi Dei secúndum interiórem hóminem: Vídeo

autem áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, et [1]captivum me ducéntem[1] in legem peccáti quæ est in membris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de [2]morte córporis[2] hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Gradale. Ps. 70 Esto mihi in Deum protectórem et in locum refúgii: ut salvum me fácias.

℣. Deus, in te sperávi, Dómine: non confúndar in ætérnum.

Allelúya. ℣. Ps. 58 Eripe me de inimícis meis, Dómine Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me.

Secundum Johannem. c. 15

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

Offertorium. Ps. 5 Inténde voci oratiónis meæ, rex meus et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.

In tempore Paschali,

Allelúya. ℣. Verba mea áuribus pércipe, Dómine: intéllige clamórem meum et exáudi me.

Secreta.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique sacrificium contriti cordis offerri; hoc sacrificium quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare; et ut ipse tibi hostia et sacrificium esse merear, miseratus concede; quod per mysterii hujus exhibitionem peccatorum omnium percipiam remissionem. Per.

Communio. Ps. 18 Ab occúltis meis munda me, Dómine: et ab aliénis parce servo tuo.

In tempore Paschali, Allelúya.

Postcommunio.

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus meis, et per hujus divini sacraménti carnis et sánguinis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi quod indígnus sumpsi mystérium; grátia Sancti Spíritus illúmina cor meum, ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere et sempitérna gáudia percípere mérear. Per Dóminum. In unitáte.

Item pro semetipso, alia Oratio, non Sarum, Suppliciter te, Deus, ut sequitur post.

Missa ad poscendum donum Spiritus Sancti.

Ad Missam: Officium. Rom. 5

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus vestris, allelúya: per [3]inhabitántem Spíritus ejus in[3] vobis, allelúya, allelúya.

Ps. 87 Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi et nocte coram te.[4]

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui justitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo scribis; da nobis fidei,

[1] captivum me dicentem.—98. 57. captivantem me.—92. V.
[2] ita 26. etc. corpore mortis.—92. 55P. V.
[3] Spiritum Sanctum qui datus est.—V.
[4] A lxx usque ad Pascha, Officium patet in Commemoratione Spiritus Sancti.—98.

spei, et caritatis augmentum; et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum.

Ad Corinthios. I c. 13

FRATRES, Cáritas pátiens est, benígna est. Cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas nunquam éxcidit: sive prophétiæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur: ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus; cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænigmáte: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte: tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas: tria hæc; major autem horum est cáritas.

Gradale. Ps. 8 Dómine, Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cœlos.

Allelúya. ℣. Ps. 87 Dómine, Deus salútis meæ, in die clamávi: et nocte coram te.

Secundum Johannem. c. 13

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quæretis me, et sicut dixi Judæis, Quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, Ut diligatis invicem; sicut dilexi vos, ut et vos invicem diligatis. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus; Domine, quo vadis? Respondit Jesus; Quo ego vado[1] non potes me modo sequi: sequeris autem postea.

Offertorium. Ps. 145 Lauda ánima mea Dominum: laudábo Dóminum in vita mea: psallam Deo meo quámdiu ero.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

EMITTE, quæsumus, Domine, Spiritum caritatis, qui et hæc præsentia munera nostra tuum nobis efficiat sacramentum; et ad hoc percipiendum corda nostra purificet. Per Dominum. In unitate.

Communio. Matth. 6 Primum quærite regnum Dei: et ómnia adjiciéntur vobis, dicit Dóminus.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SPIRITUM nobis, Domine, tuæ caritatis infunde; ut quos vino et pane cœlesti satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Missa pro [2]peccatoribus.[2]

Ad Missam: Officium. Ps. 129

I iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit: quia apud te propitiátio est, Deus Israel.

Psalmus. De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Oratio.

EXÁUDI, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem. Per Dóminum.

[1] tu.—97. 98. 57.
[2] peccatis.—92. 94. 97. 98.

Ad Romanos.
c. 5

FRATRES, Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis, reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem; sed et gloriamur in Deo per Jesum Christum Dominum nostrum.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes, ubi est Deus eórum.
℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.
Allelúya. ℣. Ps. 84 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Secundum Lucam.
c. 5

IN illo témpore, Vidit Jesus publicánum nómine Levi sedéntem ad thelóneum, et ait illi; Séquere me. Et relíctis ómnibus, surgens secútus est eum. Et fecit ei convívium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa publicanórum et aliórum qui cum illis erant discumbéntes. Et murmurábant Pharisæi et scribæ eórum, dicéntes ad discípulos ejus; Quare cum publicánis et peccatóribus manducátis et bíbitis? Et respóndens Jesus, dixit ad illos; Non egent qui sani sunt médico, sed qui male habent. Non enim veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam.

Offertorium. Ps. 84 Deus, tu convértens vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

HÓSTIAS tibi, Dómine, placatiónis offérimus; obsecrántes, ut et delícta nostra miserátus absólvas, et nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Communio. Ps. 30 Inclína aurem tuam: accélera ut éruas nos.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, ætérne Salvátor, ut percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum, deínceps peccáta vitémus. Per Dóminum nostrum.

Missa pro pœnitentibus.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

USTUS es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, confitenti tibi famulo tuo N. pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei valeat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Ad Galatas. c. 6

FRATRES, Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spirituáles estis, instrúite hujúsmodi in spíritu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris. Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

Gradale. Ps. 85 Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.
℣. Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam.

Alleluya. ℣. Ps. 113 Qui timent Dóminum, sperent in eam: adjútor eórum et protéctor eórum est.

Secundum Matthæum. c. 9

IN illo tempore, Discumbente Jesu in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum eo et discipulis [1]ejus.[1] Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis [2]suis;[2] Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? At Jesus audiens, ait; Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est, misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos sed peccatores.

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te. Psállite Dómino qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónem páuperum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut hæc salutaris oblatio famulum tuum N. et a propriis reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur adversis. Per.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid oránte pétitis crédite quia accipiétis et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui omnem animam pœnitentem et confitentem magis vis emendare quam perdere; respice propitius super hunc famulum tuum N.; et per hæc sacramenta quæ sumpsimus averte ab eo iram indignationis tuæ et omnia peccata sua ei dimitte. Per Dominum.

[1] suis.—92. 97. 98.
[2] ejus.—92. 26.

Missa pro inspiratione divinæ sapientiæ.

Ad Missam: Officium. Ps. 18

EX Dómini irreprehensíbilis, convértens ánimas; testimónium Dei fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Cœli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúnciat firmaméntum.

Oratio.

DEUS, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem cum non esset condidisti, perditumque misericorditer reformasti; præsta, quæsumus, ut eadem pectora nostra inspirante, te tota mente amemus, et ad te toto corde curramus. Per.

Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli. c. 1

CARÍSSIMI, Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo qui dat ómnibus affluénter et non impróperat; et dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris qui a ventu movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino.

Gradale. Ps. 33 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.

℣. Accédite ad eum et illuminámini; et fácies vestræ non confundéntur.

Allelúya. ℣. Ps. 84 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Secundum Johannem. c. 17

IN illo témpore, Sublevátis Jesus ócu-lis in cœlum, dixit; Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus clarífícet te. Sicut dedísti ei potestátem omnis

carnis, ut omne quod dedísti ei, det eis vitam ætérnam. Hæc est autem vita ætérna: Ut cognóscant te, solum verum Deum, et quem misísti Jesum Christum.

Offertorium. Ps. 118 Benedíctus es, Dómine, doce me justificatiónes tuas: benedíctus es, Dómine, doce me justificatiónes tuas, in lábiis meis pronunciávi ómnia judícia oris tui.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SANCTIFICETUR, quæsumus, Domine, hujus nostræ oblationis munus tua operante sapientia, ut tibi placere possit ad laudem, et nobis proficere ad salutem. Per Dominum.

Communio. Ps. 118 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

INFUNDE, quæsumus, Domine Deus, per hæc sancta quæ sumpsimus tuæ cordibus nostris lumen sapientiæ; ut te veraciter agnoscamus et fideliter diligamus. Per Dominum.

Missa pro tribulatione cordis.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

USTUS es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, qui contritorum non despicis gemitum, et mœrentium non spernis affectum; adesto precibus nostris, quas pietati tuæ pro tribulatione nostra offerimus; implorantes, ut nos clementer respicias, et solito pietatis tuæ intuitu tribuas ut quicquid contra nos diabolicæ [1]fraudes[1] atque humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum redigas, et consilio misericordiæ tuæ allidas; quatenus nullis adversitatibus læsi, sed ab omni tribulatione et angustia liberati, gratias tibi in ecclesia tua referamus consolati. Per Dominum.

Ad Corinthios. 2 c. 1

FRATRES, Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut póssimus et ipsi consolári eos qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis; ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

Gradale. Ps. 119 Ad Dóminum cum tribulárer clamávi: et exaudívit me.

℣. Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis: et a lingua dolósa.

Allelúya. ℣. Ps. 113 Qui timent Dóminum, sperent in eum: adjútor eórum et protéctor eórum est.

Secundum Johannem. c. 16

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Amen, amen, dico vobis: quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium.[2] Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit púerum, jam non méminit pressúræ, propter gáudium quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis;

[1] non habent 92. 94. 97. 98.
[2] Ita clauditur Evangelium in 92.

íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Offertorium. Ps. 33 Immíttit ángelus Dómini in circúitu timéntium eum: et erípiet eos; gustáte et vidéte quóniam suavis est Dóminus.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

DEUS, qui tribulatos corde sanas et mœstificatos actu lætificas; ad hanc propitius hostiam dignanter attende, per quam totius mundi voluisti relaxare delicta, et pro tribulatione nostra eam clementer assume; cunctaque crimina nostra solve; tribulationem nostram adime; miserias pelle; angustias et pressuras amove; ut exuti ab omnibus quæ patimur malis, in tuis semper delectemur exsultare beneficiis. Per Dominum.

Communio. Ps. 129 Rédime me, Deus Israel: ex ómnibus [1]tribulatiónibus[1] meis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

DIMITTE, quæsumus, Domine [2]Deus,[2] peccata nostra, et tribue nobis misericordiam tuam; orisque nostri alloquio exoratus, humilitatem nostram attende, vincula solve, delicta dele, tribulationem inspice, adversitatem repelle, effectumque petitioni nostræ largiens, jugiter et clementer exaudi. Per.

Missa pro infirmo.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

USTUS es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.

[1] angustiis.—94. 97. 98. iniquitatibus.—V.
[2] non habent 4L. 57.
[3] in.—92. 97. 98. V.
[4] non habent 94. 97. 98.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, salus ætérna credéntium; exáudi nos pro fámulo tuo N. pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut réddita sibi sanitáte, gratiárum tibi in ecclésia tua réferat actiónem. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli. c. 5

CARÍSSIMI, Tristátur áliquis vestrum? oret æquo ánimo et psallat. Infirmátur quis [3]ex[3] vobis? indúcat presbýteros Ecclésiæ, et orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini: et orátio fídei salvábit infírmum, et alleviábit eum Dóminus: et si in peccátis sit, dimitténtur ei. Confitémini ergo altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem ut salvémini.

Gradale. Ps. 6 Miserére mihi, Dómine, quóniam infírmus sum: sana me, Dómine.

℣. [4]Quóniam[4] conturbáta sunt ómnia ossa mea: et ánima mea turbáta est valde.

Allelúya. ℣. Ps. 146 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum.

Evangelium: secundum Lucam. c. 4

IN illo témpore, Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam imperávit febri: et dimísit illam. Et contínuo surgens ministrábat illis. Cum sol autem occidísset, omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos.

Offertorium. Ps. 6 Dómine, convértere et éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

DEUS, cujus nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt; súscipe preces et hóstias fámuli tui N. pro quo [1]misericórdiæ tuæ implorámus auxílium;[1] ut de cujus perículo metúimus, de ejus salúte lætémur. Per.

Communio. Ps. 129 Rédime me, Deus Israel: ex ómnibus angústiis meis.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

DEUS, infirmitátis humánæ singuláre præsídium, auxílii tui super infírmum nostrum osténde virtútem; ut ope misericórdiæ tuæ adjútus, Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur. Per Dóminum.

Missa pro salute amici.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

USTUS es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, miserere famulo tuo N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ; ut te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per.
Epistola. Oratiónem faciebant, ut supra in Missa pro Pace.

Gradale. Ps. 85 Salvum fac servum tuum: Deus meus, speántem in te.
℣. Auribus pércipe oratiónem meam.
Alleluya. ℣. Ps. 113 Qui timent Dóminum, sperent in eum: adjútor eórum et protéctor eórum est.
Evangelium. Amen dico vobis; quicúnque díxerit huic monti, ut supra in Missa pro Rege.
Offertorium. Ps. 9 Sperent in te, omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino qui hábitat in Sion, quóniam non est oblítus oratiónem páuperum.
In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

PROFICIAT, quæsumus, Domine, hæc oblatio quam tuæ supplices offerimus majestati, ad salutem famuli tui N., ut tua providentia ejus vita inter prospera et adversa ubique dirigatur. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis: et fiet vobis.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

SUMENTES, Domine, perpetuæ sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulum tuum N. ab omni adversitate protegas. Per.
[2]Aliæ Orationes pro Amico.
Oratio. Deus, qui justificas impium, ut infra fol. 659.[2]

Missa pro serenitate aeris.

Ad Missam: Officium.

ALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáu-

[1] misericordiam tuam ægrotante imploramus.—4L. 57.
[2] non habent 92. 4L. 15. 57.

diam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Ps. 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

Ad te nos, Dómine, clamántes exáudi; et aeris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte cleméntiam sentiámus. Per Dóminum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.
Thren. c. 2 et 3

In diebus illis, Locutus est Hieremias propheta dicens; Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum;[1] effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Leva ad eum manus tuas pro animabus parvulorum tuorum qui [2]defecerunt fame[2] in capite [3]omnium compitorum.[3] Vide, Domine, et considera, quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? Si occiditur in sanctuario [4]Domini[4] sacerdos et propheta? Formido et laqueus facta est nobis; vaticinatio et contritio. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione [5]filiæ[5] populi mei. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies; donee respiceret et videret Dominus de cœlis. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi, perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo et [6]clamore.[6] Appropinquasti in die qua invocavi te: dixisti, ne timeas. Judicasti causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ, Domine Deus meus.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes, Ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 89 Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.

Evangelium: secundum Lucam. c. 8

In illo tempore, Factum est in una dierum, et Jesus ascendit in naviculam, et discipuli ejus. Et ait ad illos; Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. Navigantibus autem illis, obdormivit. Et descendit procella venti in stagnum, et [7]compellebantur fluctibus,[7] et periclitabantur. Accedentes autem, suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens increparit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit. Et facta est tranquillitas. Dixit autem illis;[8] Ubi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt adinvicem, dicentes; Quis putas hic est, quia et ventis imperat et mari, et obediunt ei?

Offertorium. Ps. 137 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum

[1] tuarum et.—97. 98.
[2] fame defecerunt.—97. 98. fame pereunt.—92. defecerunt in fame.—V.
[3] platearum.—97. 98.
[4] Dei—97. 98.
[5] fidelis.—97. 98.
[6] clamoribus.—97. 98. V.
[7] complebantur.—Vulg.
[8] Jesus.—97. 98.

exténdes[1] manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

EXAUDI, Domine, preces nostras et suscipe vota populi tui; et jube imbres inundantium cessare pluviarum; flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte mysterii; ut qui se regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his castigationibus esse correctos. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis, quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis: et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, benignus exaudi; et per hujus virtutem sacramenti pacem tuam nobis nuntiet purgati aeris serena tranquillitas; ut qui delinquentes verberas, peccata confitentibus parcas. Per Dominum.

Missa pro pluvia petenda.

Ad Missam: Officium. Ps. 104

ÆTÉTUR cor quæréntium Dóminum: quærite Dóminum et confirmámini, quærite fáciem ejus semper.

In tempore Paschali, Allelúya.

Psalmus. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Oratio.

DEUS, in quo vívimus, movémur et sumus, plúviam nobis tríbue congruéntem; ut præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Per Dóminum.

[1] extendisti.—26. V.

Lectio Hieremiæ prophetæ. c. 14

IN diebus illis, Oravit Hieremias propheta dicens; Numquid projiciens abjecisti Judam? aut Sion abominata est anima tua? Quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? Exspectavimus pacem, et non est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio. Cognovimus, Domine, impietates nostras et iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam. Solii gloriæ tuæ recordare; ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres, nisi tu volueris? Nonne tu es Dominus Deus noster quem exspectavimus? Tu enim fecisti omnia hæc, Domine Deus noster.

Gradale. Ps. 144 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno.

℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúya. ℣. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

Secundum Matthæum. c. 6

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis, Nolíte sollíciti esse dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia, gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primum regnum Dei et justítiam ejus: et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Offertorium. Ps. 77 Portas cœli apéruit Dóminus et pluit illis manna ut éderent: panem cœli dedit illis: panem angelórum manducávit homo.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

OBLATIS, Domine, placare muneribus; et opportunum nobis tribue pluviæ sufficientis auxilium. Per.

Communio. Ps. 103 De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra, ut edúcas panem de terra: et vinum lætíficet cor hóminis, ut exhiláret fáciem in óleo: et panis cor hóminis confírmet.

In tempore Paschali, Allelúya.

Postcommunio.

DEUS, qui pluis super justos et injustos; nostris etiam offensionibus per hæc sacramenta relaxatis, exspectata, quæsumus, imbrium munera largiaris; quibus et salus nobis et alimenta præstentur. Per Dominum.

Missa tempore belli.

Ad Missam: Officium. Ps. 24

REMINÍSCERE miseratiónum tuárum, Dómine: et misericórdiæ tuæ quæ a sæculo sunt: ne unquam dominéntur nobis inimíci nostri líbera nos, Deus Israel, ex ómnibus angústiis nostris.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Oratio.

DEUS, regnórum ómnium regúmque dominátor, qui nos et percutiéndo sanas et ignoscéndo consérvas: præténde nobis misericórdiam tuam; ut tranquillitáte pacis tua potestáte firmáta, ad remédia correctiónis utámur. Per Dóminum.

Lectio libri Hesther. c. 13

IN diebus illis, Oravit Hester ad Dominum dicens; Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Si decreveris salvare nos, continuo liberabimur. Tu enim, Domine, fecisti cœlum et terram, et universa quæ cœli ambitu continentur. Tu es Dominus omnium, et non est qui resistat voluntati tuæ. Et nunc, Domine, rex regum, Deus Abraham, miserere populo tuo, quia volunt nos inimici nostri perdere et hereditatem tuam delere. Ne despicias partem quam redemisti tibi; sed exaudi deprecationem nostram, et propitius esto sorti et funiculo hereditatis tuæ. Et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum. Et ne claudas ora canentium te, Domine Deus noster.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes, ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 84 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam; et salutáre tuum da nobis.

Evangelium. Amen dico vobis, quia quicúnque díxerit. ut supra in Missa pro rege, fol. 644.

Offertorium. Ps. 84 Deus, tu [1]convértens[1] vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te; osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Secreta.

HDESTO, quæsumus, Dómine, propitius populo tuo; et quem mysteriis cœlestibus et sacramentis imbuis, per hæc munera quæ tibi offert devotus, a furore cunctorum hostium tua miseratione defende. Per Dominum.

[1] ita 26. etc. conversus.—55P. V.

Communio. Ps. 30 Inclína aurem tuam: accélera ut éruas nos.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

CORPORIS et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sacrosancta refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut hoc remedio singulari ab omni peccatorum nos contagione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum. Per eundem.

Missa pro eo qui in vinculis tenetur.

Ad Missam: Officium. Act. 12

NUNC scio vere quia misit Dóminus ángelum suum et erípuit me de manu Heródis: et de omni exspectatióne plebis Judæórum.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Et Petrus ad se revérsus dixit.

Oratio.

DEUS indulgentiæ, Deus totius consolationis, te supplices deprecamur ut famulum tuum N. a cunctis peccatorum suorum nexibus et ab his quibus captus tenetur inimicorum suorum vinculis (intercedente beata Dei genitrice Maria et beatis apostolis [1]tuis[1] Petro et Paulo atque Johanne) benignus absolvas, emendatumque paterna pietate suscipias, et ad gaudia æterna perducas. Per eundem.

Lectio Actuum Apostolorum. c. 12

IN diebus illis, Egressus Petrus de carcere venit ad domum Mariæ matris Johannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad videndum eum nomine Rode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nunciavit Petrum stare ante januam. At illi dixerunt ad eam; Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere.

Gradale. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.
℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.
Allelúya. ℣. Solve jubénte Deo terrárum, Petre, catenas:
Qui facis ut páteant cœléstia regna beátis.

Secundum Matthæum. c. 16

IN illo témpore, Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi; et interrogábat discípulos suos dicens; Quem dicunt hómines esse Fílium Hóminis? At illi dixérunt; Alii Johánnem Baptístam, álii autem Helíam, álii vero Hieremíam, aut unum ex prophétis. Dixit illis Jesus; Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit; Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei; Beátus es Simon Barjona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum. Et quodcúnque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis. Et quodcúnque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis.

Offertorium. Ps. 44 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui[2] in omni progénie et generatióne.
In tempore Paschali, Allelúya.

[1] non habent 94. 97. 98.
[2] Domine.—92. 4L. 13. 15. 57.

Secreta.

HÆC, Domine, placationis et laudis hostia famulum tuum N. in te confidentem ab omnibus purget peccatorum sordibus, et ab inimicorum suorum quibus premitur insidiis et vinculis (sanctæ Mariæ et beatorum apostolorum [1]tuorum[1] Petri et Pauli atque Johannis precibus) liberum, innocuum atque absolutum esse constitue. Per eundem.

Communio. Matth. 16 Tu es Petrus: et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

In tempore Paschali, Alleluya.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut hoc munus redemptionis nostræ quod indigni [2]sumpsimus,[2] famulum tuum N. (intercedente beata Dei genitrice Maria et beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Johanne) ab omnibus muniat periculis, et ab angustiis quas patitur et vinculis illæsum abire faciat. Per eundem Dominum.

Missa contra mortalitatem hominum.

Ad Missam: Officium.

SALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos et ero illórum Dóminus in perpétuum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

DEUS, qui imminentem Ninivitis interitum sola misericordia removisti; quibus ut misericors exsisteres, conversionis pœnitentiam præstitisti; respice, quæsumus, populum tuum ante conspectum misericordiæ tuæ prostratum; ut quos Unigeniti tui sanguine redemisti, non patiaris propter misericordiam tuam mortalitatis interire supplicio. Qui tecum.

Lectio Hieremiæ prophetæ. c. 14[3]

SI iniquitates nostræ contenderint contra nos, Domine, libera nos; fac, quæsumus, propter nomen tuum, quoniam multæ sunt [4]aversiones[4] nostræ. Tibi peccavimus, exspectatio Israel, salvator noster in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos; ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster; et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 89 Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.

Secundum Lucam.c. 11

IN illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Pétite, et dábitur vobis: quærite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit invénit: et pulsánti aperiétur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpéntem dabit illi? Aut si petíerit ovum: numquid pórriget illi scor-

[1] non habent 94. 97. 98.
[2] præsumpsimus.—94. 98.
[3] In diebus illis, Oravit Hieremias, dicens.—94. 97. 98.
[4] adversiones.—98. 13. 15.

piónem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se?

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te; psállite Dómino qui hábitat in Sion quóniam non est oblítus clamórem páuperum.

In tempore Paschali, Alleluya.

Secreta.

ECCLESIÆ tuæ, quæsumus, omnipotens Deus, munus placatus intende; et misericordia tua nos potius quam ira præveniat; quia si iniquitates nostras observare volueris, nulla poterit creatura subsistere, sed admirabili pietate qua nos fecisti, opera manuum tuarum non sinas interire. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis: quicquid oránte pétitis, crédite quia accipiétis: et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, respice populum majestati tuæ subjectum; et ne nos furor sævientis mortis inveniat, sacramentorum tuorum perceptio sancta perficiat. Per Dominum nostrum.

Pro peste animalium.

Ad Missam: Officium.

ALUS pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúnque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero illórum Dóminus in perpétuum.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus 77 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Oratio.

DEUS, qui labóribus hóminum étiam de mutis animálibus solátia subrogásti; súpplices te rogámus, ut sine quibus non álitur humána condítio, nostris fácias úsibus non períre. Per Dóminum.

Epistola. Si iniquitátes, ut supra.

Gradale. Ps. 78 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequando dicant gentes ubi est Deus eórum.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúya. ℣. Ps. 89 Dómine, refúgium factus es nobis: a generatióne et progénie.

Evangelium. Pétite et dábitur vobis. ut supra in Missa præcedénti.

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino qui hábitat in Sion, quóniam non est oblítus clamórem páuperum.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SUBVENIAT nobis, Domine, quæsumus, sacrificii præsentis [1]oblatio;[1] quæ nos et ab erroribus universis potenter absolvat, et a totius eripiat perditionis incursu; ut et animalia quæ usibus nostris serviunt, tua potentia liberentur. Per Dominum.

Communio. Marc. 11 Amen dico vobis, quicquid oránte pétitis crédite quia accipiétis et fiet vobis.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

AVERTE, Domine, quæsumus, per hæc sancta quæ sumpsimus, a tuis fidelibus cunctos miseratus errores; et

[1] operatio.—92. 94. 4L. 15. 57.

[1]sævientium[1] [2]morborumque[2] grassatus in animalia depelle perniciem; ut quos suo merito flagellas devios, foveas tua miseratione correctos. Per.

Pro quacunque tribulatione

omnia fiant sicut in Missa pro tribulatione cordis, cum hac Oratione.

INEFFÁBILEM misericórdiam tuam nobis, Dómine, cleménter osténde; ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis quas pro his merémur benígnus erípias. Per Dóminum.

Secreta.

SACRIFICIA tibi, Domine, immolanda, quæsumus, corda nostra purificent, et indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, et de adversis prospera sentire perficiant. Per Dominum.

Postcommunio.

QUOS cœlesti munere, Domine, reficis, divina tuere virtute; ut tuis mysteriis perfruentes, nullis subdantur adversis. Per Dominum.

Pro amico.

Oratio.

DEUS, qui justíficas ímpium et non vis mortem peccatórum; majestátem tuam supplíciter deprecámur, ut fámulum tuum N. de tua misericórdia confidéntem cœlésti prótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves; ut tibi júgiter famulétur, et nullis tentatiónibus a te separétur. Per Dóminum.

Secreta.

HUJUS, quæsumus, Dómine, virtúte mystérii, et a própriis nos munda delíctis, et fámulum tuum N. ab ómnibus absólvas peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio.

PURÍFICENT nos, quæsumus, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus, et fámulum tuum N. ab omni culpa líberum esse concéde; ut qui consciéntiæ suæ reátu constringitur, cœléstis remédii plenitúdine gloriétur. Per Dóminum.

Pro infirmo proximo morti.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, conservator animarum, qui quos diligis corripis, et quos recipis pie ad emendationem coerces; te invocamus, Domine, ut medelam tuam conferre digneris, et ut anima famuli tui in hora exitus illius de corpore, absque peccati macula per manus sanctorum angelorum tuorum tibi repræsentari mereatur. Per Dominum.

Secreta.

ADESTO, quæsumus, Domine, pro pietate tua supplicationibus nostris, et suscipe hostiam quam tibi offerimus pro famulo tuo, salutem non corporis sed animæ suæ petenti; præsta, quæsumus, indulgentiam omnium iniquitatum suarum; ut, per hoc quod tibi offerimus sacrificium, a sanctis angelis ejus anima suscepta, ad tuæ gloriæ regnum pervenire mereatur. Per Dominum.

Postcommunio.

GRATIAS tibi agimus, Domine, refecti salutaribus sacramentis, quibus animas in te sperantium satiare consuevisti; et, confisi de pietate tua, supplici devotione precamur, ut misereri digneris famulo tuo, ne prævaleat adversus eum inimicus in hora exitus illius de corpore, sed transitum habere mereatur ad vitam. Per Dominum.

[1] sævientem.—94.
[2] ita 26. etc. morborum.—97. 55P.

Pro iter agentibus.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per Dóminum.

Secreta.

PROPITIÁRE, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes quas tibi offérimus pro fámulis tuis benígnus assúme; ut viam illórum et præcedénte grátia tua dírigas, et subsequénte [1]comitári[1] dignéris; ut de actu atque incolumitáte eórum secúndum misericórdiæ tuæ præsídia gaudeámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMPTA, quæsumus, Domine, cœlestis mysterii sacramenta ad prosperitatem itineris famulorum tuorum proficiant, et eos ad salutaria cuncta perducant. Per Dominum.

Pro Papa.

Oratio.

DEUS, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N. quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo et exémplo quibus præest profícere, ut ad vitam una cum grege sibi crédito pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta.

OBLÁTIS, quæsumus, Dómine, placáre munéribus; et fámulum tuum N. quem pastórem pópulo tuo esse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

HÆC nos, quæsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat; et fámulum tuum N. quem pastórem Ecclésiæ tuæ esse voluísti, una cum commísso sibi grege salvet semper et múniat. Per.

Pro Episcopo.

Oratio.

REGE, quæsumus, Domine, famulum tuum N. pontificem nostrum, et (intercedente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis) gratiæ tuæ in eo dona multiplica; ut ab omnibus liberetur offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis. Per Dominum.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, tibi munus oblatum, et (intercedente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis) famulum tuum N. pontificem nostrum tua propitius ubique miseratione conserva, atque ab omnibus quas meretur adversitatibus redde securum; ut, tranquillitate percepta, ab omnium [2]visibilium et[2] invisibilium inimicorum insidiis liberatus, devota tibi mente deserviat. Per eundem.

Postcommunio.

SUBJECTUM tibi famulum tuum N. pontificem nostrum, quæsumus, Domine (intercessione beatæ Dei genitricis Mariæ cum omnibus sanctis tuis) propitiatio cœlestis amplificet; ut et præsentis vitæ periculis exuatur et perpetuis donis firmetur. Per Dominum.

[1] comitare.—92. 4L. 13.
[2] non habent 92. 94.

[1]Item pro Episcopo.

Alia Oratio.

CONCEDE, quæsumus, Domine, famulo tuo episcopo nostro, ut prædicando et exercendo quæ recta sunt, exemplo bonorum operum animas suorum instruat subditorum, et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo pastore percipiat. Per Dominum nostrum.

Secreta.

MUNERA nostra, quæsumus, Domine, placatus suscipe, et famulum tuum episcopum nostrum gregemque sibi commissum benignus semper et ubique misericorditer protege. Per.

Postcommunio.

HÆC nos communio, Domine, purget a crimine, et famulum tuum episcopum nostrum et commissum sibi gregem benigna, quæsumus, pietate conserva. Per Dominum nostrum.[1]

Pro prælatis et subditis.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus; præténde super fámulos tuos pontífices et super cunctas congregatiónes illis commíssas Spíritum grátiæ salutáris; et ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Dóminum.

Secreta.

HÓSTIAS, quæsumus, Dómine, famulórum tuórum placátus inténde; et quas in honóre nóminis tui devóta mente [2]pro eis[2] celebrámus, profícere sibi séntiant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

QUOS cœlésti récreas múnere, Dómine, perpétuo comitáre præsídio; et quos fovére uon désinis, dignos fíeri sempitérna redemptióne concéde. Per Dóminum nostrum.

Item pro seipso: non Sarum.

Oratio.

SUPPLICITER te, Deus Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor; ut, dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor, manum mihi misericordiæ tuæ porrigas; quatenus dum ego hanc oblationem tuæ pietati pro peccatis meis offero, quod nequiter commisi tu, clementissime, digneris absolvere. Per.

Secreta.

DEUS misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ; indulge, quæso, et miserere mei servi tui; ut sacrificium quod pro peccatis meis offero, benigne digneris suscipere; et peccata quæ labentibus vitiis contraxi, pius et propitius ac miseratus indulgeas; et locum pœnitentiæ ac flumina lacrymarum mihi concedas, ut veniam a te merear accipere delictorum. Per Dominum.

Postcommunio.

DEUS, qui es vivorum salvator omnium, qui non vis mortem peccatorum nec lætaris in perditione morientium; te suppliciter deprecor, ut concedas mihi veniam delictorum meorum, ut admissa defleam et postmodum non admittam; ut cum mihi extrema dies finisque vitæ meæ advenerit, [3]emendatum[3] a delictis omnibus me angelus sanctitatis suscipiat. Per Dominum.

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 13. 26.
[3] emundatum.—94. 97. 98.

Pro tentatione carnis.

Oratio.

Ure igne Sancti Spíritus renes nostros et [1]cor nostrum,[1] Dómine; ut tibi casto córpore serviámus et mundo corde placeámus. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Secreta.

Dirúmpe, Dómine, igne Sancti Spíritus víncula peccatórum nostrórum; et ut sacrificáre tibi hóstiam laudis absolúta libertáte [2]ac munda mente[2] póssimus, retríbue quæ ante tribuísti; et salva nos per indulgéntiam quos dignátus es salváre per grátiam. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Dómine Deus, adjútor et protéctor noster, ádjuva nos per virtútem Sancti Spíritus tua sancta suméntes; ut reflóreat caro nostra vigóre pudicítiæ et sanctimóniæ novitáte; ereptámque de manu tártari in resurrectiónis gáudio júbeas præsentári. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Contra malas cogitationes.

Oratio.

Omnípotens mitíssime Deus, réspice propítius preces nostras, et líbera corda nostra de malárum cogitatiónum temptatióne; ut Sancti Spíritus dignum fíeri habitáculum mereámur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Secreta.

Has tibi, Dómine Deus, offérimus oblatiónes, pro salúte nostra; precántes, ut ánimas nostras Spíritus Sancti grátia illumináre dignéris; quátenus a cogitatiónibus malis tua pietáte liberémur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Per hoc, quæsumus, Domine, sacrificium quod tuæ obtulimus majestati, ab omnibus corda nostra emunda temptationibus; ut gratia Sancti Spiritus digni efficiamur. Per Dominum. In unitate ejusdem.

Pro petitione lacrymarum.

Oratio.

Omnípotens et miséricors Deus, qui sitiénti pópulo fontem vivéntis aquæ de petra produxísti; educ de cordis nostri durítia compunctiónis lácrymas, ut peccáta nostra plángere valeámus, remissionémque eórum te miseránte accípere mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Hanc oblatiónem quam tuæ majestáti, Dómine, pro peccátis nostris offérimus, réspice propítius; et produc de óculis nostris copiósa lacrymárum flúmina, quibus débita flammárum incéndia valeámus extínguere. Per Dóminum.

Postcommunio.

Corpore et sanguine tuo, Domine, saginati, quæsumus, ut pro peccatis nostris compunctionem cordis et luctum, fluminaque lacrymarum nobis semper largiaris; quatenus cœlestem in futuro consolationem invenire mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo.

[1] corda nostra.—92. 94.
[2] non habent 92. 97. 98.

Contra aereas tempestates.

Oratio.

A domo tua, quæsumus, Dómine, spirituáles nequítiæ repellántur; et aereárum discédat malígnitas tempestátum. Per Dóminum.

Secreta.

OFFÉRIMUS tibi, Dómine, laudes et múnera; pro concéssis beneficiis grátias referéntes, et pro concedéndis supplíciter deprecántes. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos et castigándo sanas et ignoscéndo consérvas; præsta supplícibus tuis ut et tranquillitáte optátæ consolatiónis lætémur, et dono tuæ pietátis semper utámur. Per Dóminum.

Contra invasores ecclesiæ.

Oratio.

CONCEDE nobis, omnipotens et mitissime Deus, apud quem nulla est iniquitas; ut qui hujus sanctuarii tui possessionem diripiendo invadunt, celeri satisfactione corrigantur. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, placationis et laudis offerimus, postulantes, ut quos inimicus ad invadendam sanctuarii tui possessionem suadendo attraxit, tu miserando corrigas. Per Dominum.

Postcommunio.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, placatus exaudi; et quod de inimicis et raptoribus Ecclesiæ tuæ sanctæ deprecamur, consuetæ misericordiæ velocitate perficere non desinas. Per Dominum.

Pro navigantibus.

Oratio.

DEUS, qui transtulísti patres nostros per mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam; laudem tui nóminis decantántes, te súpplices deprecámur, ut navigántes fámulos tuos, repúlsis adversitátibus, cursu tranquíllo in portum desiderátum perdúcere dignéris. Per Dóminum.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum; et fámulos tuos in nómine tuo navigántes, ab ómnibus defénde propitiátus advérsis. Per Dóminum.

Postcommunio.

SANCTIFICÁTI divíno mystério, majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut navigántes fámulos tuos in te confidéntes, per lignum sanctæ crucis a cunctis prótegas benígnus perículis. Per Dóminum.

Pro benefactoribus et salute vivorum.

Oratio.

PRÆTÉNDE, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cœléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur. Per Dóminum.

Secreta.

PROPITIÁRE, Dómine, supplicatiónibus nostris; et has oblatiónes famulórum famularúmque tuárum, quas tibi pro incolumitáte eórum offérimus, benígnus assúme; et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, præsta, quæsumus, ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

DA fámulis et famulábus tuis, quæsumus, Dómine, in tua fide et sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis temptatiónibus ab ejus integritáte vellántur. Per Dóminum.

Contra adversantes.

Oratio.

HÓSTIUM nostrórum, quæsumus Dómine, elíde supérbiam; et déxteræ tuæ virtúte prostérne; ut justítiæ non dominétur iníquitas, sed semper subdátur fálsitas veritáti. Per Dóminum.

Secreta.

HUJUS, quæsumus, Dómine, virtúte mystérii, et a nostris mundémur occúltis et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio.

PURIFICET nos, quæsumus, Domine, participatio tui sancta mysterii; et pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per Dominum.

[1]Pro [2]prægnante.

DEUS, qui beatam[2] virginem et matrem Mariam in conceptu et in partu consecrasti, et Jonam prophetam de ventre ceti potenti virtute liberasti, tuam famulam gravidam protege, et visita eam in salutari tuo ut proles in illa contenta feliciter in lucem prodeat, et perveniat ad gratiam lavacri salutaris.[3] Per Dominum.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, hostias et preces humilitatis nostræ, et famulam tuam scuto protectionis tuæ defende, et quam [4]prægnantem[4] tua gratia esse voluisti, hanc adveniente partus tempore gratiose libera, et ab omnibus perturbationibus cum prole in ipsa contenta clementer conserva. Per Dominum.

Postcommunio.

HDESTO supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et [5]famulæ tuæ largifluæ protectionis munus concede, ut adveniente tempore parturiendi, gratiæ tuæ præsidium suscipiat, et proles quam [6]ediderat,[6] percepto lavacro salutari, gratiosis incrementis feliciter proficiat.[5] Per Dominum.[1]

De sanctis Katherina, Margareta, et Maria Magdalena.

Oratio.

DEUS, qui sacratissimis virginibus tuis Katherinæ et Margaretæ per martyrii palmam, et beatissimæ Mariæ Magdalenæ criminum veniam concessisti; concede propitius, ut (earum intervenientibus meritis et precibus) et castitatis gratia decorari, et a peccatorum nostrorum nexibus mereamur absolvi. Per Dominum.

[1] non habent 13. 26.

[2] muliere prægnante quam fecit Papa Cœlestinus cum Secreta et Postcommunione, pro sorore sua prægnante, et concessit c. dies indulgentiæ cuilibet sacerdoti eam dicenti devote et infra missam oranti pro muliere prægnante Omnipotens sempiterne Deus, qui beatissimam.—94. 97. 98.

[3] ipsa quoque in pariendo dolorem misericorditer evadat, et a mortis periculo secura maneat (perveniat.—94.)—94. 97.

[4] gravidam ex.—94. 97. 98.

[5] famulam tuam N. in partu ab omni infortunio clementer præserva, ut proles ejus in hanc lucem edita, percepto lavacro salutari, et generosæ (gratiosæ.—98) mentis virtutibus et corporis feliciter proficiat incrementis.—97. 98.

[6] ediderit.—94.

Secreta.

GRATUM tibi, Domine, sit munus oblitum; et ut tibi digne ministrare possimus, sacra virgines Katherina et Margareta nobis mentium puritatem, et beata Maria Magdalena salutarem nobis [1]obtineant[1] compunctionem. Per Dominum.

Postcommunio.

CŒLESTI alimonia vegetati, quæsumus, omnipotens Deus, ut (sanctarum virginum tuarum Katherinæ et Margaretæ, et beatæ Mariæ Magdalenæ meritis intercedentibus) et tibi casto corpore servire et tuæ dilectioni valeamus jugiter adhærere. Per Dominum.

Pro febricitantibus, memoria sancto Sigismundo rege et martyre, jacente in civitate [2]Subdunensi.[2]

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per sanctos apostolos et martyres tuos diversa sanitatum dona largiri dignatus es; da, quæsumus, ut famulum tuum N. qui a febrium vexatione fatigatur, (per intercessionem famuli tui Sigismundi regis et martyris) tua medicina erigas ad salutem, et ad sanitatem pristinam clementer revocare digneris. Per Dominum.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, munera sancta in nomine electi tui Sigismundi regis et martyris; ut a præsenti ægroto febrium ardores repelli jubeas, et exinde tuo semper muniatur auxilio. Per.

Postcommunio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti ministris tuis obtinere omnia quæ juste precantur; suscipe propitius preces nostras quas pro famulo tuo N. in honore beati Sigismundi regis et martyris tui deferimus, et quod pro eo devotis mentibus obsecramus, celeri indulgentia consequi mereamur. Per.

Contra Paganos.

Oratio.

SEMPITERNA Trinitas, unus Deus, cujus potentiæ est prosternere fortia et elevare humilia, in his sacris cæremoniis clementiam tuam suppliciter deprecamur, ut omni ecclesia tuæ præstes auxilium; et sicut liberasti filios Israel de manibus Ægyptiorum, ita libera populum tuum Christianum de oppressione paganorum; et da victoriam servis tuis, quatenus Ecclesiæ tuæ status erigatur in sublime, et infideles per fidem dejiciantur ad infima; ut Christiani gaudeant de hæreditate tua, et in omnibus tua protegente dextera, semper Catholica gratuletur Ecclesia. Qui vivis.

Secreta.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, nostras indignas suscipe preces, et in sacris libaminibus quæ precamur intende; et sicut Moysi et Aaron affuisti in Ægypto, ita nobiscum esse dignare et cum omni exercitu Christianorum, liberans eos de tyrannorum jugo. Per.

Postcommunio.

QUOS cœlesti, Domine, dono satiasti, præsta, quæsumus, ut a nostris mun-

[1] obtineat—92. 97. 98.
[2] *rectius* Sedunensi.

demur occultis, et ab hostium liberemur insidiis; ut, te opitulante, de tuo mereamur solatio gratulari. Per.

De Incarnatione Domini.

Oratio.

CORDA nostra, quæsumus, Domine, sanctus splendor Filii tui incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Spiritus Sancti clementi respectu illustret; quo mundi hujus tenebris carere valeamus et ipso ducente perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per eundem. In unitate ejusdem.

Secreta.

IN mentibus nostris, quæsumus, Domine, veræ fidei sacramenta confirma; ut qui conceptum de virgine Deum verum et hominem confitemur, per eiusdem salutiferæ incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Sancti Spiritus potentiam, ad æternam patriam mereamur pervenire. Per eundem. In unitate ejusdem.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Filii tui Domini nostri Jesu Christi incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et adventus Spiritus Sancti memoriam debita [1]venerationis laude[1] percolimus, ipsi per ejusdem Sancti Spiritus gratiam a morte animæ resurgamus et in tua sanctificatione semper vivamus. Per eundem. In unitate ejusdem.

Pro pœnitentibus.

Oratio.

EXAUDI, quæsumus, Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, placationis offerimus; obsecrantes, ut et delicta nostra miseratus absolvas, et nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per.

In tempore Paschali ad Memoriam de Resurrectione.

Oratio.

DEUS, qui per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti; vota nostra quo proveniéndo aspíras, étiam adjuvándo proséquere. Per eúndem.

Secreta.

SÚSCIPE, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum; ut paschálibus [2]initiátæ[2] mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, proficiant. Per Dóminum.

Postcommunio.

SPÍRITUM in nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde; ut quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

[1] veneratione laudis.—92. 4L. 15. 57. veneratione et laude.—26.
[2] initiata.—94. 98.

De omnibus sanctis, per totum annum.

Oratio.

CONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, ut intercéssio sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctarumque omnium cœlestium virtutum et beatorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, atque virginum, et omnium electorum tuorum nos ubique lætificet; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per eundem.

Secreta.

OBLATIS, Domine, placare muneribus; et (intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis) a cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine (beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et omnium sanctorum tuorum memoriam recolentes) sacramenta cœlestia; præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, eorum precibus adjuti, æternis gaudiis consequamur. Per eundem Dominum.

Pro universali Ecclesia.

Oratio.

ECCLÉSIÆ tuæ, Dómine, preces placátus admítte; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta.

PRÓTEGE nos, Dómine, quæsumus, tuis mystériis serviéntes; ut divínis rebus [1]inhæréntes et córpore tibi[1] famulémur et mente. Per.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster, ut quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

Pro pace.

Oratio.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera; da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine témpora sint tua protectióne tranquílla. Per.

Secreta.

DEUS, qui credéntes in te pópulos nullis sinis cóncuti terróribus; dignáre preces et hóstias dicátæ tibi plebis suscípere, ut pax tua pietáte concéssa, Christianórum fines ab omni hoste fáciat esse secúros. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, auctor pacis et amátor, quem nosse vívere, cui servíre regnáre est; prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos; ut qui in defensióne tua confídimus, nullíus hostilitátis arma timeámus. Per Dóminum.

Pro rege et regina.

Oratio.

DEUS, in cujus manu sunt corda regum, qui es humilium consolator, et fidelium fortitudo, et protector in te sperantium; da regi nostro N. et reginæ nostræ N. populoque Christiano triumphum virtutis tuæ scienter excolere; ut per te semper reparentur ad veniam. Per Dominum.

[1] et corpore.—92. 4L. 57.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, preces et hostias Ecclesiæ tuæ, quas pro salute famuli tui regis nostri et reginæ, et protectione fidelium populorum, tuæ majestati offerimus; supplicantes, ut antiqua brachii tui te operante miracula, superatis inimicis, secura tibi serviat Christianorum libertas. Per Dominum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc mysteria sancta quæ sumpsimus, rex noster et regina populusque Christianus semper rationabilia meditantes, quæ tibi placita sunt et dictis exsequantur et factis. Per Dominum.

Ordo ad faciendum sponsalia.

Quæritur quando potest matrimonium solemnizari. In principio dico, quod carnalis copula non est facienda ante benedictionem super nubentibus; et in festis solemnibus abstinendum est a carnali copula; et hæc est ratio quare in certis temporibus prohibetur solemnitas matrimonii, non tamen consensus; tamen si solemnitas adhibeatur, non retractetur matrimonium. Et sic, nota tempora in quibus non est licitum solemnizare matrimonium. Unde versus,

Aspiciens, veterem, circum, qua, quis, benedicta.

Aspiciens, videlicet in prima dominica Adventus Domini abstinendum est a nuptiis, et abhinc usque Veterem hominem, id est, octavam diem post festum Epiphaniæ inclusive; id est, in crastinum octavarum. Secundum tempus abstinendi a nuptiis est a Circumdederunt, id est, in dominica Septuagesimæ et abhinc usque Quasi modo geniti, id est, octavam diem Paschæ inclusive, id est, usque in crastinum; et vocatur illa dies Dominica in Albis. Item abstinendum est a nuptiis in die lunæ in secunda feria in Rogationibus, et ibi legitur Evangelium Quis vestrum, et abhinc usque Benedicta post octavas Pentecostes inclusive, id est, usque in crastinum Trinitatis, titulo de feriis, cap. Capellanus, per Hostiensem. In aliis vero temporibus anni licite potest fieri solemnitas nuptiarum. xxxii. q. iv. c. Non oportet.[1] II. et III. glossa extra. de feriis. Capellanus in glossa Hostiensis, in libro IV. Sententiarum dist. xxxii. c. ultimo.

De modo solemnizandi sponsalia.

Statuantur vir et mulier ante ostium ecclesiæ, sive in facie ecclesiæ coram Deo et sacerdote et populo; vir autem stet a dextris mulieris, mulier autem a sinistris viri; causa est quia formata est ex costa sinistri lateris Adæ. Tunc sacerdos interroget banna, et postea dicat in lingua materna cunctis audientibus.

Ecce convenimus hic fratres coram Deo et angelis ejus, et omnibus sanctis, in facie ecclesiæ, ad conjungendum duo corpora, scilicet hujus viri et hujus mulieris,

Hic respiciat sacerdos personas suas. ut amodo [2]sint unum corpus;[2] et duæ animæ sint in fide et in lege Dei, ad promerendam simul vitam æternam; et quicquid ante hæc fecerint,

Deinde fiat admonitio ad populum in lingua materna, sic admoneo vos omnes, per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut si quis ex vobis est, qui sciat aliquid quare isti adolescentes legitime contrahere non possunt, modo confiteatur.

Eadem monitio fiat ad virum et mulierem; ut si quid ab illis actum fuerit occulte, vel si quid devoverint, vel aliquo modo de se noverint, quare legitime contrahere non poterint, tunc confiteantur. Si vero aliquis impedimentum aliquid proponere voluerit, et ad hoc probandum cautionem præstiterit, differantur sponsalia donec rei veritas cognoscatur. Si vero nullum impedimentum proponere voluerint,

[1] Gratiani decretum, P. 2 causa 33 Q. 4 C. 10 ex Concilio Ilerdensi; "Non oportet a Septuagesima usque in Octavas Paschæ et tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Johannis Baptistæ et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare; quod si factum fuerit, separentur."

Non esse hunc Canonem Concilii Ilerdensi, anno Domini 524 vel 546 celebrati, ostendit Berardus ("Gratiani Canones etc." Taurini, 1752, tom. 1, p. 328) sed potius ad Capitularia Regum Francorum sæculi octavi tribuendum.

[2] duo corpora, una caro.—92. 94. 4L. 15. 57.

interroget sacerdos dotem mulieris. Non fidabit sacerdos neque consentiat ad fidationem inter virum et mulierem ante tertium edictum bannorum; et banna debent interrogari per tres dies solemnes et disjunctas; ita ut inter unumquemque diem solemnem cadat ad minus una dies ferialis. Post hæc dicat sacerdos ad virum cunctis audientibus in lingua materna.

N. vis habere hanc mulierem in sponsam et eam diligere et honorare, tenere et custodire, sanam et infirmam, sicut sponsus debet sponsam; et omnes alias [1]propter[1] eam dimittere; et illi [2]soli[2] adhærere, quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondeat, Volo.

Item sacerdos ad mulierem.

N. vis habere hunc virum in sponsum, et illi obedire et servire, et eum diligere et honorare, ac custodire sanum et infirmum sicut sponsa debet sponsum; et omnes alios [3]propter[3] eum dimittere, et illi soli adhærere quamdiu vita utriusque vestrum duraverit?

Respondeat, Volo.

Deinde detur femina a patre suo vel ab amico; quæ, si puella est, discoopertam habeat manum; si vidua, tectam; quam vir recipiat, in Dei fide et sua servandam, sicut vovit coram sacerdote; et teneat eam per manum dextram in manu sua dextra. Et sic vir det fidem mulieri per verba de præsenti, ita dicens, sacerdote docente.

I N. take the N. to my weddyd wyfe, to have & to holde,[4] for better for wurs, for rycher for porer; in sykenesse & in helth tyll deth vs departe,[5] & therto I plyght the my trouth. manum retrahendo.

Deinde dicat mulier, sacerdote docente.

I N. take the N. to my weddyd husbonde, to have & to holde,[6] for better for wurs, for rycher for porer, in sykenesse & in helth, to be bonoure & buxum, in bed & at borde, tyll deth vs depart;[7] & therto I plyght the my trouth. manum retrahendo.

Deinde ponat vir aurum vel argentum et anulum super scutum vel librum; et tunc[8] quærat sacerdos, si anulus antea fuerit benedictus vel non; si dicatur quod non; tunc benedicat sacerdos anulum hoc modo.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CREATOR et conservator humani generis, dator gratiæ [9]spiritualis,[9] largitor æternæ salutis, tu, Domine, mitte bene✠dictionem tuam super hunc anulum; ut quæ illum gestaverit sit armata virtute cœlestis defensionis, et proficiat illi ad

[1] præter.—92. 4L. 57.
[2] non habent 94. 97. 98.
[3] præter.—92. 4L. 13. 15. 57.
[4] fro this day forward.—97. 98. 13. 26.
[5] yf holy Church will it ordeyn.—97. 98. 13. 15. 26. 57. Multum discrepant libri, præsertim illi qui in Francia impressi sunt, in exhibendo hæc verba Anglica. Nos sequimur 4L. In 92. 94. et in editione antiqua Coloniæ impressa, quæ plerumque cum 94 concordat, et quam H notamus, spatium datur ut verba Anglica manu inserantur.
[6] fro this day forwarde.—97. 98. 13. 26.
[7] yf holy Chyrche wyl it ordeyne.—97. 98. 13. 15. 26. 57.
[8] dicat sacerdos, si anulus non antea fuerit benedictus, hoc modo etc. Oratio. Creator etc. Oratio. Benedic etc. Tunc aspergatur aqua benedicta super anulum. Deinde, accipiat sponsus anulum cum tribus digitis principalibus, et, docente presbytero, incipiens a pollice sponsæ, dicat, With this etc. (spatio relicto in 92. 94) et tunc proferat.—92. 94. 97. 98.
[9] salutaris.—94.

æternam [1]salutem.[1] Per Christum Dominum nostrum.

Respondetur Amen.

Oremus. Oratio.

BENEDIC, Domine, hunc anulum quem nos in tuo sancto nomine benedicimus; ut quæcunque eum portaverit, in tua pace consistat, et in tua voluntate permaneat, et in amore tuo vivat et crescat et senescat, et multiplicetur in longitudinem dierum. Per.

Tunc aspergatur aqua benedicta super anulum.

Si autem antea fuerit anulus ille benedictus, tunc statim postquam vir posuerit anulum super librum, accipiens sacerdos anulum, tradat ipsum viro; quem vir accipiat manu sua dextera cum tribus principalibus digitis, a manu sua sinistra tenens dexteram sponsæ; docente sacerdote, dicat,

[2]With thys ryng I the wedde and tys gold and siluer I the geue; and wyth my body I te worscype, and wyth all my wordly catell I the honore.[2]

Et tunc proferat sponsus anulum pollici sponsæ dicens, In nomine Patris; ad secundum digitum, et Filii; ad tertium digitum, et Spiritus Sancti, ad quartum digitum, Amen; et ibi dimittat eum secundum Decretum xxx. q. v. c. Feminæ ad finem,[3] quid in illa digito est quædam vena, procedens usque ad cor; et in sonoritate argenti designatur [4]interna[4] dilectio; quæ inter eos semper debet esse recens. Tunc inclinatis capitibus eorum, dicat sacerdos benedictionem super eos.

Benedicti sitis a Domino qui fecit mundum ex nihilo.

Respondetur. Amen.

Tunc dicatur iste Psalmus.

Manda Deus virtutem tuam: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

A templo tuo quod est in Hierusalem: tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati sunt argento.

Gloria Patri.

Sicut erat.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos a malo.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Laudemus Dominum quem laudant angeli;

Quem cherubin et seraphin Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

Domine, exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

[1] vitam.—94. 15. 57.

[2] wyth thys ryng y the wed and wyth my body y the honowr, and with all my gold y the endowe.—97. 98.

[3] Gratiani Decretum, pars 2a causa xxx. qu. 5 c. 7; Isidori de Officiis lib. 2. c. 20; 'Feminæ . . . Item quod in primis negotiis anulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis ut eodem pignore eorum corda jungantur; unde et quarto digito anulus idem inseritur quod in ea vena quædam (ut fertur) sanguinis usque ad cor perveniat.'

[4] non habent 92. 4L. 57.

Oremus. Oratio.

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, sit vobiscum, et ipse vos conjungat, impleatque benedictionem suam in vobis. Qui vivit et regnat[1] Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio cum Oremus.

Oratio.

BENE✠DICAT vos Deus Pater; custodiat vos Jesus Christus; illuminet vos Spiritus Sanctus: ostendatque Dominus faciem suam in vobis et misereatur vestri; convertat vultum suum ad vos et det vobis pacem: impleatque vos omni benedictione spirituali in remissionem peccatorum vestrorum, ut habeatis vitam æternam et vivatis in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hic intrent in ecclesiam, usque ad gradum altaris; et sacerdos in eundo cum suis ministris dicat Psalmum Beati omnes, sine nota, cum Gloria Patri et Sicut erat.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Tunc, prostratis sponso et sponsa ante gradum altaris, roget sacerdos circumstantes orare pro eis, dicens,

Pater noster.
Et ne nos induces in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Salvum fac servum tuum et ancillam tuam,
Deus meus, sperantes in te.
Mitte eis, Domine, auxilium de sancto,
Et de Sion tuere eos.
Esto eis, Domine, turris fortitudinis,
A facie inimici.
Domine, exaudi orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

BENEDICAT vos Dominus ex Sion, ut videatis quæ bona sunt Hierusalem [2]omnibus diebus vitæ vestræ;[2] et videatis filios filiorum vestrorum et pacem super Israel. Per Christum.

Oremus. Oratio.

DEUS Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, bene✠dic adolescentes istos, et semina semen vitæ æternæ in mentibus eorum; ut quicquid pro utilitate eorum didicerint, hoc facere cupiant. Per Jesum Christum Filium tuum recuperatorem hominum. Qui tecum.

Respondetur Amen.

Oremus. Oratio.

RESPICE, Domine, de cœlis, et bene✠dic conventionem istam; et sicut misisti sanctum angelum tuum Raphaelem ad Tobiam et Saram filiam Raguelis; ita digneris, Domine, mittere bene✠dictionem tuam super istos adolescentes; ut in tua voluntate permaneant, et in tua securitate consistent, et in amore tuo vivant [3]et crescant[3] et senescant; et digni atque pacifici fiant, et multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum.

Oremus. Oratio.

RESPICE, Domine, propitius super hunc famulum tuum et super hanc famulam tuam; ut in nomine tuo bene✠dictionem cœlestem accipiant, et filios filiorum suorum et filiarum suarum usque in tertiam et quartem [4]progeniem[4]

[1] cum Deo Patro in unitate Spiritus Sancti.—94. 97. 98.
[2] non habent 94. 97. 98. Orationem non exhibet 92.
[3] non habent 97. 98.
[4] generationem.—4L.

incolumes videant; et in tua voluntate [1]semper[1] perseverent, et in futuro ad cœlestia regna perveniant. Per Christum.

Oremus. Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui primos parentes nostros Adam et Evam sua virtute creavit et sua sanctificatione copulavit; ipse corda et corpora vestra sanctificet et benedicat; atque in societate et amore veræ dilectionis conjungat. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde benedicat eos, dicens sic.

BENE✠DICAT vos Deus omnipotens omni benedictione cœlesti: efficiatque vos dignos in conspectu suo: superabundet in vobis divitias [2]gloriæ[2] suæ; et erudiat vos verbo veritatis; ut ei corpore pariter et mente complacere valeatis.

Respondetur Amen.

Finitis Orationibus, et introductis illis in presbyterium, scilicet inter chorum et altare ex parte ecclesiæ australi; et statuta muliere ad dexteram viri, scilicet inter ipsum et altare, incipiatur

Missa de Trinitate.

Officium.

ENEDÍCTA sit Sancta Trínitas atque Indivísa Unitas: confitébimur ei quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu.

Non dicitur ulterius.

Kýrie cum suis versibus dicitur.

Ad hanc Missam servetur modus et ordo per omnia qui in duplicibus festis.

Glória in excélsis.

Istæ duæ Orationes dicuntur sub uno Orémus et sub uno Per Dóminum.

Oratio.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem; quæsumus, ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis.

Oratio.

EXÁUDI nos, omnípotens et miséricors Deus; ut quod nostro ministrátur offício, tua benedictióne pótius impleátur. Per Dóminum.

Ad Corinthios. 1 c. 6

FRATRES, Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, [3]facies[3] membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret [4]Domino[4] unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam [5]membra[5] vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo et non estis vestri. Empti enim estis pretio magno; [6]glorificate[6] et portate Deum in corpore vestro.

Gradale. Dan. 3 Benedíctus es, Dómine, qui intueris abýssos: et sedes super chérubin.

[1] non habent 94. 97. 98. 57.
[2] gratiæ.—97. 98.
[3] ita 26 etc. faciam.—97. 98. 4L. 55P. V. faciens.—57.
[4] Deo.—97. 98.
[5] corpora.—92. 97. 98.
[6] honorificate.—92. 98. 4L. 57.

℣. Tob. 12 Benedícite Deum cœli: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Allelúya. ℣. Dan. 3 Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum: et laudábilis in sæcula.

Si in tempore Paschali contigerit, secundum Allelúya erit unum de hebdomada Paschæ, vel unum de illis quæ scribuntur post Officium Quasi modo géniti.

Sequentia.

ALMA chorus Domini nunc pangat nomina summi,
Messias, Sother, Emmanuel, Sabaoth, Adonai,
Est, Unigenitus, via, vita, manus, homousion,
Principium, primogenitus, sapientia, virtus,
Alpha, caput, finisque simul vocitatur et est oo,
Fons et origo boni, paraclytus ac mediator;
Agnus, ovis, vitulus, serpens, aries, leo, vermis,
Os, verbum, splendor, sol, gloria, lux, et imago,
Panis, flos, vitis, mons, janua, petra, lapisque,
Angelus et sponsus, pastorque, propheta, sacerdos,
Athanatos, kyrios, theon panthon, craton, et ysus,
Salvificet nos,
Sit cui sæcla
Per omnia doxa. Amen.

Sequentia sancti Evangelii: secundum Matthæum. c. 19

IN illo témpore, Accessérunt ad Jesum Pharisæi, tentántes eum et dicéntes; Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúnque ex causa? Qui respóndens ait illis; Non legístis quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? Et dixit eis, Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet.

Credo.

Offertorium. Benedíctus sit Deus Pater, Unigenitúsque Dei Fílius: Sanctus quoque Spíritus, quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

In tempore Paschali, Allelúya.

Nota, quod odor thuris benedicti nunquam datur in ecclesia sponso et sponsæ. Inde est quod oblato thure benedicto super altare, si descendat thuribulum ad clericos vel ad laicos, aliud thus est apponendum, et clericis vel laicis offerendum.

Secreta.

SANCTÍFICA, quæsumus, Dómine Deus,[1] Trínitas Sancta, per tui sancti nóminis invocatiónem, hujus oblatiónis hóstiam; et [2]per eam[2] [3]co-operánte Spíritu Sancto,[3] nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum.

Alia Secreta.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem quam tibi offerimus pro famulis tuis quos ad statum maturitatis et ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placatus ac benignus assume.

Et finiantur sub uno Per Dóminum.

Præfatio. Qui cum Unigénito.

Post Sanctus prosternant se sponsus et sponsa in oratione ad gradum altaris,

[1] noster.—94.
[2] non habent 92. 94.
[3] non habent 97. 98.

[1]extenso[1] pallio super eos; quod teneant quatuor clerici in superpelliciis ad quatuor cornua, nisi alter eorum vel ambo prius desponsati fuerint et benedicti; quia tunc non habetur pallium super eos neque sacramentalis benedictio.

Deinde dicto Per ómnia sæcula sæculórum, et responso Amen post Pater noster, ante quam dicitur Pax Dómini, facta fractione Eucharistiæ more solito, dimissaque hostia in tribus fractionibus super patenam, dicat sacerdos, conversus ad eos, sequentes Orationes sub tono lectionis, illis interim genu flectentibus sub pallio.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis quibus [2]propagationem[2] humani generis ordinasti, benignus assiste; ut quod te auctore conjungitur, te auxiliante servetur. Per Christum.

Oremus. Oratio.

DEUS, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta [3]fecisti;[3] qui dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut femineo corpori de virili dares carne principium; docens, quod ex uno placuisset institui, nunquam liceret disjungi;

Caveat sacerdos de ista clausula sequenti. Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum;

Quia non dicitur in secundis nuptiis usque Deus per quem mulier jungitur viro, ut patet inferius.

DEUS, per quem mulier jungitur viro, et societas principaliter ordinata, ea bene✠dictione donatur; quæ nec sola per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam; respice, quæsumus, propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda consortio, tua se expetit protectione muniri. Sit in ea jugem dilectionis et pacis; fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longæva et fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet; nexa fidei mandatisque permaneat uni thoro juncta; contactus illicitos fugiat; muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita. Sit fœcunda in sobole, sit probata et innocens, et ad optatam perveniat senectutem, et videat filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem; et ad beatorum requiem atque ad cœlestia regna perveniat. Per Dominum.

Notandum est, quod hæc clausula in Oratione prædicta, scilicet Deus, qui tam excellenti usque ad Deus per quem mulier jungitur, non dicitur in secundis nuptiis, ut supra dictum est. Vir[4] enim aut mulier ad bigamiam transiens, non debet iterum a sacerdote benedici; [5]quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non de-

[1] et tento.—97. 98. extento.—94.
[2] ita 94. etc. propaginem.—92. 4L. 57. H.
[3] creasti.—98. 4L. 15. 57.
[4] Decretal. Greg. ix. lib. 4 tit. 21. 3; Urbanus iis. Vigiliensi Episcopo, (seu potius Alex. iii. A. D. 1179.) 'Vir autem et mulier ad bigamiam transiens, non debet a presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.'
[5] non habent 92. 94. 97. 4L. 15.

bet iterari;[5] quia caro benedicta trahit ad se carnem non benedictam. Et in titulo de secundis nuptiis, inhibitum est per decre. xxv. qu. 1. Hac ratione benedictio non datur in secundis nuptiis, quod testatur beatus Ambrosius sic;[1] Primæ nuptiæ a Domino sunt institutæ; secundæ vero sunt permissæ. Primæ autem sub omni benedictione celebrantur; secundæ vero carent aliqua benedictione.

Sed cum plures benedictiones sint in nuptiis celebrandis; scilicet, in introitu chori; sub pallio; post missam; et super thorum in sero. Quæro quæ benedictio sit iteranda in secundis nuptiis et quæ non. Dicendum eat quod in hoc Oratione Deus qui potestate virtutis tuæ, sunt tres benedictiones quæ idem habent principium, scilicet, Deus; media autem est omnino omittenda in secundis nuptiis, scilicet ista, Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum, ut supra; quia in ista benedictione agitur de unitate Christi et Ecclesiæ, quod figuratur in primo matrimonio, non autem in secundo. Unde et apostolus ad Corinthios vi.[2] Erunt duo in carne una, et Extra, de bigamis, capitulo Debitum unius uxoris.[3] Sed qui adhæret pluribus, dissolvit unitatem vel fœdus unitatis; et ideo benedictio quæ agit de unitate, scilicet, Deus qui tam excellenti, non dicitur in secundis nuptiis. Et hoc est verum tam pro viro bigamo quam pro muliere vidua; quia caro benedicta trahit ad se carnem non benedictam. Sed omnes alias benedictiones indifferenter debent dici, secundum Romanam Ecclesiam, secundum Hostiensem, et secundum Thomam de Aquino et Morandum doctorem. Et sciendum est, quod ista quæstio discussa fuit et determinata in sacro palatio domini Papæ et translata in Angliam per magistrum Johannem Haystede, anno Domini millesimo cccxxi. Et causa discussionis erat, quia multi sacerdotum tunc temporis ad sedem apostolicam convolaverunt causa obtinendi absolutionis beneficium pro benedictionibus in secundis nuptiis collatis indiscrete. Ideo statuitur super hoc nova constitutio Johannis Papæ vicesimi secundi, quæ sic incipit.

Concertationi antiquæ finem imponere cupientes, præsenti declaramus edicto; quod licet vir vel mulier ad bigamiam vel ad secundas nuptias transient benedici non debent, cum fuerint alias benedicti. Quod si forsan alter eorum vel ambo essent ad secundas nuptias transituri, et in primis nuptiis benedicti non fuerint, dan-

[1] '*Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Cum dicit superius *nubat*, lege loquitur naturali, quanquam a Deo primæ nuptiæ sint, secundæ vero permissæ sunt. Denique primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter; secundæ autem etiam in præsenti carent gloria, concessæ sunt autem propter incontinentiam.' *Comm. in Epist. ad Corinth, primam, diu tanquam S. Ambrosii habita.* Opp. tom. 2 app. p. 138 D.

[2] (1 ad Cor. cap. vi. 16.)

[3] Decretal. Greg. ix. lib. 1 tit. 21. 5; Innocentius iii. (seu potius Clem. iii.) Metensi Episcopo, circa 1205; 'Debitum pastoralis officii . . . . Fraternitati tuæ duximus respondendum, quod cum duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum et commixtio corporum; quorum alterum significat caritatem quæ consistit in spiritu inter Deum et justam animam, ad hoc pertinet illud quod dicit apostolus; 'Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo;' reliquum vero designat conformitatem quæ consistit in carne inter Christum et Ecclesiam.'

Non invenimus *Extra.* Debitum unius uxoris.

da est eis benedictio in secundis nuptiis. Sane volentes antiquum rigorem temperare, concedimus, quod presbyter qui secundas nuptias benedixerit scienter, ad sedem apostolicam ex hoc venire minime teneatur, sed a pœna suspensionis hoc casu a jure indicta per suos potest diocesanos absolvi. Si qui vero juxta opinionem quorundam hactenus non reputantes se esse suspensos, ordines quoslibet seu quævis beneficia receperint, diocesani eorum a pœna suspensionis prædictæ ipsos absolvere, ac super executione ordinum et retentione beneficiorum hujusmodi cum eis valeant licite dispensare.

Hic quæri potest, quare secundæ nuptiæ non benedicuntur. Ad hoc dico, quod secundum matrimonium, quamvis in se consideratum [1]habeat[1] sacramentum, tamen in ordine ad primum sacramentum consideratum, aliquid habet de defectu sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit [2]una[2] unius sicut est in matrimonio Christi et Ecclesiæ; et ratione hujus defectus benedictio a secundis nuptiis subtrahitur; sed hoc intelligendum est quando secundæ nuptiæ sunt secundæ ex parte viri et ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur. Salvatur et alio modo significatio, etiam in ordine ad primas nuptias; quia Christus etsi unam Ecclesiam habet, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest sponsa alterius esse quam Christi, quia cum dæmone fornicatur, nec est matrimonium spirituale; et propter hoc quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum sacramenti.

Post hæc vertat te sacerdos ad altare, et dicat Pax Dómini et Agnus Dei more solito. Tunc, [3]amoto pallio,[3] surgant ab oratione sponsus et sponsa, et accipiat sponsus pacem a sacerdote, et ferat sponsæ, osculans eam; et neminem alium, nec ipse nec ipsa; sed clericus statim a presbytero pacem accipiens, proferat aliis sicut solitum est.

Communio. Benedícimus Deum cœli: et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

In tempore Paschali Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

PROFÍCIAT nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus, hujus sacraménti suscéptio; et sempitérnæ sanctæ Trínitatis ejusdémque indivíduæ Unitátis conféssio.

Alia Postcommunio sub uno Orémus et sub uno Per Dóminum.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, institúta providéntiæ tuæ pio amóre comitáre; ut quos legítima societáte connéctis, longæva pace custódias. Per Dóminum nostrum.

Post Missam benedicatur panis et vinum, vel aliquod bonum potabile in vasculo, et gustent in nomine Domini, sacerdote dicente, Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo.

Oremus. Oratio.

BENE✠DIC, Domine, istum panem et hunc potum et hoc vasculum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, et

[1] sit perfectum.—97. 98.
[2] unanimis.—94. 97. 98.
[3] non habent 92. 94. 97. 98.

sex hydrias in Chana Galilææ; ut sint sani, sobrii, atque immaculati omnes gustantes ex eis, Salvator mundi, Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, Per.

Nocte vero sequente, cum sponsus et sponsa ad lectum pervenerint, accedat sacerdos et benedicat thalamum, dicens,

Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

BENE✠DIC, Domine, thalamum istum et omnes habitantes in eo; ut in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et in tuo amore vivant et [1]crescant[1] et multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum.

Benedictio super lectum tantum cum

Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

BENE✠DIC, Domine, hoc cubiculum, qui non dormis neque dormitas; qui custodis Israel, custodi famulos tuos in hoc lecto quiescentes ab omnibus phantasmaticis dæmonum illusionibus; custodi eos vigilantes ut in præceptis tuis meditentur, dormientes ut te per soporem sentiant; et hic et ubique defensionis tuæ semper muniantur auxilio. Per Dominum.

Deinde fiat benedictio super eos in lecto cum

Oremus. Oratio.

BENE✠DICAT Deus corpora vestra et animas vestras; et det super vos bene✠dictionem, sicut benedixit Abraham, Isaac, et Jacob. ℟. Amen.

Item alia benedictio super eos cum

Oremus.

MANUS Domini sit super vos: mittatque angelum suum sanctum, qui custodiat [2]et foveat[2] vos omnibus diebus vitæ vestræ. ℟. Amen.

Item alia benedictio super eos cum

Oremus. Oratio.

BENE✠DICAT vos Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui trinus est in numero, et unus in nomine. ℟. Amen.

His peractis, aspergat eos sacerdos aqua benedicta; et sic discedat et dimittat eos in pace.

[3]Missa ad honorem virginis gloriosæ pro mulieribus prægnantibus aut alias in partu laborantibus.

[4]Officium.[4]

ALMA virgo virginum, sancta Dei genitrix, pro devotis porrige ancillis tuis preces obnixas ad Filium, quæ parturientium benigna es auxiliatrix.

Psalmus 131 Jurávit Dóminus David veritátem et non frustrábitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Gloria.

Oratio.

EXAUDI, clementissime Pater, deprecationem servi tui pro pauperibus ancillis tuis in partu nunc aut in posterum laborantibus, majestati tuæ devotissime supplicantis ut quemadmodum tua eas providentia concipere decrevisti; ita ipsa benedictione tua præambula, ad laudem tui sacri nominis (virgine gloriosa suffragante) celeriter jubeas expedire. Per Dominum.

[1] senescant.—4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 94. 98. 57.
[3] non habent 92. 94. 97. 98. 4L. 15. 57.
[4] Introitus.—13.

Lectio libri Genesis. c. 3

In diebus illis, Dixit Dominus ad Adam; Nunquid ex ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Dixitque Adam; Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dominus ad mulierem; Quare hoc fecisti? Quæ respondit; Serpens decepit me, et comedi. Et ait Dominus ad serpentem; Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ: inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: et ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit; Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi. Adæ vero Dominus dixit; Quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

Gradale. Ecce virgo concepit et absque dolore peperit nobis filium cujus nomen vocatus[1] est Jesus.
℣. Qui sicut pluvia in vellus: ita in uterum virginis descendit; et velut sol porta clausa ex utero virginali ad nos introivit.

Alleluya. ℣. Ad tuum, O Maria, confugiunt præsidium pauperes in partu laborantes: quas suis quæso non despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera eas virgo semper benedicta.

Sequentia.

O ancilla Christi, Maria, mater Dei, pauperem exaudi peccatorem ad te vere suspirantem, ne matrum in utero periclitentur infantuli,

Qui propter defectum baptismi macula irretiti originali in limbum condescendunt qui pars est inferni.

Maria itaque miseris succurre puerulis, qui pro gravi Adæ protoplastorum nebula visione Dei ibi carent perpetua.

O judicia Dei abyssus multa: qui licet sine culpa pereant: non tamen sine causa.

Quam igitur perniciosus pomi vetiti Evæ fuit morsus: quo mors posteris sic concludebatur.

Sed O quam felix fuit et lætabundus, O Maria, inter te et angelum dialogus: quo vita orbi toti oriebatur.

Præ cæteris autem tuus videtur splendescere beatissimus absque dolore partus,

Per quem Evæ maledictio est soluta: nec minus benedictio est mulieribus cunctis condonata.

Ad quem ergo confugient desolatæ prægnantes nisi ad te, cunctarum consolatrix, cum lacrymis gementes?

Audi eas, virgo immaculata, nec parentum aspiciat Unigenitus tuus ad peccata;

Sed parvulorum ululatus clementer exaudi: ne in perenni subjiciantur inferni formidolosa a Deo pœna.

Eos denique post sacri baptismatis undam regeneratos perducere digneris ad æterna gaudia.

Secundum Johannem. c. 16

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit púerum, jam non méminit pressúræ ejus propter gáudium: quia natus est homo in mundum. Amen, amen, dico vobis: si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Pétite, et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum.

Offertorium. Ave Maria, parturientium consolatrix, gratia plena, infantium suble-

[1] ita libri; an legendum *vocatum*?

vatrix: quia Dominus est tecum, ipsorum esto protectrix: ut præ mulieribus benedicta dicaris: et super omnes benedictus a cunctis Christicolis extollatur fructus ventris tui.

Secreta.

PIISSIME Christe Jesu, qui absque doloris contagione ex utero virginali almificæ matris tuæ in mundum tua dignatione sanctissima porta clausa exire dignatus es; concede propitius, ut fructus ancillarum tuarum in orbem terrarum sanos et incolumes taliter disponas pervenire, quod ad fontem baptismatis, una tecum regenerari mereantur. Qui vivis.

Communio. In partu puerorum, O Maria, sol tuus resplendeat misericordiæ quo lucente cætera post Deum luminaria sunt quasi non sint.

Postcommunio.

BEATISSIME Spiritus, per quem condita sunt universa, suppliciter tuas exaudire digneris famulas, pro quibus has tuæ porrigimus pietati preces; ut quemadmodum tuo felici sancto juvamine optant liberari; ita suffragiis beatissimæ matris Dei lumen gratiæ tuæ in earum celeri expeditione infundere digneris. Qui cum Patre.[3]

Benedictio mulieris post partum, ante ostium ecclesiæ.

Inprimis dicat sacerdos hos Psalmos,

Levavi oculos.[1]
Beati omnes.[2]
cum Gloria Patri.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster.
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos a malo.
Domine, salvam fac ancillam tuam,
Deus meus, sperantem in te.
Mitte ei auxilium de sancto,
Et de Sion tuere eam.
Esto ei, Domine, turris fortitudinis,
A facie inimici.
Domine, exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Oratio.

DEUS, qui hanc famulam tuam de pariendi periculo liberasti, et eam in servitio tuo devotam esse fecisti; concede, ut temporali cursu fideliter peracto, sub alis misericordiæ tuæ vitam perpetuam et quietam consequatur. Per Dominum.

Tunc aspergatur mulier aqua benedicta a sacerdote dicente,

Asperges me, Domine, hyssopo.

Deinde inducat eam sacerdos per manum dexteram in ecclesiam, dicendo,

Ingredere in templum Dei: ut habeas vitam æternam et vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio panis in dominicis diebus.

Inprimis legat sacerdos Evangelium In principio. Postea dicatur Versiculus.

Sit nomen Domini benedictum,
Ex hoc nunc et usque in sæculum.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
Deinde dicat
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

[1] Ps. 120
[2] Ps. 127

Oremus.

BENE✠DIC, Domine, hanc creaturam panis,[1] sicut benedixisti quinque panes in deserto; ut omnes gustantes ex eo tam corporis quam animæ recipiant sanitatem. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Hic aspergat sacerdos aquam benedictam super panem.

Ordo ad servitium peregrinorum.

Inprimis dicuntur Psalmi sequentes super illos coram altari prostratos, postquam confessi sunt, hoc modo incipiens.

Psalmus 24.

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes: supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me: quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine: et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ: et ignoántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus: propter hoc legem dabit delinquéntibus in via. Díriget mansuétos in judício: docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas: requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum: legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur: et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meæ.

Réspice in me, et miserére mei: quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt: et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me: non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi: quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel: ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Glória Patri.

Psalmus 50.

Miserére mei, Deus: secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum: dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci, ut justificéris in sermónibus tuis: et vincas cum judicáris.

[1] creaturam istam.—92. 94. 97. 98.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: et Spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: et os meum annunciábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem: útique holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: ut ædificéntur muri Hierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et holocáusta: tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.

Psalmus 90.

Qui hábitat in adjutório Altíssimi: in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino, Suscéptor meus es tu: et refúgium meum, Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium: et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris: ab incúrsu et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis: ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam ángelis suis mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis: et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: prótegam eum quóniam cognóvit nomen meum.

Clamávit ad me, et ego exáudiam eum, cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: et osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri.

Sicut erat.

Kýrie eléison.

Christe eléison.

Kýrie eléison.

Pater noster.

Et ne nos.

Sed líbera nos.

Ego dixi, Dómine, miserére mei;

Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

Vias suas Dóminus demonstret tibi;

Et sémitas suas edoceat te.
Gressus tuos dirigat Dominus secundum eloquium suum;
Ut non dominetur tui omnis injustitia.
Utinam dirigantur viæ tuæ;
Ad custodiendas justificationes Domini.
Perficiat Dominus gressus tuos in semitis suis;
Ut non moveantur vestigia tua.
Benedictus Dominus [1]Deus[1] die quotidie;
Prosperum iter faciat tibi Deus salutarium nostrorum.
Angelus [2]Domini[2] bonus comitetur tecum;
Et bene disponat itinera tua et actus tuos, ut iterum cum gaudio revertaris ad propria.
Beati immaculati in via,
Qui ambulant in lege Domini.
Nihil proficiat inimicus in te;
Et filius iniquitatis non apponat nocere tibi.
Exsurge, Domino, adjuva nos;
Et libera nos propter nomen tuum.
Domine Deus virtutum converte nos;
Et ostende faciem tuam et salvi erimus.
Domine, exaudi orationem meam;
Et clamor meus ad te veniat.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus. Oratio.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris; et viam famuli tui N. in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegatur auxilio. Per Christum.

Oremus. Oratio.

DEUS, qui ad vitam ducis, et confidentes in te paterna protectione custodis; quæsumus, ut his præsentibus famulis tuis N. a nobis egredientibus, angelicum tribuas comitatum; ut auxilio tuo protecti, nullius mali concutiantur formidine, nullo comprimantur adversitatis languore, nullius irruentis inimici molestentur insidiis; sed spatiis necessarii itineris prospero gressu peractis, propriisque locis restituti, et recipiantur sospites ac debitas exsolvant tuo nomini gratias. Per Christum.

Oremus. Oratio.

DEUS, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et a servientibus tibi in nulla es regione longinquus; dirige viam hujus famuli tui N. in voluntate tua; ut, te protectore, te perducente, per justitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per Christum.

Hic surgant peregrini a prostratione. Et sequatur Benedictio peræ et baculi, sic.

Dóminus vobíscum.
Et cum spíritu tuo.
Oremus.

DOMINE Jesu Christe, qui ineffabili tua miseratione ac Patris jussione, Spiritusque Sancti cooperatione de cœlo descendere ovemque perditam diabolica seductione voluisti quærere, atque propriis humeris ad cœlestis patriæ gregem referre, quique præcepisti filiis matris Ecclesiæ, orando petere, bene vivendo quærere, ac pulsando perseverare, ut citius invenire valeant salutaris præmia vitæ; te humiliter invocamus, quatenus sanctificando bene✠dicere digneris has peras (vel hanc peram) et hos baculos (vel hunc baculum): ut quicunque ea pro tui nominis amore [3]ad instar humilis armaturæ,[3] lateri suo (vel lateribus suis) applicare atque suis col-

[1] non habent 97. 98. 57.
[2] non habent 92. 97. 98.
[3] non habent 92. 4L. 15. 57.

lis suspendere, sive in manibus suis gestare; sicque peregrinando suffragia sanctorum humili comitante devotione studuerint quærere, dexteræ tuæ protecti munimine, pervenire mereantur ad gaudia visionis æternæ. Per te, Salvator mundi. Qui vivis.

Hic aspergatur aqua benedicta et ponat sacerdos collo peregrini peram, dicens.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi accipe hanc peram, habitum peregrinationis tuæ; ut bene castigatus et salvatus pervenire merearis ad limina sanctorum quo pergere cupis; et peracto itinere tuo ad nos revertaris incolumis. Per eundem.

Et sic fiat aliis, si sint plures.

Hic tradat uni baculum, dicens.

ACCIPE hunc baculum sustentationis itineris ac laboris peregrinationis tuæ; ut devincere valeas omnes catervas inimici, et pervenire securus ad limina sanctorum quo pergere cupis; et peracto obedientiæ cursu, ad nos iterum revertaris cum gaudio. Per Christum.

Et sic dicat aliis, si sint plures.

Benedictio crucis pergentis Hierusalem,

cum Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS invictæ potentiæ, pietatis immensæ, atque peregrinantium totius consolationis auxilium; qui famulis tuis invictissima arma tribuis; quæsumus, hanc crucem devotæ humilitatis bene✠dicere digneris; ut venerandæ crucis vexillum, cujus in eo est designata figura, sit invictissimum robur servi tui contra hostis antiqui nequissima tentamenta, sit in via defensio, sit in domo tua protectio, sit nobis ubique præsidium. Per Dominum.

Hic aspergatur aqua benedicta super vestem.

Deinde, si aliquis eorum profecturus est Hierusalem, detur ei vestimentum cruce signatum, sacerdote dicente,

ACCIPE vestimentum, cruce Domini Salvatoris nostri signatum; ut per illud salus, benedictio, et virtus prospere proficiscendi ad sepulchrum ejus tibi comitetur. Qui cum Deo Patre.

Et sic fiat aliis, si sint plures.

Combustio crucis in carne peregrinis euntibus Hierusalem prohibitum est in lege secundum jura canonica, sub pœna excommunicationis majoris.[1]

His finitis dicitur

Missa pro iter agentibus,

more simplicis festi ix. lectionum.

Officium. Ps. 30

ESTO mihi in Deum protectórem et in locum refúgii ut salvum me fácias: quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dux mihi eris et enútries me.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me et éripe me.

Oratio.

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum N. et N. in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per.

Lectio libri Genesis. c. 24

IN diebus illis, Locutus est Abraham dicens; Dominus Deus cœli, qui tulit

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.

me de domo patris mei et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi et juravit, dicens; Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te.

Gradale. Ps. 30 Esto mihi in Deum protectórem et in locum refúgii: ut salvum me fácias.
℣. [1]In te, Domine, speravi:[1] non confundar in æternum.
Reiteratur Gradale.
Allelúya. ℣. Ps. 113 Qui timent Dóminum, sperent in eum: adjútor[2] et protéctor eórum est.
Si in tempore Paschali contigerit hoc servitium, tunc dicitur secundum Allelúya unum ex illis quæ scribuntur post Officium Quasi modo.

Secundum Matthæum. c. 10

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis; Eúntes prædicáte dicéntes, quia appropinquábit regnum cœlórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite. Gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum neque argéntum in zonis vestris: non peram, non calciaménta neque virgam, neque duas túnicas habeátis. Dignus est enim operárius mercéde sua. In quamcúnque civitátem intravéritis, interrogáte, quis in ea dignus sit: et ibi manéte donec exeátis. Intrántes autem domum, salutáte eam, dicéntes: Pax huic dómui. Et si quidem illa domus fuerit digna, máneat pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertétur. Et quicúnque non recéperit vos, nec audíerit sermónes vestros, exeúntes de domo vel de civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris super eam. Amen dico vobis: Tolerabílius erit terræ Sodomórum et Gomorrhæórum in die judícii, quam illi civitáti.

Offertorium. Ps. 9 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónem páuperum.
In tempore Paschali, Allelúya.
Hic offerant peregrini.

Secreta.

Propitiáre, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; et has oblatiónes quas offérimus pro fámulis tuis, benígnus assúme; ut viam illórum præcedénte grátia tua dírigas, et subsequénto comitári dignéris; ut de actu atque incolumitáte eórum secúndum misericórdiæ tuæ præsídia gaudeámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.
In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Postcommunio.

Sumpta, quæsumus, Domino, cœlestis mysterii sacramenta ad prosperitatem itineris famulorum tuorum proficiant; et eos ad salutaria cuncta perducant. Per.

Post Missam dicat sacerdos has sequentes Orationes super peregrinos prostratos coram altari, sive profecturi fuerint ad Hierusalem, sive ad sancti Jacobi limina, vel ad aliam peregrinationem.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Deus infinitæ misericordiæ et majestatis immensæ, quem nec spatia loco-

[1] Deus, in te speravi.—92. 4L. 15. 57. In te speravi, Domine.—97. 98. In te speravi.—94.
[2] eorum.—26. V.

rum nec intervalla temporum ab his quos tueris adjungunt; adesto famulo tuo (vel famulis tuis) in te ubique confidenti (vel confidentibus); et præsta, ut per omnem quam iturus est (vel ituri sunt) viam; dux ei (vel eis) et comes esse digneris, nihil ei (vel eis) adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat, cuncta ei (vel eis) sint salubria, cuncta sint et prospera; ut sub ope dexteræ tuæ quicquid juste petient (vel petierint) desiderio celeri et prospero consequatur (vel consequantur) effectu. Per Christum Dominum.

Oremus. Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui est via, veritas, et vita; iter vestrum (vel tuum) in beneplacito suo disponat; angelum suum Raphaelem in hac peregrinatione vestra (vel tua) custodem adhibeat, qui ad loca desiderata cum pace te eundo perducat, et cum salute iterum ad nos redeundo reducat. Sit interventrix tua (vel vestra) beata Dei genitrix Maria cum universis angelis et archangelis, patriarchis quoque et prophetis. Sint intercessores tui (vel vestri) sancti apostoli Petrus et Paulus cum cæteris apostolis, martyribus, confessoribus, atque virginibus; obtineantque tibi (vel vobis) sancti quorum quæris (vel quæritis) suffragia cum omnibus sanctis, justa desideria et prosperitatem, remissionemque omnium peccatorum, ac vitam æternam. Per eundem Dominum.

Deinde communicentur, et ita recedant in nomine Domini.

Sciendum est quod quotidie per Adventum Domini (quando chorus non regitur) usque ad vigiliam Nativitatis Domini, et ab octavis Epiphaniæ usque ad quartam feriam ante Pascha, et a crastino Sanctæ Trinitatis usque ad Adventum Domini, ante Tertiam dicitur Missa in capitulo pro fidelibus defunctis cum diacono et subdiacono, albis cum amictibus indutis tantum; nisi præcedente die festum duplex vel octava cum regimine chori contigerit; tunc enim nulla erit Missa pro defunctis in capitulo; et nisi quando corpus adest præsens, et etiam in anniversariis episcoporum: tunc enim ad altare authenticum aliquando dicitur Missa, aliquando ad alia altaria, juxta quæ corpora eorum requiescunt humata. Item, nulla feria in Paschali tempore dicitur Missa capitularis pro defunctis, nisi fuerit corpus præsens vel anniversarium vel aliquod trigintale.

Officium.

REQUIEM ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

Ps. 64 Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddétur votum in Hierúsalem; exáudi oratiónem meam: ad te omnis caro véniet.

Nota, quod ad quamlibet Missam quæ pro corpore præsenti celebratur, cujuscunque fuerit, nisi pro rege vel regina vel alio magno domino, quinque dicuntur Orationes.

Prima Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli.

Secunda Oratio. Deus, qui inter apostólicos.

Tertia Oratio. Deus, véniæ largítor.

Quarta Oratio. Omnípotens et miséricors Deus, unica salus mortálium.

Quinta Oratio. Fidélium Deus ómnium.

Infra trigintale, quinque dicuntur Orationes.

Prima Oratio. Deus, cui próprium est miseréri minor.

Et cæteræ Orationes ut supra pro corpore præsenti.

Item, in tricesima die omnes Orationes dicuntur ut infra trigintale.

In omnibus anniversariis quinque dicuntur Orationes.

Prima Oratio. Deus indulgentiárum.

Cæteræ ut supra pro corpore præsenti.

[1]In anniversariis tamen simplicibus cujuscunque canonici vel cujuscunque alterius, Oratio sic pronuncietur, Deus, indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli.[1]

Si Missa pro corpore præsenti vel anniversarium cujuscunque fuerit, infra trigintale celebretur,

Prima Oratio pro corpore præsenti vel anniversario dicitur.

Secunda, pro trigintali, Oratio. Deus, cui próprium minor.

Tertia. Deus, qui inter apostólicos.

Quarta. Deus, véniæ largítor.

Quinta. Fidélium.

[2]Quando autem dicitur Missa ferialis in capitulo pro defunctis, tres dicuntur Orationes.

Prima. Deus, qui inter apostólicos.

Secunda. Deus, véniæ largítor.

Tertia. Fidélium.[2]

Quandocunque corpus est præsens, et in anniversariis episcoporum et decanorum ecclesiæ, postquam executor officii in inceptione Missæ altare thurificaverit, diaconus cum thuribulo accedat et corpus illud in feretro vel in tumba incenset; similiter ante Evangelium dum Tractus canitur, incensato prius altari, et tertio postquam sacerdos sacrificium ante lotionem loco suo dispositum thurificaverit, idem diaconus thurificet sicut prius; non circumeundo corpus in feretro vel tumbam, sed ex utraque parte utraque vice, incipiendo a capite, semper tamen thurificando. Nunquam enim thurificatur corpus ad Placébo vel ad Dírige secundum usum Sarum, sed [3]hic[3] semper, nisi fuerit corpus regis, episcopi, comitis, vel baronis.

Quotidie ante diem sepulturæ pro corpore præsenti, cujuscunque fuerit, dicitur ista Oratio.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere, te súpplices deprecámur pro ánima fámuli tui quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti; ut non tradas eam in manus inimíci, nec obliviscáris in finem; sed júbeas illam ab ángelis sanctis suscipi, atque ad regiónem vivórum perdúci; et quia in te sperávit et crédidit, sanctórum tuórum mereátur societáte lætári. Per.

Pro corpore præsenti et in anniversariis et trigintalibus episcoporum et in die animarum tantum,

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli: ad Thessalonicenses. I c. 4

Fratres, Nólumus vos ignoráre de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim crédimus quod Jesus mórtuus est et resurréxit: ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini; quia nos qui vívimus, qui resídui sumus, in advéntu Dómini non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu et in voce archángeli et in tuba Dei descéndet de cœlo: et mórtui qui in Christo sunt resúrgent primi. Deínde nos qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áera, et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

[1] non habent 92. 4L. 15. 57.
[2] non habent 92. 4L. 15. 57.
[3] hic.—92. 94. hoc.—97. 13. 26. ad missam.—15. 57.

In anniversariis et trigintalibus aliorum quorumlibet,

Lectio libri Machabæorum. 2 c. 12

In diebus illis, Vir fortíssimus Judas, collatióne facta, duódecim míllia dragmas argénti misit Hierosólymam, offérri ea ibi pro peccátis mortuórum, juste et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos qui cecíderant resurrectúros speráret, supérfluum viderétur et vanum oráre pro mórtuis) et quia considerábat quod hi qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur.

Hæ duæ sequentes Epistolæ legantur per totum annum ad Missam quotidianam pro defunctis, alternis vicibus, per totam hebdomadam.

Lectio libri Apocalypsis beati Johannis Apostoli. c. 14

In diébus illis, Audívi vocem de cœlo, dicéntem mihi; Scribe. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. Amodo enim jam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos.

Ad Corinthios. 1 c. 15

Fratres, Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine.

[1]Quandocunque corpus adest præsens, cujuscunque fuerit, et in omnibus Missis pro episcopis, dicitur a tribus clericis de secunda forma, habitu non mutato, ad caput defuncti si adest; sin autem ad gradum chori,[1]

Gradale. Ps. 22 Si ámbulem in médio umbræ mortis, non timébo mala: quóniam tu mecum es, Dómine.

℣. Virga tua et báculus tuus: ipsa me consoláta sunt.

Et idem Gradale semper incipiatur et suus Versus percantetur a tribus clericis de secunda forma, habitu non mutato, ad caput defuncti si adest; sin autem ad gradum chori. In omnibus aliis Missis pro defunctis [2]dicatur sequens Gradale a toto choro simul interim sedente; nisi in die animarum.[2]

Gradale. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

℣. Ps. 24 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum hereditet terram.

Ita quod idem incipiatur, et suus Versus percantetur a tribus clericis de secunda forma, habitu non mutato; quandocunque corpus adest præsens ad caput defuncti tantum; sin autem, ad gradum chori; et in die animarum in pulpito. Alias, illud idem Gradale, Réquiem ætérnam et suus ℣. Animæ eórum in bonis quotiescunque cantantur in anniversariis et trigintalibus et in Missis ferialibus pro defunctis, post eorum inceptionem a toto choro interim sedente, absque neuma in fine percantentur.

Quandocunque corpus adest præsens, et in omnibus Missis pro episcopis defunc-

[1] In omnibus Missis pro defunctis Episcopis, semper dicitur.—92. 4L. 15. 57.

Vide etiam *'Defensorium Directorii'* apud Maskell. Monumenta Ritualia Tom. ii. pp. 340, 341; "Item illa Rubrica est falsa quæ scribitur in novellis Missalibus, 'quando corpus est præsens, dicitur Graduale *Si ambulem*,' quod nunquam dicetur nisi in Missis pro episcopis tantum."

[2] non habent 92. 4L. 15. 57.

tis, dicatur Tractus, Sicut cervus ibidem ubi Gradale, a quatuor clericis de superiori gradu, habitu non mutato, nequaquam ut in aliis Tractibus alternatim sedentibus, sed interim continue stantibus ad caput corporis, quod præsens fuerit, vel episcopi defuncti si adest; sin autem, ad gradum chori, quousque finierint ipsum Tractum; ita quod omnes illi quatuor clerici, simul primum Versum incipiant, quem duo ex parte chori principalis prosequantur; sequens Versus ab aliis duobus ex altera parte cantetur; et sic alternis vicibus singuli Versus totius Tractus ab illis quatuor dicuntur, choro simul interim sedente; ita quidem ut omnes simul ipsum Tractum terminent.

Tractus. Ps. 41 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem [1]Dei mei.[1]

℣. Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi per síngulos dies, ubi est Deus tuus.

In anniversariis et [2]trigintalibus[2] et in omnibus aliis Missis pro defunctis, dicitur sequens Tractus De profúndis a toto choro alternatim simul interim sedente cum cantu in Graduali super hoc notato, nisi in die animarum tantum, tunc enim dicitur cum eodem cantu quo in Dominica lxx, a quatuor clericis de superiori Gradu, habitu non mutato, ad gradum chori, supradicto modo quo scilicet Tractum Sicut cervus.

Tractus. Ps. 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

℣. Fiant aures tuæ intendéntes: [3]in oratiónem servi tui.[3]

℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

℣. Quia apud te propitiátio est: et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Pro corpore præsenti et in omnibus anniversariis et trigintalibus episcoporum, et in die animarum, similiter in dominicis et in secundis feriis quando dicitur missa ferialiter in capitulo vel alibi, dicitur sequens

Evangelium: secundum Johannem. c. 11

In illo témpore, Dixit Martha ad Jesum; Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus. Sed et nunc scio, quia quæcúnque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Jesus; Resúrget frater tuus. Dixit ei Martha; Scio, quia resúrget in resurrectióne, in novíssimo die. Dixit ei Jesus; Ego sum resurréctio et vita. Qui credit in me, étiamsi mórtuus fúerit vivet. Et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi; Utique, Dómine. Ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi qui in hunc mundum venísti.

Feria tertia: secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me non ejíciam foras. Quia descéndi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus qui misit me. Hæc est autem volúntas ejus qui misit me Patris: ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Hæc est enim volúntas Patris mei qui misit me: ut omnis qui videt Fílium

[1] Domini.—92. 94.
[2] trigesimis.—94. 97. 98. 13.
[3] vocem deprecationis meæ.—57. V.

et credit in eum, hábeat vitam ætérnam. Et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Feria quarta: secundum Johannem. c. 5

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum; Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiet a morte in vitam. Amen, amen, dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius Hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei: et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.

Feria quinta: secundum Johannem. c. 5

In illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis et turbis Judæorum; Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius quos vult vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non [1]venit[1] sed transiet a morte in vitam.

Feria sexta: secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Et panis quem ego dabo caro mea est, pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi, ad ínvicem dicéntes: Quómodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducándum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen, dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii Hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mánducat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam. Et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Sabbato: secundum Johannem. c. 6

In illo témpore, Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum; Amen, amen, dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii Hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mánducat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam. Et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium. Dómine Jesu Christe, rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus: ne cadant in obscúra tenebrárum loca: sed sígnifer sanctus Míchael repræséntet eas in lucem sanctam: quam olim Abrahæ promisísti et sémini ejus.

Notandum est, quod quandocunque corpus adest præsens, et in omnibus anniversariis et trigintalibus, post ablutionem manuum, incipiat sacerdos junctis manibus in medio altaris.



Chorus respondeat.

[1] veniet.—97. 98 13.

Tu súscipe pro animábus illis quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam.

Et interim dicat sacerdos privatim.

In spíritu humilitátis. more solito.

Deinde [1]conversus ad populum[1] dicat similiter privatim.

ORATE, fratres et soróres pro fidélibus defúnctis.

Chorus respondeat cantando Versum.

RÉQUIEM ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Quam olim Abrahæ promisísti et sémini ejus.

In omnibus vero aliis Missis pro defunctis quæ ferialiter dicuntur, nec quando ultimo ante pascha completur officium mortuorum, nec etiam in die animarum dicitur.

In die animarum tantum: Offertorium.

O pie Deus, qui primam hominem ad æternam gloriam revocasti: pastor bone, qui ovem perditam pio humero ad ovile reportasti: juste judex, dum veneris judicare, libera de morte animas eorum quas redemisti, ne tradas bestiis animas confitentes tibi: ne derelinquas eas in finem.

Ante diem sepulturæ: Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, misericors Pater, oblationem quam tibi offerimus pro anima famuli tui N. quam hodie de carnali corruptione liberasti: et concede, ut ab omnibus humanæ conditionis excessibus his remediis expietur; et in requie sempiterna diem resurrectionis præstoletur. Per.

In omnibus Missis pro corpore præsenti et in omnibus anniversariis et trigintalibus, et in die animarum, et quando ultimo fit servitium mortuorum ante Pascha, dicitur hæc Communio.

Pro quorum memoria corpus Christi sumitur, dona eis, Domine, requiem sempiternam.

℣. Et lux perpetua luceat eis. Pro quorum memoria sanguis Christi sumitur, dona eis, Domine, requiem sempiternam.

In omnibus aliis Missis pro defunctis dicitur hæc Communio.

Lux ætérna lúceat eis, Dómine: cum sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

[2]cum Versu

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

et cum repetitione.

Cum sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

Secundum omnes libros Sarum Ecclesiæ.[2]

Ante diem sepulturæ: Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui N. ab angelis lucis susceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per Dominum.[3]

In die sepulturæ, cujuscunque corpus fuerit, dicitur ista Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, misericordiam tuam supplices deprecamur,

[1] non habent 92. 94. 4L. 15. 57.

[2] non habent 92. 4L. 15. 57.

[3] Nota, quod in anniversariis simplicis cujuscunque canonici vel cujuscunque alterius dicantur Orationes quæ in anniversariis episcoporum; Epistola Vir fortissimus Judas, Gradale Requiem æternam, Versus Animæ eorum a toto choro dicitur, Tractus De profundis similiter a toto choro cantetur, Evangelium vero prout supra in feriis prænotatis. Nota etiam, quod quando dicitur Missa mortuorum ferialiter, Gradale per cantorem inchoetur et a toto choro interim sedente cum suo versu absque neuma percantetur, similiter et Tractus De profundis cum cantu abbreviato. Et sciendum est quod hæc missa quæ ferialiter in capitulo dicitur pro fidelibus defunctis, generaliter habet dici etiam ante Pascha quando completur Officium mortuorum, ac etiam in die animarum.—4L 15. 57.

ut animam famuli tui cujus corpori debitum sepulturæ officium persolvimus, in sinum Abrahæ patriarchæ tui jubeas collocari; ut cum dies agnitionis tuæ advenerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitari præcipias. Per Dominum.

Secreta.

SUSCIPE, Domine, pro anima famuli tui hostiam quam Deo Patri obtulisti pro nobis benigne; et quia causa hominum descendisti de cœlis, te redeunte, sanctorum tuorum mereatur adjungi consortiis. Per te, Salvator mundi, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui cujus corpori hodie officia humanitatis exhibemus, his sacrificiis expiata, salvationis tuæ perpetuo munere gratuletur. Per Dominum.

In die trigintali.

Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, propitiáre ánimæ fámuli tui, et ómnia peccáta ejus dimítte, ut mortis vínculis absolútus, transíre mereátur ad vitam. Per Dóminum.

Secreta.

INTUERE, quæsumus, omnipotens æterne Deus, et placatus suscipere dignare hoc sacrificium quod tibi offerimus pro anima famuli tui; et concede illi pacem perpetuam et requiem sempiternam. Per Dominum.

Postcommunio.

PROSIT, quæsumus, Domine, animæ famuli tui divini celebratio sacramenti; ut ejus in quo speravit et credidit, æternum capiat, te miserante, consortium. Qui tecum.

In anniversariis.

Oratio.

DEUS indulgentiárum Dómine, da ánimæ fámuli tui, cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, lúminis claritátem. Per Dóminum.

Secreta.

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris pro ánima fámuli tui, cujus hódie ánnua dies ágitur; pro qua tibi offérimus sacrifícium laudis, ut eam sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui, cujus anniversárium depositiónis diem recolimus, his purgáta sacrifíciis indulgéntiam páriter et réquiem cápiat sempitérnam. Per Dóminum.

Pro episcopis.

Oratio.

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulos tuos pontificáli fecísti dignitáte censéri, præsta, quæsumus, ut quorum vicem ad horam gerébant in terris, eórum perpétuo consórtio læténtur in cœlis. Per.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Domine, oblationem nostræ servitutis pro animabus famulorum tuorum pontificum, supplicantes ut cum præsulibus apostolicæ dignitatis quorum sunt executi officium habere mereantur sempiternæ beatitudinis portionem. Per.

Postcommunio.

PROFICIAT, quæsumus, Domine, animabus famulorum tuorum pontificum divini celebratio mysterii; ut quos in terris positos hujus muneris dispensatores esse fecisti, inter electos antistites eos jubeas connumerari. Per Dominum.

Pro fratribus et sororibus.

Oratio.

DEUS, véniæ largítor et humánæ salútis [1]amátor,[1] quæsumus cleméntiam tuam, ut nostrárum congregatiónum fratres et soróres qui ex hoc sæculo transiérunt, intercedénte beata María semper vírgine et beáto Michaéle archángelo cum ómnibus sanctis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Dóminum.

Secreta.

DEUS, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ; et animábus fratrum et sorórum nostrárum congregatiónum quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ cunctórum remissiónem tríbue peccatórum. Per.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens et misérícors Deus, ut ánimæ fratrum et sorórum nostrárum congregatiónum pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus sacraménti virtútem a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem. Per.

Pro benefactoribus.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, unica salus mortalium; te supplices exoramus pro animabus famulorum famularumque tuarum, parentum et benefactorum nostrorum, ut, intercedente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, peccatorum eis largiri digneris indulgentiam, et in novissimo die beatæ reaurrectionis lætitiam. Per eundem.

Secreta.

SANCTIFICA, quæsumus, Domine, hæc fidelium omnium vitalia sacramenta, et per ea, interveniente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, concede ut hoc ipsum proficiat animabus famulorum famularumque tuarum, parentum et benefactorum nostrorum, ut ab omnibus vitiis expiatæ pabulo vitæ reficiantur æternæ. Per eundem.

Postcommunio.

VIVIFICET nos, quæsumus, Domine, salutare quo pasti sumus sacramentum; et, interveniente beata Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, concede ut hoc ipsum proficiat animabus famulorum famularumque tuarum, parentum et benefactorum nostrorum, ad promerendam tuæ propitiationis gratiam et percipiendam futuræ resurrectionis gloriam sempiternam. Per eundem.

Pro abbate.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui abbatis, quem in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosa semper exsultet. Per.

[1] ita 15. etc. auctor.—92. 94. 97. 98. 4L. 8RM.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, hostias quas tibi pro anima famuli tui abbatis humiliter immolamus, obsecrantes misericordiam tuam, ut cui sacerdotale officium contulisti, dones et meritum. Per.

Postcommunio.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc sancta mysteria, anima famuli tui abbatis in conspectu tuo clara consistat, qui tibi fideliter ministravit. Per Dominum.

Pro sacerdote.

Oratio.

DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli tui sacerdotis preces nostras, et lucis ei lætitiæque regionem in sanctorum tuorum societate concede. Per Dominum.

Secreta.

QUÆSUMUS, Domine Deus noster, ut oblationem quam tibi offerimus pro anima famuli tui sacerdotis, placatus accipias; et quem tuis altaribus servire tribuisti, ad beatorum pervenire jubeas consortia sacerdotum. Per Dominum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, per hæc sancta mysteria, animæ famuli tui sacerdotis æternæ felicitatis consortium, cui donasti sacri altaris consequi ministerium. Per.

Pro patre et matre.

Oratio.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter animábus patris et matris meæ, eorúmque peccáta dimítte, meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére.[1] Per.

Secreta.

SÚSCIPE, Dómine, hoc sacrifícium quod tibi pro animábus patris et matris meæ offértur, eisque gáudium sempitérnum in regióne vivórum concéde, meque cum eis felicitáti sanctórum adjúnge. Per Dóminum.

Postcommunio.

CŒLÉSTIS, Dómine, participátio sacraménti animábus patris et matris meæ réquiem et lucem obtíneat perpétuam, meque cum illis grátia tua corónet ætérna. Per.

Pro quolibet defuncto.

Oratio.

DEUS, cui soli competit medicinam præstare post mortem, tribue, quæsumus, ut anima famuli tui ab omnibus exuta peccatis, electorum tuorum societatibus aggregetur. Per.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, hanc oblationem quam tibi offerimus pro anima famuli tui, ut requiem æternam dones ei inter sanctos et electos tuos, quatenus illorum consortio et vita perfruatur æterna. Per Dominum.

Postcommunio.

ASCENDANT ad te, Domine, preces nostræ, et per hæc sancta quæ sumpsimus anima famuli tui gaudia æterna suscipiat; ut quem fecisti adoptionis participem, jubeas hereditatis tuæ esse consortem. Per.

[1] cum illis in æternæ claritatis gaudio fac vivere.—26. 57.

Pro amico defuncto.

Oratio.

ADJUVA nos, Deus salutaris noster, et, beatissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ precibus exoratus, animam famuli tui in beatitudinem sempiternæ lucis constitue. Per.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus, Domine, hostias placationis et laudis quas in honore beatæ Dei genitricis Mariæ nomini tuo consecrandas offerimus, et pro requie famuli tui tibi suppliciter imploramus. Per.

Postcommunio.

ASCENDANT ad te, Domine, preces nostræ, et anima famuli tui gaudia æterna [1]suscipiat;[1] et quem fecisti adoptionis participem, intercedente beata Dei genitrice Maria, jubeas hereditatis tuæ esse consortem. Per eundem.

Pro defuncto morte prævento.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, in cujus potestate humana conditio consistit; animam famuli tui, quæsumus, ab omnibus absolve peccatis, ut pœnitentiæ fructum quem voluntas ejus optavit, præventus morte non perdat. Per.

Secreta.

SATISFACIAT tibi Domine, quæsumus, pro anima famuli tui sacrificii præsentis oblatio, et peccatorum veniam quam quæsivit inveniat, et quod officio vocis implere non potuit, desiderata pœnitentiæ fructum, te largiente, [2]perficiat.[2] Per.

Postcommunio.

DEUS, a quo præstatur humanis cordibus omne quod bonum est, tribue per hæc sancta quæ sumpsimus, ut sicut animæ famuli tui pœnitentiam velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per Dominum.

Pro masculis familiaribus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur; propitiare animabus famulorum tuorum, ut qui de hac vita in tui nominis confessione decesserunt, sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Dominum.

Secreta.

PROPITIARE, quæsumus, Domine, animabus famulorum tuorum pro quibus hostias tibi placationis offerimus; et quia in hac luce in fide manserunt catholica, in futura eis vita misericordissima retributio condonetur. Per Dominum.

Postcommunio.

HÆC nos communio, Domine, purget a crimine, et animabus famulorum tuorum cœlestis gaudii tribuat consortium; ut ante [3]tribunal[3] gloriæ Christi tui segregati cum dextris nihil commune habeant cum sinistris. Per eundem.

Pro feminis familiaribus.

Oratio.

QUÆSUMUS, Domine, pro tua pietate miserere animabus famularum tuarum, et a contagiis mortalitatis exutas in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum.

[1] possideat.—92. 4L. 15. 57.
[2] percipiat.—92. 94. 97. 98. 4L.
[3] ita 15. etc. thronum.—92. 4L. 8RM. 57.

Secreta.

HIS sacrificiis, Domine, animæ famularum tuarum a peccatis omnibus exuantur, sine quibus a culpa nemo liber [1]exstitit;[1] [2]et præsta,[2] ut per hæc piæ placationis officia, perpetuam misericordiam consequantur. Per Dominum.

Postcommunio.

INVENIANT, quæsumus, Domine, animæ famularum tuarum lucis æternæ consortium, cujus perpetuæ misericordiæ consecutæ sunt sacramentum. Per Dominum.

Pro femina defuncta.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, quæsumus, Domine, suppliciter deprecamur, ut anima famulæ tuæ ab omnibus quæ humanitus commisit exuta, in tuorum censeatur sorte justorum. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, humili supplicatione deferimus, deprecantes majestatem tuam, ut anima famulæ tuæ per hæc piæ placationis officia pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus, Domine, animæ famulæ tuæ misericordiam sempiternam; ut eam mortalibus nexibus expeditam lux æterna possideat. Per Dominum.

Pro trigintalibus.

Oratio.

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur; ut animas famulorum famularumque tuarum, quas de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortes. Per Dominum.

Secreta.

ANIMAS famulorum famularumque tuarum, quæsumus, Domine, ab omnibus vitiis conditionis humanæ hæc absolvat oblatio; quæ etiam totius mundi tulit immolata peccatum. Per Dominum.

Postcommunio.

ANNUE nobis, Domine, per hoc sacrificium quod sumpsimus, ut animæ famulorum famularumque tuarum remissionem quam semper optaverunt, mereantur percipere delictorum. Per Dominum nostrum.

Pro benefactoribus.

Oratio.

MISERERE, quæsumus, Domine, animabus omnium benefactorum nostrorum defunctorum; et pro beneficiis quæ nobis largiti sunt in terris, præmia æterna consequantur in cœlis. Per Dominum.

Secreta.

PLACEAT tibi, Domine, sacrificii præsentis oblatio, pro nostra omniumque benefactorum nostrorum salute; quorum quarumque memoriam speciali affectu recolimus, omnibusque Christianis vivis ac defunctis miserere propitius. Per Dominum.

Postcommunio.

SUMPTA sacramenta, Domine, nos absolvant a vinculis peccatorum, et animabus omnium benefactorum nostrorum defunctorum consortia obtineant spirituum beatorum. Per Dominum.

[1] existit.—98. 4L. 13. 15.
[2] non habent 92. 94. 97. 98.

Pro quiescentibus in cimiterio.

Oratio.

DEUS, in cujus miseratione animæ fidelium requiescunt; animabus famulorum famularumque tuarum omnium, hic et ubique in Christo quiescentium, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Dominum.

Secreta.

PRO animabus famulorum famularumque tuarum omnium, hic et ubique in Christo quiescentium, hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam: ut hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis exutæ vitam invenire mereantur æternam. Per eundem.

Postcommunio.

DEUS, fidelium lumen animarum, adesto propitius invocationibus nostris, et da famulis et famulabus tuia quorum corpora hie et ubique in Christo requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. Per eundem.

Pro quibus orare tenemur.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, Domine Deus noster, ut anima famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque commemorationem speciali devotione agimus, et pro quibus orare jussi et debitores sumus, atque omnium benefactorum nostrorum ac omnium consanguineorum et familiarium nostrorum cunctorumque fidelium in sinibus sanctorum tuorum requiescant, moxque ex mortuis resuscitati tibi placeant in regione vivorum. Per.

Secreta.

HÆC munera, quæsumus, Domine, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, animabus famulorum famularumque tuarum, quorum quarumque commemorationem speciali devotione agimus et pro quibus orare jussi et debitores sumus, atque omnium benefactorum nostrorum necnon consanguineorum nostrorum ac familiarium nostrorum cunctorumque fidelium salutaria esse concede; ut tua pietate vinculis horrendæ mortis exutæ, æternæ beatitudinis mereantur esse participes. Per.

Postcommunio.

DEUS, qui inæstimabili misericordia animas mortalium ab angustiis transfers ad requiem; propitiare supplicationibus nostris pro animabus famulorum famularumque tuarum quorum quarumque commemorationem speciali devotione agimus, et pro quibus orare jussi et debitores sumus, et omnium benefactorum nostrorum, necnon consanguineorum ac familiarium nostrorum cunctorumque fidelium; ut eas paradiso restituens in tuorum censeas sorte justorum. Per Dominum.

Pro omnibus fidelibus defunctis.

Oratio.

FIDÉLIUM, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui.

Secreta.

HÓSTIAS, quæsumus, Dómine, quas tibi pro animábus ómnium fidélium defunctórum offérimus, propitiátus inténde; ut quibus fídei Christiánæ méritum contulísti, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio.

ANIMÁBUS, quǽsumus, Dómine, ómnium fidélium defunctórum orátio proficiat supplicántium; ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes. Per Dóminum.

Oratio Generalis.

PIETATE tua, quæsumus, Domine, nostrorum solve vincula omnium delictorum; et, intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, dominum papam, reges, et principes, et episcopos, et abbates, et omnem plebem illis commissam, nosque famulos tuos, atque loca nostra in omni sanctitate custodi; omnesque consanguinitate ac familiaritate vel confessione et oratione nobis junctos, seu omnem populum catholicum a vitiis omnibus purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, pestem et famem repelle, inimicis nostris et amicis nostris veram caritatem atque infirmis sanitatem largire, et iter famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; et omnibus fidelibus vivis ac defunctis in terra viventium vitam et requiem æternam concede. Per eundem.

Secreta.

DEUS, qui singulari corporis tui hostia totius mundi solvisti delicti; hac oblatione placatus maculas peccatorum nostrorum absterge, et omnium Christianorum fidelium vivorum atque mortuorum peccata dimitte; nobisque, intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis, præmia æterna largire, Salvator mundi. Qui cum Deo Patre.

Postcommunio.

SUMPTA sacramenta, quæsumus, Domine, omnia crimina nostra detergant; omnemque pravitatem et hostilem impugnationem visibilem et invisibilem, seu infirmitatem atque subitam mortem, meritis beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ et omnium sanctorum tuorum intercessione, a nobis procul repellant; et omnibus fidelibus vivis ac defunctis prosint ad veniam pro quorum quarumque tibi sunt oblata salute. Per eundem Dominum.

Oratio Generalis.

SANCTISSIMÆ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et beatarum omnium cœlestium virtutum, sanctorum quoque patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, atque virginum, et omnium simul sanctorum tuorum, quæsumus, omnipotens Deus, meritis ac precibus placatus, tribue nobis misericordiam tuam; et da populo tuo inviolabilem fidei firmitatem et pacem; repelle a nobis hostem et famem et pestem; da nobis in tua virtute constantiam et fortitudinem; immitte hostibus nostris formidinem et invalitudinem; retribue omnibus nobis bona facientibus, vitæ æternæ beatitudinem; da inimicis nostris et persequentibus nos recognitionem et indulgentiam; concede defunctis nostris et omnibus in Christo quiescentibus remissionem omnium peccatorum et requiem sempiternam. Per eundem.

Secreta.

IN conspectu divinæ majestatis tuæ, quæsumus, omnipotens Deus, intercedente sanctissima Dei genitrice semperque virgine Maria et beatis omnibus cœlestibus virtutibus, sanctis quoque patriarchis, prophetis, apostolis, evangeli-

stis, martyribus, confessoribus, et virginibus, atque omnibus simul sanctis tuis, oblationes nostræ et preces acceptabiles ascendant; et tua [1]propitiatione[1] veniam nobis et pacem tribue; hostem, famem, et pestem a nobis repelle; fidem, spem, et caritatem nobis largire; defensione tua nos semper protege; hostium nostrorum superbiam et virtutem contere; omnibus nobis bona facientibus gratiæ tuæ abundantiam tribue; discordantes ad pacis bona converte; defunctis nostris requiem concede, et omnibus fidelibus tuis vitam sempiternam largire. Per.

Postcommunio.

PER hujus sacramenti mysterium atque virtutem, quæsumus, Domine Deus noster omnipotens, sanctissima Dei genitrice semperque virgine Maria et beatis omnibus cœlestibus virtutibus, sanctis quoque patriarchis, prophetis, apostolis, evangelistis, martyribus, confessoribus, et virginibus, atque omnibus simul sanctis tuis intercedentibus, vitiorum nostrorum maculæ deleantur, et preces nostræ in conspectu majestatis tuæ acceptabiles inveniantur; populusque tuus a peccatis et hostibus liberetur, fidei rectitudine roboretur; hostiumque nostrorum superbia et fortitude prosternantur; pestilentiæ et fames procul pellantur; bona nobis facientes gratiæ tuæ abundantia repleantur; discordantes in fraternam pacem revocentur; defuncti nostri requiem consequantur; et omnes fideles tui vitam æternam adipisci mereantur. Per eundem Dominum.

Oratio Generalis.

OMNIUM sanctorum tuorum intercessionibus, quæsumus, Domine, gratia tua nos semper protege; et Christianis omnibus viventibus atque defunctis misericordiam ubique prætende; ut viventes ab omnibus impugnationibus sint tua opitulatione defensi, et defuncti remissionem mereantur percipere suorum omnium peccatorum. Per.

Secreta.

OBLATIONES nostras, quæsumus, Domine, propitiatus intende, et ob tuorum omnium sanctorum honorem veniam nobis nostrorum tribue peccatorum, et Christianis omnibus viventibus atque defunctis hæc præsens oblatio, et præsentis vitæ subsidia, et futuræ præmia æterna acquirat. Per Dominum.

Postcommunio.

HÆC sacrificia, Domine, quæ sumpsimus, meritis et intercessionibus omnium sanctorum tuorum, nobis ad salutem proficiant, et Christianis omnibus viventibus atque defunctis, te favente, æterna ac temporalia præmia benigne acquirant. Per Dominum.

Oratio Generalis.

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris quos tuos fide et ópere futúrós esse prænóscis; te supplíciter exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam et gáudia cónsequi mereántur ætérna. Per.

Secreta.

DEUS, cui soli cógnitus est númerus electórum in supérna felicitáte locándus; tríbue, quæsumus, ut universó-

[1] protectione.—26. 57.

rum quos in oratióne commendátos suscépimus, sive ómnium fidélium, nómina beátæ prædestinatiónis liber ascrípta retíneat. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRO cœlestis convivii jocunditate gratias tibi referimus, rex et sacerdos noster, majestatem tuam humiliter rogantes, ut hæc sacrosancta corporis et sanguinis tui hostia, non sit nobis reatus ad pœnam sed intercessio salutaris ad veniam; sit ablutio scelerum; sit fortitudo fragilium; sit contra omnia mundi pericula firmamentum; sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. Per te, Salvator mundi, rex gloriæ. Qui vivis et regnas.

[Trigintale S. Gregorii.]

Si quis Trigintale sancti Gregorii celebrare disposuerit, tunc celebret tres Missas de Nativitate Domini, tres de Epiphania Domini, tres de Purificatione beatæ Maria, tres de Annunciatione ejusdem, tres de Resurrectione Domini, tres de Ascensione Domini, tres de Pentecoste, tres de Trinitate, tres de Assumptione beatæ Mariæ virginis, et tres de Nativitate ejusdem; ita quod istæ Missæ celebrentur infra octavas dictorum festorum sicut in prima die cum eodem Kýrie eléison, Glória in excélsis, et Credo, et Sequentia, et Præfatione, Communicántes, et Hanc ígitur, Sanctus, et Agnus, sicut continentur in Canone, et cum istis Orationibus subsequentibus; ita quod Orationes subsequentes cum Oratione de festo sub uno Orémus et sub uno Per Dóminum dicantur. Et debent dici quotidie per annum Placébo et Dírige, cum novem Psalmis et novem Lectionibus et novem Antiphonis, nisi in tempore Paschali, in quo quotidie cum tribus Lectionibus dicetur; et toties dicetur commendatio animarum; ita quod tam ad Placébo quam ad Dírige sit prima Oratio Deus summa spes, et etiam in commendatione animarum; et ad Missam de die dicitur prædicta Oratio ab eo qui Missam celebrat, per totum annum.

Oratio.

DEUS, summa spes nostræ redemptionis, qui in terra promissionis ante omnes terras nasci elegisti, mortemque ibidem sustinuisti; libera propitius animam famuli tui N. de manibus dæmonum, et eandem terram de potestate paganorum; ut populus qui in te non credit, per virtutem tuam emendationem habeat, et illis omnibus qui in te confidunt, [1]pro tua magna pietate succurre.[1] Qui cum Deo Patre et Spiritu.

Secreta.

OMNIPOTENS [2]sempiterne[2] Deus, redemptor animarum salvandarum et pretium redemptionis generis humani; miserere clementer animæ famuli tui N.; et quicquid in eo vitiorum, fallente diabolo et propria iniquitate,[3] contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo; et terram quam sanguine proprio tuo dedicasti, de manibus inimicorum crucis eripias, vota filiorum Israel ad ejus liberationem instantium in viam salutis æternæ misericorditer dirigendo. Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, qui es vita viventium, spes morientium, et salus omnium

[1] per tuam magnam succurre pietatem—4L. 15. 57.
[2] et misericors.—94.
[3] seu fragilitate.—94.

in te sperantium, qui terram hereditatis tuæ per peccata filiorum Esau pollutant pretioso sanguine tuo dignatus es consecrare; tu animam famuli tui N. per hujus virtutem sacramenti a peccatis omnibus exuas, et a pœnis quas pro his meretur eripias; et populum incredulum ac rebellem per gratiam tuam facias peculiarem; illisque omnibus qui in tua misericordia confidunt manum auxilii tui piissime largiendo. Qui vivis et regnas cum Deo.

Prosa pro defunctis qui voluerit.

Dies iræ, dies illa
solvet sæclum in favilla,
teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus
quando judex est venturus,
cuncta stricte discussurus!
Tuba mirum spargens sonum
per sepulcra regionum,
coget omnes ante thronum.
Mors stupebit et natura
cum resurget creatura
judicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur,
unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
quidquid latet apparebit,
nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
quem patronum rogaturus?
dum vix justus sit securus.
Rex tremendæ majestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis.
Recordare, Jesu pie,
quod sum causa tuæ viæ,
ne me perdas illa die.
Quærens me, sedisti lassus;
redemisti crucem passus;
tantus labor non sit cassus.
Juste judex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus,
culpa rubet vultus meus;
supplicanti parce, Deus.
Qui Mariam absolvisti,
et latronem exaudisti;
mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
sed tu, bone, fac benigne
ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
et ab hædis me sequestra,
statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis,
voca me cum benedictis.
Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis,
gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa
qua resurget ex favilla
iudicandus homo reus;
huic ergo parce, Deus.
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem.

Missa pro mortalitate evitanda

quam dominus Papa Clemens fecit et constituit in collegio cum omnibus Cardinalibus, et concessit omnibus pœnitentibus, vere contritis et confessis, sequentem Missam audientibus, cclx. dies indulgentiæ. Et omnes audientes sequentem Missam debent portare in manu unam candelam ardentem dum Missam audiunt per quinque dies sequentes, et tenere eam in manu per totam Missam, genibus flexis: et eis mors subitanea nocere non poterit. Et hoc est certum et approbatum in Avinione et in partibus circumvicinis.

Officium.

RECORDARE, Domine, testamenti tui, et dic angelo percutienti, cesset jam manus tua: ut non desoletur terra: et ne perdas omnem animam vivam.

In tempore Paschali, Allelúya.

Ps. 79 Qui regis Israel inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph.

Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui non vis mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te converte propitius; ut dum tibi devotus [1]exsistit,[1] iracundiæ tuæ ab eo flagella [2]clementer[2] amoveas. Per Dominum.

Lectio libri Regum. 2 Reg. 24

IN diébus illis, Immísit Dóminus pestiléntiam in Israel, de mane usque ad tempus constitútum; et mórtui sunt de pópulo a Dan usque Bersabée septuagínta míllia virórum. Cumque extendísset manum suam ángelus Dómini super Hierúsulem ut dispérderet eam, misértus est Dóminus super afflictiónem, et ait ángelo percutiénti pópulum; Súfficit; nunc cóntine manum tuam. Erat autem ángelus Dómini juxta arcam Aréuna Hiebusæi. Dixítque David ad Dóminum cum vidísset ángelum cædéntem pópulum; Ego sum qui peccávi, et ego iníqua egi: isti qui oves sunt, quid fecérunt? Vertátur, óbsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. Venit autem Gad prophéta Dómini ad David in die illa, et dixit ei; Ascénde et constítue altáre Dómino in área Aréuna Hiebusæi. Et ascéndit[3] juxta sermónem Gad quem præcéperat ei Dóminus.

Gradale. Ps. 106 Misit Dóminus verbum suum et sanávit eos: et erípuit eos de interitu eórum.

℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúya. ℣. Salvábo pópulum meum in médio Hierúsalem: et ero eis in Deum in veritáte et justítia.

Sequentia.

JUBILEMUS pia mente,
voci corde concinente,
Trinitatem collaudantes;
Patrem Prolemque precemur,
Sanctum Pneuma veneremur,
laudis melos concrepantes.
Omnes una proclamemus,
summum Deum imploremus,
misereri ut dignetur;
cor gravatur, mens languescit,
jam gens mœret et plangescit.
pestis morsum dum veretur.
Aura lædit, furit pestis,
morbus urit, nulla mœstis
spes salutis redditur;
mare fluit mixtum felle,
jam tempestas, jam procellæ,
plebs ubique premitur.
Si pro malis irascaris,
tempus est ut revertaris;
pie Jesu, miserere;
leo lustrans, oves quærit;
nisi præsis, ovis perit;
bone pastor, nos tuere.
Terra, mare, firmamenta,
quæque parent elementa,
tuo facta numine;
mare novit te calcantem,

[1] exstiterit—94. 4L. 15.
[2] non habent 94. 4L. 15.
[3] David.—4L. 15.

dum te sentit ambulantem,
factor fertur flumine.
Cuncta sistunt, te jubente;
non moventur, sed repente
redduntur pacifica;
toto nisu, tota cura,
omnis laudat te factura,
O virtus almifica.
Auras mitte nobis lætas,
pestes prece procul pelle,
transfer nos ad vitæ metas,
ne nos turbent tot procellæ.
Olim culpa nos ligati
respirantes cedimus,
corde mœsto flagellati,
tibi soli credimus.
Lex antiqua transgressores
conversos eripuit;
tuæ legis abusores
pie dum corripuit.
Joab Abner persequente,
et hunc armis insequente,
prece datur venia;
Joab vitam consecutus,
nocte viam transit tutus,
per mentis cacumina.
Davidi prophetico
vita datur termino,
pro delicto gravi;
tersum fugit facinus,
dum fatetur vocibus,
inquiens, Peccavi.
Ezechias reddit fletum,
et peccatum est deletum,
statim ut pœnituit;
fletum fecit et profecit,
sibi Deus hinc adjecit
annos et constituit.
Mitis Hester piæ mentis
pro salute suæ gentis,
Assuerum adiit;
hinc fit salus Mardochæo,
crux æquatur Aman reo,
qui suspensus periit.
Virtus Judith de supernis
diva dum illuminat,
caput aufert Holofernis
et captivos liberat.
Mater ergo summi regis,
tibi natus Christus versus,
Vos signavit umbra legis,
Hester tu, Hic Assuerus.
Virgo Natum intercede,
ut afflictos liberet;
salvet hos a pestis cæde,
quos pie redemerat.
Virgo mater, maris Stella,
fons hortorum, Verbi cella,
ne nos pestis aut procella
peccatores obruant.
Eia, mater, terge fletum,
tempestatis tolle fretum,
cor mœstorum redde lætum,
jam preces subveniant.
Proles parcit si peroras,
mater ergo rumpe moras;
posce tuum Filium;
aura fœda rumpens pestis
simul cadant, confer mœstis
salutis auxilium.
Nostros tuus ipse Natus
tollat pœnas et reatus,
nobis præstans consolamen,
Sui regni sempiterni,
ubi cives sunt superni,
personemus omnes, Amen.

Secundum Lucam. c. 4

In illo témpore, Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus, et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam imperávit febri: et dimí-

sit illam. Et contínuo surgens ministrábat illis. Cum sol autem occidísset, omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos. Exíbant autem dæmónia a multis, clamántia et dicéntia; quia tu es Fílius Dei. Et íncrepans non sinébat ea loqui: quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die, egréssus ibat in desértum locum; et turbæ requirébant eum, et venérunt usque ad ipsum. Et detinébant eum, ne discéderet ab eis. Quibus ille ait; Quia et áliis civitátibus opórtet me evangelizáre regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagógis Galilǽæ.

Offertorium. Num. 16 Stetit póntifex inter mórtuos et vivéntes, habens thuríbulum áureum in manu sua: et ófferens incénsi sacrifícium placávit iram Dómini, et cessávit plaga a domo et a pópulo Israel.

In tempore Paschali, Allelúya.

Secreta.

SUBVÉNIAT, Dómine, quǽsumus, plebi tuæ sacrifícii præséntis operátio, quæ nos ab erróribus et terróribus univérsis poténter absólvat; et a totíus custódiat et defendat perditiónis incúrsu. Per.

Communio. Luc. 6 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébunt ad Jesum: quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio.

EXÁUDI nos, Deus salutáris noster, et, intercedénte beáta Dei genitríce María, pópulum tuum ab iracúndiæ tuæ horróribus líberum, et in misericórdia tua fac tua largitáte secúrum. Per Dóminum.

Istud Evangelium compositum fuit per Johannem Papam xxii. apud Avinionem tertio die ante decessum suum; pro quo concessit omnibus illud dicentibus vel audientibus, vere confessis et contritis, trecentos dies indulgentiæ.

Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Johannem. c. 19

IN illo témpore, Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit eum. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt super caput ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum, et veniébant ad eum et dicébant; Ave, rex Judǽórum. Et dabant ei álapas, exspuéntes in eum. Et accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus. Suscepérunt autem mílites Jesum, et bájulans sibi crucem, exívit in illum locum qui dícitur Calváriæ, et ibi crucifixérunt eum. Et cum eo álios duos, hinc et inde, médium autem Jesum. Postea autem sciens Jesus ómnia quæ ventúra erant, dixit; Sítio. Illi autem spóngiam plenam acéto hysópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Et cum gustásset, noluit bíbere, sed dixit; Consummátum est. Et inclináto cápite, emísit spíritum. Et statim terra contrémuit, et sol obscurátus est, et velum templi scissum est, et petræ scissæ sunt, et monuménta apérta sunt; et qui dormíerant surrexérunt. Quæ cum vidísset centúrio, dixit; Vere Fílius Dei erat iste. Tandem unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui ista vidit, testimónium perhíbuit; et scimus quia verum est testimónium ejus.

Dóminus vobíscum.

Et cum spíritu.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui manus tuas et pedes tuos et totum corpus tuum pro nobis peccatoribus in ligno crucis posuisti, et coronam spinarum a Judæis in despectu tui sacratissimi corporis super caput tuum impositum sustinui-

sti, et quinque vulnera pro nobis peccatoribus in crucis patibulo passus fuisti, et nos de sacro sanguine tuo redemisti; da nobis, quæsumus, Domine, hodie et quotidie usum pœnitentiæ, abstinentiæ, et patientiæ, humilitatis, castitatis, lumen, sensum, et intellectum, veram scientiam usque in finem. Per te, Jesu Christe, salvator mundi, rex gloriæ. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis.

MISSA PRO ITINERANTIBUS
de sanctis tribus Regibus Coloniæ.

Officium, Epistolæ, Gradale, Alleluya, Evangelium, Offertorium et Communio, ut in Epiphania Domini, cum his Orationibus.

Deus, qui tres magos orientales, Jaspar, Melchior, et Baltasar, ad tua cunabula, ut te mysticis venerarentur muneribus, sine impedimento, stella duce duxisti; concede propitius, ut per horum trium regum pias intercessiones et merita, famulo tuo N. et famulis tuis tribuas, ut in itinere quo ituri sunt, celebritate (celeritate?), lætitia, gratia, et pace; te ipso sole vero, vera stella, vera luminis luce, ad loca destinata in pace et salute, et negotio bene peracto, cum omni prosperitate sani et salvi redire valeant. Qui vivis et regnas.

Suscipe, clementissime Deus, oblationes quas in tui veneratione et beatorum trium regum et magorum tuorum, Jaspar, Melchior, et Baltasar solemnitatis commemoratione, tibi vivo et vero Deo offerimus; ut per hæc sancta sacrificia et eorum gloriosa suffragia, ab omnibus inimicorum nostrorum insidiis nos liberes, et a cunctis hujus mundi periculis eripias, et ad gaudia sempiterna perducas. Per Dominum.

Postcommunio.

Sanctorum trium regum et magorum tuorum, Jaspar, Melchior et Baltasar, quæsumus, Domine, intercessio gloriosa nos protegat ubique et adjuvet; ac per hæc sancta quæ sumpsimus sacramenta, a peccatorum nostrorum vinculis nos absolvat, et ab omnibus inimicis tueatur semper et muniat, et ad tuam præsentiam, te donante, perducat. Per Dominum.

Item Missa alia, si quis habet devotionem, cum hac Oratione, et omnia alia ut supra.

Deus, illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere; et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris quod trium magorum mentibus inspirasti, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Secreta. Suscipe, clementissime Deus.

Postcommunio. Sanctorum trium regum, ut supra.—98.

Missa de sancto Sebastiano, tempore pestis.

Officium.

GREGIE martyr Sebastiane, princeps et propagator sanctissimorum præceptorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœlestis ascriptum est: et memoriale tuum non derelinquetur in sæcula.

Ps. 33 Benedicam Dominum in omni tempore.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui meritis sancti Sebastiani martyris tui gloriosissimi, quandam generalem pestem epidemiæ hominibus pestiferam revocasti; præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili peste revocanda ad ipsum sub tui confidentia confugerint, ipsis meritis et precibus ab ipsa peste epidemiæ et ab omni tribulatione liberentur. Per Dominum.

Epistola. Beatus vir qui in sapientia, in Communi fol. 579.

Gradale.

O sancte Sebastiane,
Christi athleta gloriosissime,
qui pro Christo reliquisti
terrenæ militiæ principatum
At suscepisti magnum supplicium
intercede pro nobis ad Dominum.
℣. O sancte Sebastiane,
Christi martyr egregie,
cujus meritis tota Lombardia
fuit liberata a peste mortifera,
libera nos ab ipsa et a maligno hoste.
Alleluya. ℣. O sancte Sebastiane,
nos trementes
[1]ac flentes[1]
imploramus tuum clemens auxilium
ut possimus obtinere
per te pestis mortiferæ
apud Christum remedium.

In tempore Paschali, secundum

Alleluya. ℣. O quam gloriosum est
templum tuum, beate Sebastiane,
in quo divina est promissio
et peccatorum remissio,
splendor et lux perpetua
et sine fine lætitia.

Sequentia.

OMNES una decantemus,
et martyris personemus
laudem Sebastiani;
hic a Deo est electus,
per quem morbus est ejectus
languoris pestiferi.
Nam se Christo totum vovit,
[2]qui vult nos hunc venerari;
Christus eum[2] nunc promovit
in patria cœlesti.
Cunctis hic subvenit mœstis,
statim est sedata pestis,
sui causa meriti;
ipsum si nunc deprecemur,
nomen quoque veneremur
martyris sanctissimi,
Morbus iste non nocebit,
sed mortiferum delebit
populum qui tenuit;
nos pro nostris tantis malis
jam absorbet pestis talis,
quam tota gens gemuit,
Sancte martyr Sebastiane,
salva nos a peste epidemiæ;
nostra gravia ob peccata
terra ista desolata
non sit, pie quæsumus;
sed nos considera,
et in nobis cessa,
pestem jam te petimus.
Ista per te gens sit tuta,
et ne noceat acuta
febris hæc in Anglia;
ex quo nostra spes est tota
in te martyr, nunc remota
sit pestis mortifera.
O sancte Sebastiane,
nostræ gentis Anglicanæ
conservator et tutor sis;
et Dominum deprecare,
ut a nobis [3]revocari[3]
valeat vesana pestis.
Ex tua sancta prece
ne sit morbus nobis nece,
sed recedat ab hac domo;
amen, dicat omnis homo.

Evangelium.

Nisi granum frumenti. Require in Communi fol. 581.

[1] non habet 55P.
[2] quem et Christus.—55P.
[3] elongare.—55P.

Offertorium.

Martyr egregie,
decus militiæ,
athleta fidei,
ora Natum Dei,
ut avertet a
nobis indigna-
tionem suam;
martyr suffragia
effunde pia,
ut epidemia
nec sit noxia
in hac patria
nec in alia,
per subsidia
posce tua;
nos tibi talia
damus præconia,
[1]hic prece præmia
da nobis pia,[1]
miles eia,
alleluya.

Secreta.

SUBVENIAT nobis, Domine, tua misericordia, intercedente beato Sebastiano martyre tuo; ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente salvari, et suis precibus a peste epidemiæ, et ab omni tribulatione liberari. Per.

Communio. Beatus es, et bene tibi erit, egregie martyr Sebastiane: quia cum sanctis gaudebis et cum angelis exsultabis in æternum.

Postcommunio.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis; ut, interventu beati Sebastiani martyris tui, bonis operibus inhærendo, tuo semper munere et suorum meritorum interventione, a peste epidemiæ et ab omni tribulatione mereamur, tua protectione defendi. Per Dominum.

MISSA DE SANCTO ROCHO.

Officium.

Congratulamini omnes in Domino, diem beati Rochi commemorantes, in cujus commemoratione lætatur Ecclesia, plebs exsultat, et angeli dulcia dant melodia, dicentes gloria tibi, Domine, qui talem virum in confessorem elegisti.

Psalmus. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini.

(Gloria Patri.—15. 4L.)

Oratio.

Deus, qui es gloriosus in gloria sanctorum, et cunctis ad eorum patrocinia confugientibus suæ petitionis salutarem præstas effectum, concede plebi tuæ ut, intercedente beato Rocho confessore tuo, quæ in ejus celebritate se devota exhibet, (15 *addit* a) languore epidemiæ quam in suo corpore pro tui nominis gloria passus (*sic*) est, sit liberata (libera—15), et tuo nomini semper sit devota. Per.

Epistola. Carissime, memor esto. (2 ad Tim. cap. ii. v. 8–10. cap. iii. v. 10–12.)

Gradale.

Tibi, pio sancto Rocho honor sit, et gloria, et deprecantes apud cœleste Numen tuis precibus morbo epidemiæ salvos redde.

℣. Fac, quæsumus, beate confessor Christi, ut apud Deum preces nostras non sint vanæ, et nobis aeris temperiem concede, ut in fine tecum in cœlis congratulemur.

Alleluya. ℣. O beate confessor Roche, quam magna apud Deum sunt merita tua quibus credimus nos a morbo (morte—15) epidemiæ posse liberari et aeris temperiem concedi, alleluya.

Evangelium. Vigilate quia nescitis, ut in Communi unius Confessoris fol. 599.

[1] hic prece pia, da nobis præmia.—55P.

Offertorium.

Te beatum Rochum Christi confessorem exoratum facimus et preces ad te patrem nostrum dirigimus, ut tua intercessione a languoribus epidemiæ salvemur et aeris temperiem potiamur.

Præfatio.

Æterne Deus, qui imminentem Ninivitis interitum sola misericordia revocasti, quibus ut propugnator exsisteres cum orationis pœnitentia (præsentia—15.) præstitisti, et huic populo tuo ante conspectum gloriæ tuæ prostrato orandi tribue puritatem, et quem (quam—15.) desiderat præsta liberationis effectum, ut quos Unigeniti tui pretioso sanguine redemisti, non patiaris misericordia tua mortalitatis interire supplicio. Per Christum.

Secreta.

Parce nobis, Domine, et flagella iræ tuæ quæ peccata nostra merentur, precibus et meritis beatissimi confessoris tui Rochi, a nobis misericorditer averte. Per Dominum.

Communio.

O quam magnificum est nomen tuum, beate Roche, qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nosti sanare, et nomen tuum gloriosum commemorantibus omnibus te propitium exhibere, veni et salva nos a morbo epidemiæ, et aeris temperiem (nobis *addunt* 15. 4L.) concede.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia sacramenta percepimus, intercedente beato Rocho confessore tuo, per hæc contra omnia adversa mundi muniamur, et ab omni morbo et peste ac a subitanea morte liberemur. Per.—4L. 15. 20.

SANCTÆ GENOVEFÆ

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Genovefæ virginis, de cujus translatione gaudent angeli et collaudant Filium Dei.

Psalmus.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Gaudeamus.

Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui beatæ Genovefæ virginis excellentiam multiplici virtutum gloria declarasti; concede nobis, quæsumus, ut quæ per gratiam tuam hodierna die in membris humanis ignis horrendi consumpsit incendium, nos quoque a Gehennæ incendiis liberatos ad gaudia transferat angelorum. Per.

Epistola. Qui gloriatur. Require in Communi Virginum, fol. 609.

Gradale.

Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua.

Gradale. Specie tua.

Alleluya. ℣. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit.

Sequentia.

Genovefæ solemnitas
solemne parit gaudium;
cordis erumpat puritas
in laudis sacrificium.
Felix ortus infantulæ,
teste Germano præsule;
Quod prævidit in spiritu
rerum probatur exitu.
Hic ad pectus virgineum
pro pudoris signaculo,
nummum suspendit æneum
crucis insignem titulo.
Genovefam divinitus
oblato dotat munere,
In templum Sancti Spiritus
sub Christi ditans fœdere.
Insontem manu feriens
mater privatur lumine,
Matri virgo compatiens
lucis dat visum pristinæ.

Genovefa magnanimis
carnem frangit jejunio,
Terramque rigans lacrymis
jugi gaudet martyrio.
Cœlesti duce prævio
cœlos lustrat et tartara,
Civesque precum studio
servat a gente barbara.
Divino diu munere
sitim levat artificum,
Contractum casu miseræ
matri resignat unicum.
Ad primam precem Virginis
contremiscunt dæmonia,
Pax datur energumenis,
spes ægris, reis venia.
In ejus manu cerei
re-accenduntur cœlitus,
Per hanc insignis alvei
redit annis (amnis) coercitus.
Ignem sacrum refrigerat
Post mortem vivens meritis,
Quæ prius in se vicerat
æstus interni fomitis.
Morti, morbis, dæmonibus,
et elementis imperat;
Sic Genovefa precibus
naturæ leges superat;
Operatur in parvulis
Christi virtus magnalia.
Christo pro tot miraculis,
laus frequens, jugis gloria.

Tractus,
Gaude, sancta Genovefa,
pia, prudens, illibata,
sponsa Christi;
Ab angelis collaudata,
a Germano prophetata,
sicque fuisti.
Signa patrans infinita,
cum digna tam mira vita,
sic vixisti;
Quod post mortem coronata,
cœlos, virgo Deo grata,
sicque possedisti;
Ubi cunctis plena bonis,
jugiter ora pro nobis. Amen.

Evangelium de Communi Virginis, videlicet,
Simile est regnum cœlorum decem.

Non dicitur Credo nisi sit Dominica.

Offertorium.

Offerentur Regi virgines post eam: proximæ ejus offerentur tibi.

Secreta.

Per hæc, Domine, dona præsentia, beata virgo Genovefa tibi nos reddat acceptos, et ab ignibus æternis intactos tibi nos reconsignet lumini tuæ claritatis oblatos. Per.

Præfatio Communis dicitur.

Communio.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Postcommunio.

Beata virgo Genovefa, quæsumus, Domine, sumptis donis cœlestibus, sua nos intercessione lætificet, et apud te meritis suis gloriosis obtineat, ne præparatos impiis sempiternos sentiamus ardores. Per Dominum.—15.

Commemoratio sancti Erasmi martyris et pontificis.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ÆTÁBITUR justus in Dómino: et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

In tempore Paschali, Allelúya, allelúya.

Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

DEUS, qui sanctam nobis hujus diei lætitiam pro commemoratione beati martyris tui Erasmi atque pontificis fecisti: adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie commemorationem celebra-

mus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per.

Epistola. Omnis pontifex. in Communi, fol. 584.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.
Allelúya. ℣. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Sequentia. Organicis, in Communi, fol. 581.

Evangelium. Circuibat Jesus, in Communi, fol. 584.

Offertorium. Ps. 20 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso, vitam pétiit a te: et tribuísti ei, allelúya.

Secreta.

INTENDE propitius, quæsumus, Domine, oblata tibi hæc munera, et deprecatione beati Erasmi martyris tui atque pontificis, in cujus ea commemoratione deferimus; nos ipsos eademque sanctifica. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo; glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, in sancti martyris tui atque pontificis Erasmi commemoratione cœlestia sacramenta; cujus suffragiis, quæsumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Missa sancti Rochi confessoris.

Ad Missam: Officium. Ps. 63

ÆTÁBITUR justus in Dómino: et sperábit in eo et laudabúntur omnes recti corde.
In tempore Paschati, Allelúya, allelúya.
Psalmus. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui meritis et precibus beatissimi Rochi confessoris tui quandam pestem hominum generalem gratiose revocasti; præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili peste revocanda ad tuam confugiunt fiduciam, ipsius gloriosi confessoris precamine, ab ipsa infirmitate, et ab omni perturbatione liberentur. Per Dominum.

Epistola. Justum deduxit. in Communi, fol. 603.

Gradale. Ps. 91 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.
℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam; et veritátem tuam per noctem.
Allelúya. ℣. Esai. 35 Justus germinábit sicut lílium et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Sequentia.

IN honore Salvatoris,
sancti Rochi confessoris
agatur memoria;
Qui de cœlo prænotatur
et ad matrem nunciatur
salute angelica.
Qui de ventre matris natus,
signo crucis est signatus,
quod sinistro patuit;
Quarta sextaque feria

semel lactans, indicia
sanctitatis præbuit.
Uti mundo qui cum posset,
et mundanum fucum noscet,
mundus mundum tenuit;
Omni spreta re paterna,
mente tendens in superna,
omnia deseruit.
Ac post mortem sui patris
et decessum suæ matris,
peregre divertitur;
Et ad domos infirmorum,
peste dira perpessorum,
festine ingreditur.
Jesum Christum Deum clamat,
signo cruce cunctos sanat,
sua providentia;
Ad quem venit vir beatus,
prorsus fuit hic sanatus
divina potentia.
Civitates Italiæ,
Romæ, Longobardiæ,
sanat suis precibus;
Hospitali Placentiæ,
percussus pestis, silice
abjectus e mœnibus;
Languens dum in sylva sitit,
fontem Deus sibi mittit,
præostensa nebula;
Parvus canis panes portat
a Gotardo, et reportat,
cane viro regula.
Sic vir sanctus confortatur
dum Gotardo consolatur
in valle miseriæ;
Et per angelum sanatur
qui a Deo mittebatur
Raphael in nomine.
Postque in Longobardia,
provincia Angleria,
ponitur in carcere;
Ab angelis fovebatur,
et de cœlo lætabatur,
visus miro lumine.
Rochus ibi vitam finit,
cui Deus dare sinit,
tabulam per angelum;
Quæ divine scribebatur
scriptis auri, et ditator
manu Dei siderum.
Nomen Rochi infra scriptum,
quod a Deo fuit dictum,
ut qui eum decorant,
Pestis, ulcus depellatur,
sanitasque his reddatur
qui eum commemorant.
Tu qui Deo es tam charus,
et in luce valde clarus,
sana tuos famulos;
Et a peste nos defende,
opem nobis ac impende
contra morbi stimulos.
Vir tam potens, tam beatus,
cum honore collocatus
in cœlesti curia;
Voto, voce veneretur,
ut per ipsum nobis detur,
vera frui gloria. Amen.

Evangelium: secundum Matthæum. c. 9 et 10

In illo témpore, Circuíbat Dóminus Jesus civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans evangélium regni, et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dixit discípulis suis; Messis quidem multa, operárii vero pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Eúntes autem prædicáte, dicéntes; Quia appropinquábit re-

gnum cœlórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite. Gratis accepístis, gratis date. Ecce ego mitto vos, sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

QUNERA tibi, quæsumus, Domine, oblata sanctifica; et, intercedente pro nobis beato Rocho confessore tuo, per hæc omnes scelerum nostrorum placatus maculas absterge, et sanitatem corporis et animæ nobis tribue. Per Dominum.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Domine, tua sancta, beati Rochi merita recolentes; præsta, quæsumus, ut ejus semper et fideli muniamur auxilio, et magnifico proficiamus exemplo. Per Dominum.

In Commemoratione sancti Christofori martyris.

Ad Missam: Officium. Ps. 8

GLÓRIA et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus. Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Oratio.

QONCEDE, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut qui beati Christofori martyris tui memoriam agimus, ejus piis meritis et intercessionibus a morte perpetua, subitanea peste, fame, timore, paupertate, et ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum liberemur in terris; per te, Jesu Christe, salvator mundi, rex gloriæ, quem idem Christoforus meruit in suis humeris portare. Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 31

BEÁTUS vir qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in thesáuris pecúniæ. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus invéntus est; et erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránsgredi et non est transgréssus; et fácere mala et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Gradale. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus: corónam de lápide pretióso.
℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúya. ℣. Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Sequentia. Organicis. in Communi, fol. 581.

Secundum Matthæum. c. 10

IN illo tempore, Dixit Jesus discipulis suis; Nihil opertum quod non revelétur, et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis er-

go qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis.

Offertorium. Ps. 8 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, et ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus commemoratione defertur. Per.

Communio. Ps. 20 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Domine.

Postcommunio.

SACRO munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur; ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente beato Christoforo martyre tuo, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum.

Missa de sancto Anthonio confessore.

Ad Missam: Officium.

GAUDEAMUS omnes in Domino, diem festum celebrantes: sub honore beati Anthonii confessoris tui: de cujus[1] commemoratione gaudent angeli, et collaudant Filium Dei.

Ps. 32 Exsultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Oratio.

DEUS, qui concedis obtentu beati Anthonii confessoris tui morbidum ignem extingui, et membris ægris refrigeria præstari; fac nos,[2] ipsius meritis a gehennæ incendiis liberatos, integros mente et corpore, tibi feliciter in gloria præsentari. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Eccli. 50

ECCE confessor magnus qui in vita sua probatus est, et cognitus est in verbis suis fidelis. Quasi stella matutina in medio nebulæ et quasi sol refulgens; sic beatus Anthonius refulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ; quasi flos rosarum in diebus vernis. Quasi lilia in transitu aquæ, et quasi thus redolens in diebus æstatis. Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pullulans et cypressus in altitudine se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum consummatione virtutis.

Gradale. Ps. 20 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.
℣. Vitam pétiit et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Alleluya. ℣. Felix corpus et felix anima,
felix virtus sancti Antbonii,
cujus nomen collaudant omnia
et verentur gentes et populi:
flammas ignis Orci incendia
mox suffocat victor dæmonum;
tua prece, laude et gloria
nos copula sanctorum cœtui.

Alleluya. ℣. O Anthoni, pastor inclyte: qui cruciatos reficis, morbos sanas et destruis, ignis calorem extinguis, pie pater ad Dominum ore pro nobis miseris.

Sequentia.

IN hac die lætabunda,
nostri chori plebs jocunda
psallat cum tripudio;

[1] solemnitate vel translatione vel.—4L.
[2] propitius.—4L.

Et hac die triumphali
laudes voto [1]spiritali[1]
persolvat Anthonio.
Hic insigni stirpe natus,
dono Dei decoratus,
effulsit virtutibus;
Antra petit per desertum,
ne se vitiis insertum
mundus fallat opibus.
Quo viso serpens antiquus,
Christi servo inimicus,
præparat insidias;
Cellam subit sine mora,
et quasi virgo decora
sibi dat blanditias.
Quo comperto, miles fortis
inquit, [2]cubat fines[2] mortis
super his carbonibus;
Dæmon fugit, et turbatus,
mox dæmonibus stipatus,
hunc cædit verberibus.
Jejuniis maceratus
mundum [3]spernens,[3] Christo gratus,
carnis solvit debitum;
Quicquid igne trucidatur,
gehennali liberatur,
ob ipius meritum.
Nunc exsultat laureatus,
stola vitæ decoratus,
in cœlesti culmine;
Thronum summæ majestatis,
cum spiritibus beatis,
læto cernit lumine.
Pie pater pretiose,
funde preces copiose,
summo regi gloriæ,
Pro præsenti concione,
ut in cœli regione
melos canat gloria.

Secundum Matthæum. c. 19

In illo témpore, Dixit Symon Petros ad Jesum; Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit eis; Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius Hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum rel fratres aut soróres aut patrem aut matrem aut uxórem aut fílios aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit.[4]

Offertorium. Ps. 88 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sacrificium nostrum, quæsumus, Domine, benignus intende; quo sicut beati Anthonii precibus cruciatus temporales sanare non desinis, ita exui misericorditer impetremus ab æternis. Per.

Communio. Matth. 24 Beátus servus quem cum vénerit dóminus invénerit vigilántem: amen dico vobis super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Prosit nobis, Domine, ad salutem sacri muneris oblatio; per quam, beati Anthonii fulti suffragio, exemplo ipsius omnia tela nequissima ignea extinguentes, sanctorum mereamur adjungi consortio. Per Dominum.[5]

[1] speciali.—4L.
[2] cuba fomes.—4L.
[3] spuens.—98 4L.
[4] Si duplex festum fuerit vel in dominica contigerit, dicitur Credo.—4L.
[5] Missa "pro Febricitantibus" hic sequitur in 4L. cum Oratione, Secreta et Postcommunione, quæ cum Memoria de sancto Sigismundo, supra fol. 665, consentiunt.

[Officium Raphaelis Archangeli.]

Officium sequens Archangeli Raphaelis potest celebrari pro peregrinantibus vel itinerantibus; ut sicut Tobiam sanum et incolumem duxit et reduxit, ita et illum reducat. Potest etiam celebrari pro cunctis infirmitatibus et etiam a dæmonio obsessis; eo quod angelus est medicinalis, quia Tobiæ visum restituit et Saram uxorem filii sui a dæmonio liberavit.

Ad Missam: Officium. Tob. 12

EGO sum Azarias Ananiæ magni filius: ego sum Raphael archangelus unus ex septem qui astamus ante conspectum Domini: pax vobis; nolite timere: Dominus exaudivit preces vestras: et misit me ad vos, ut curem vos. Alleluya.

Psalmus. Benedicite Dominum, omnes electi ejus: agite diem lætitiæ: et confitemini illi.

Oratio.

DEUS, qui beatum Raphaelem archangelum Tobiæ famulo tuo properanti prævium direxisti, et inter hujus vitæ ac viæ varietates atque discrimina donasti custodem: da, quæsumus, ut ejusdem protegamur auxilio, quatenus et vitæ præsentis vitemus pericula et ad gaudia valeamus pervenire cœlestia. Per Dominum.

Lectio libri Tobiæ. c. 12

DIXIT Angelus Ráphael ad Tobíam; Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est. Opera autem reveláre et confitéri, honorífícum est. Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna, magis quam thesáuros auri recóndere. Quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta et facit inveníre vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátes, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis sermónem occúltum. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium, et abscondébas mórtuos per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio líberem. Ego sum Ráphael ángelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cum hæc audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis ángelus; Pax vobis; nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram. Ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre et bíbere. Sed ego cibo et potu invisíbili qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus ergo est, ut revértar ad eum qui me misit. Vos autem benedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus.

Gradale. Tob. 8 Angelus Raphael apprehendit et ligavit dæmonem.

℣. Ps. 146 Magnus Dominus noster: et magna virtus ejus.

Alleluya. ℣. Missus est Raphael angelus a Deo ad Tobiam: et salutavit eum et dixit ei: gaudiam sit tibi semper.

Alleluya. ℣. Angele medicinalis,
mecum sis perpetualis:
et sicut fuisti cum Tobia:
ita sis mecum in via.

Alleluya. ℣. Angelum nobis medicum salutis: mitte de cœlis Raphael, ut omnes sanet ægrotos, pariterque nostros dirigat actus.

Alleluya. ℣. Matth. 28 Angelus Domini descendit de cœlo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.

Evangelium: secundum Johannem. c. 5

In illo témpore, Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Hierosólymam. Est autem Hierosólymis probática piscína, quæ cognominátur Hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini secúndum tempus descendébat in piscínam, et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúnque detinebátur infirmitáte.

Offertorium. In honore sancti Raphaelis psallat militans Ecclesia: qui virtute Dei Patris ligavit dæmonem, et Tobiæ visum reddidit quo privatus fuerat. Alleluya.

Secreta.

Ditte, Deus, archangelum tuum Raphaelem cum medicamine opificem, qui sanitatem mentis reportet et corporis; misericordiæque cœlestis donum infundat, et quæ in nobis sunt adversa deponat; ut qui nostra iniquitate tabescimus, de tua quam non meremur pietate lætari concedas. Per.

Communio. Jubilus summæ laudis resonet in ore omnium: ad laudem beati Raphaelis archangeli: ut ipse cujus memoria agitur in terris: ad Deum pro nobis intercedat in cœlis. Alleluya.

Postcommunio.

Dirigere dignare, Domine Deus, in adjutorium nostrum Raphaelem archangelum; et quem tuæ majestati semper assistere credimus, tibi nostras exiguas preces benedicendas assignet. Per Dominum.

Missa de sancto Gabriele.

Ad Missam: Officium.

Gaudeamus omnes in Domino: diem festum celebrantes, sub honore Gabrielis archangeli: de cujus solemnitate gaudent angeli, et collaudant Filium Dei.

Ps. 102 Benedicite Domino, omnes virtutes ejus: ministri ejus qui facitis voluntatem ejus.

Oratio.

Absterge, quæsumus, Domine, Christiani populi caliginem tui luminis illustratione; et præsta ut beati Gabrielis archangeli tui salutatione et omnium angelorum tuorum protectione munitus, in tua semper visitatione clarescat. Per Dominum.

Lectio Danielis prophetæ. c. 9

In diebus illis, Cum loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque; Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte ab exitu sermo-

nis, ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem.

Gradale.

Præco fulgens splendore nimio,
gemma lucens cœlesti radio:
desolatis sis consolatio,
et tentatis firma protectio.
℣. Tu Gabriel qui frangis carceres,
captivorum respice pauperes,
et fac eos ad vitam celeres.
Alleluya. ℣. Per te præco opus mirabile,
altum nimis fit et spectabile:
per te nobis fiat possibile
quod rogamus et impetrabile.

Tractus.

A te præco virgo amabilis
præter morem effecta fertilis
veneratur ut sit placabilis:
Deus noster ne sit terribilis.
℣. Virginisque jocunda facies
te Gabriel et mira species
lætificat: sit nobis requies
qua si placet nos tecum facies.
℣. Nunc igitur præco accelera
piæ matris precare viscera:
nato monstret pectus et ubera
tu ab hoste nos tecum libera.

Prosa.

Proloquium altum recitemus
Gabrielis, ut nos incitemus,
ad amorem omnes vocitemus,
ad has laudes corda, ora demus.
Imperatrix cujus imperio
tota gaudet cœlestis concio,
tanta laus est tibi in Filio
quod humana non capit ratio.
Benedicta et venerabilis,
pia, prudens, decora, nobilis,
universis incomparabilis,
tibi nunquam fuit consimilis.
Te creavit Pater ingenitus,
obumbravit te Unigenitus,
fœcundavit te Spiritus Sanctus,
tu es facta tota divinitus.
Te creavit Deus mirabilem,
te respexit ancillam humilem,
te quæsivit sponsam amabilem,
tibi nunquam fecit consimilem.
Te beatam laudare cupiunt
omnes sancti, sed non sufficiunt,
nam tot laudes tibi conveniunt
quod laudantes omnes deficiunt.
Quia tamen caput es virginum
et laus summa non habens terminum,
angelorum laudes et hominum
promereris, prima post Dominum.
Cum sisteret humani generis
loqui præco dignior cæteris,
vale dicit reginæ ætheris,
cujus sedes manet in superis.
Vale, sancta, sanctorum omnium
laus et honor, decus fidelium,
aula Christi, domus, palatium,
Deitatis reclinatorium.

Evangelium. Missus est Gabriel. Require feria quarta Quatuor temporum Adventus.

Et dicitur Credo.

Offertorium.

Fortis præco omnes communiter
impugnamur ab hoste fortiter,
et interdum vincimur turpiter:
sed juva nos misericorditer.

Secreta.

QUNERA sacrificii nostri, quæsumus, omnipotens Deus, in corpus et sanguinem Filii tui converte: quem divinissimus Gabriel archangelus de beata Maria virgine nuntiavit nasciturum Salvatorem mundi Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

Communio.

O Gabriel, refove flebiles,
ægros sana, conforta debiles,

fac nos mites semper et humiles,
et in fide fortes et stabiles.

Postcommunio.

BEATI Gabrielis archangeli tui, Deus noster, sanctorumque omnium cœlestium virtutum recolentes memoriam, lætificet intercessio; atque eorum sumpta veneratione sacramenta proficiant ad salutem. Per Dominum nostrum.

[Missa de sancto Gabriele.]

Gaudeant omnes fideles de sublimi ministerio Gabrielis archangeli per quem utriusque testamenti patribus incarnati Verbi sacramentum revelatum est et Maria virgo cœlesti credens nuntio mater Verbi effecta est.

Psalmus. Gaudeant angeli atque lætentur archangeli et congratulentur martyres.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus qui per Gabrielem archangelum, regnis peccati dejectis, Christi unigeniti Filii tui regnum cum justitia sempiterna adduci, prophetam docuisti Danielem ut consummetur prævaricatio, finem accipiat peccatum, et iniquitas deleatur; concede nobis, interventu beatæ Mariæ matris Christi et sui divi nuntii Gabrielis archangeli ab omni prævaricatione et peccato mundari; quatenus, deleta omni iniquitate, ejusdem unigeniti Filii tui et regni ejus participes et coheredes effici mereamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Lectio libri Danielis. (cap. ix. v. 21–27.)

In diebus illis ecce, vir Gabriel quem videram in visione a principio; cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus eat mihi, dixitque; Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia desideriorum tu es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et unguatur Sanctus sanctorum. Scito animadverte: Ab exitu sermonum ut iterum ædificetur Hierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomadæ septem, et hebdomadæ sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium: et in templo erit abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Gradale. (Dan. viii. 15, 16.)

Cum viderem ego Daniel visionem et quandam intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri et audivi vocem clamantis et dicentis, Gabriel fac istum intelligere visionem.

℣. Vere benedictus Gabriel archangelus et omnium justorum ore laudandus qui timidos et collapsos in Daniele confortat et erigit, desperantium ora in Zacharia claudit, et corda eorum credentium in fide matris Christi cum laude aperit nuncia pacis et vitæ sic omnibus demonstrat.

Alleluya. ℣. Inter millia millium et decies centena millia Gabriel totius humanæ salutis nuntius electus est qui Filium Hominis suscipientem a Deo Patre principatum et honorem ostendit regnumque ejus in utero virginis incipere nuntiavit cui omnes populi tribus et linguæ servient. Alleluya.

Sequentia.

Nunc lætetur plebs fidelis,

recitando Gabrielis
laudes et præconia;
Ortus manet in splendore,
missus venit in amore,
ferens nobis gaudia.
Omnis homo omni die,
Gabrielis et Mariæ
petat beneficia;
Ex his manat fons virtutis,
dulcor vitæ, spes salutis,
et diffusa gratia.
Hic prædixit præcursoris
ortum nostri redemptoris,
et multorum gaudia;
Zachariæ non credentis
velle Dei miræ mentis
clausit oris ostia.
Dum te virgo salutavit,
in te venit qui purgavit
multa mundi crimina;
Et nos reconciliavit
angelus dum commutavit
tenebras in lumina.
Ab adversis nos evelle,
sana morbos, et expelle
pestes et dæmonia;
Gabriel qui descendisti
cum salute servos Christi
ducas ad cœlestia.

Tractus.

Gaude Maria virgo cunctas hæreses tu sola interemisti;
Quæ Gabrielis archangeli dictis credidisti;
Dum virgo Deum et hominem genuisti;
Et post partum virgo inviolata permansisti;
Dei genitrix intercede pro nobis.

Evangelium: secundum Lucam. Missus est angelus, ut supra in Annunciatione beatæ Mariæ. (Lucæ i. 26–38.)

Offertorium.

Confitebimur tibi Domine Deus peccata nostra prosternentes preces cum Daniele propheta in conspectu tuo ut veniat nobis vir Gabriel archangelus qui cito volans sacrificium in vesper (*sic*) mundi in utero virginis ex virtute Altissimi procreandum et per summum pontificem Christum pro omni (?omnium) salute Deo Patri offerendum longe ante suo ministerio declaratum est nunc de manibus nostris digne suscipere per eum laude digneris.

Secreta.

Munera sacrificii nostri, quæsumus, Domine Deus, in corpus et sanguinem Filii tui benedictio tua convertat, quem divinissimus Gabriel archangelus de beata virgine Maria nasciturum nuntiavit, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Communio. Apparuit autem angelus stans a dextris altaris incensi et dixit Zachariæ, ego sum Gabriel qui asto ante Deum et missus sum loqui et evangelizare quoniam in utero virginis humanitate assumpta inungetur Sanctus sanctorum. Alleluya.

Postcommunio.

Sacramentum absconditum a sæculis in Deo, quod Gabriel archangelus de Maria virgine nasciturum edocuit et pro nostra salutari refectione nunc admirabili sacramento relatum vera fide percepimus, quæsumus, Domine Deus noster, ut intercedente beata Dei genitrice Maria et Gabriele archangelo cum principatibus et potestatibus in cœlestibus revelata eandem facie (faciem.—98.) videre mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.—98. 4L. 20.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

XI Kalendis Decembris.

Ad Missam: Officium. Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes in honore Mariæ virginis de cujus præsentatione gaudent angeli et collaudant Filium Dei.

Ps. 44 Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Gloria in excelsis.

Oratio.
Deus, qui beatam virginem Mariam tibi in templo præsentari et Spiritu Sancto erudiri sanxisti; da nobis sic Sancti Spiritus instrui disciplinis, ut dignum tibi munus devoti pectoris offeramus. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. Ego quasi vitis fructificavi. (Ecclus xxiv. 15–22.)

Gradale. Benedicta et venerabilis etc.
Alleluya. ℣. Felix virgo quæ nondum edita
matris alvo repletur gratia,
et in templo Dei reposita,
illustratur summa peritia.

Sequentia.
Altissima providente,
cuncta recte disponente,
Dei sapientia;
Uno nexu conjugatis
Joachim et Anna gratis
juga sunt sterilia.
Ex cordis affectu toto
Domino fideli voto
se strinxerunt pariter;
Mox si prolem illis dare
dignetur, hanc dedicare
in templo perenniter.
Angelus apparuit
lucidus, perdocuit
exaudita vota,
Regis summi gratia
ut detur his filia
gratiosa tota.
In utero consecrata
miro modo generata
gignet mirabilius;
Altissimi Patris natum,
virgo manens per reatum,
mundi tollet gratius.
Benedicta virgo nata,
templo trina præsentata,
id ter quinis gradibus;
Erecta velox ascendit,
et uterque parens tendit,
ornando se vestibus.
Nova fulsit gloria
templum, dum eximia
virgo præsentatur;
Edocta divinitus,
visitata cœlitus,
angelis lætatur.
Dum ut nubat (?nubant) jubet multis
princeps puellis adultis,
primo virgo renuit;
Ipsam namque devovere
parentes ipsa manere
virgo voto statuit.
Consultus Deus responsum
dat, ut virgo sumat sponsum,
quem pandet flos editus;
Ostensus Joseph puellam
ad parentum duxit cellam,
nuptiis sollicitus.
Tunc Gabriel ad virginem
ferens conceptus ordinem,
delegatur;
Erudita stat tacita,
verba quam sint insolita
meditatur;
Ut cum ille tradidit
modum virgo credidit,
sicque sacro flamine
Mox Verbum concipitur,
et quod nusquam clauditur,
conditur in virgine.
Ecce virgo singularis,
quanta laude sublimaris,
quanta fulges gloria;
Nos ergo sic tuearis,
ut fructu quo gloriaris
fruamur in patria. Amen.

Secundum Matthæum. Liber generationis Jesu Christi Filii David filii Abraham.

Offertorium. Felix namque es sacra.
Secreta.
Hæc munera, quæsumus, Domine, beatæ Mariæ semper Virginis intercessione sanctifica, quam in templo tuo munus tibi gratissimum offerri parentum manibus voluisti. Per Dominum.
Præfatio. Æterne Deus. Et te in præsentatione beatæ Mariæ.

Communio. Beata viscera.

Postcommunio.

Sacramenta quæ sumpsimus, Domine, beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, nos salvent; quæ devotione sui cordis piissimi acceptabile tibi sacrificium jugiter immolavit. Per Dominum nostrum Jesum.—98.

Missa Compassionis sive Lamentationis beatæ Mariæ virginis.

Ad Missam: Officium. Thren. 1

VIDE, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, submersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum.

Psalmus. Posuit me Dominus desolatam: tota die mœrore confectam.

Gloria Patri.

Oratio.

PIETATEM tuam, quæsumus, Domine Jesu clementissime, qui pro nobis peccatoribus mortem subiens temporalem, nec proprio corpori nec materno dolori parcere voluisti; præsta, ut nos passionis tuæ memoriam ejusdemque matris tuæ mœstitiam recolentes, vobiscum felicitatis æternæ simus participes. Qui vivis et regnas Deus. Per.

Lectio Hieremiæ prophetæ. Thren c. 2

IN diebus illis, Dixit Hieremias propheta; Cui comparabo vel cui assimilabo te, virgo filia Hierusalem? cui adæquabo te, et consolabor te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tibi? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt et moverunt capita sua super filiam Hierusalem. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt et frenduerunt dentibus, et dixerunt: En ista est dies, quam exspectabamus: fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Consurge et lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.

Gradale. Thren. 1 Omnes inimici mei audierunt malum meum: lætati sunt quoniam tu fecisti, quia ingemisco ego et non est qui consoletur me.

℣. Multi enim gemitus mei; et cor meum mœrens: qaia Dominus me posuit amaram.

Alleluya. ℣. Luc. 2 Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel: et in signum cui contradicetur: et tuam ipius animam pertransibit gladius.

In tempori Paschali, secundum

Alleluya. ℣. Thren. 1 Omnes inimici ejus apprehenderunt eam inter angustias: unde desolata est vehementer non habens oonsolatorem.

Aliud Alleluya in eodem Responsorio.

℣. Posuit me Dominus desolatam tota die mœrore confectam.

In tempore Quadragesimali: Tractus. Ps. 12

Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem: usquequo avértis fáciem tuam a me.

℣. Quámdiu ponam consília in ánima mea: dolórem in corde meo per diem.

℣. Usquequo exaltábitur inimícus meus

super me: réspice et exáudi me, Dómine Deus meus.
℣. Ps. 85 Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis: et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.
℣. Ps. 68 Inténde ánimæ meæ et líbera eam: propter inimícos meos éripe me.
℣. Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo: quóniam tríbulor velóciter exáudi me.
℣. Ps. 85 Réspice in me et miserére mei: da impérium púero tuo, et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Sequentia.

Œstæ parentis Christi
Mariæ lacrymas,
eya nunc recole
plebs Agni mitis
cruore redempta.
Qui generis humani
collapsi maculas
purpurea lavit
in cruce vulnera
passus cruenta.
Sputa, clavos, atque ludibria,
spinas tulit: et sæva verbera.
Mater cernens tanta supplicia:
flet discerpens pectus et ubera.
Heu me clamat, heu me congeminat,
plorans tristis quam sæpe replicat:
Fili dulcissime, cur ista pateris?
Cur confixus in cruce moreris,
ac si reus fuisses sceleris,
cum nihil unquam mali commiseris.
Heu me clamans, dat alta suspiria
dicens: cur vita sic durat anxia:
cur non moriar, mors aut
cur mihi parcit?
Quæ mater unquam quæve puerpera,
nati dilecti tanta supplicia
videre simul, et ultra
vivere possit?
Est ista-ne gratia, quam sic mihi
retulisti, Gabriel, dicens;
Ave Maria, gratia plena?
Sunt mihi contraria
quæ prius promisisti,
cum mihi nunc pro gratia
sunt dolor et pœna.
Inter omnes mulieres
me dixisti benedictam:
omnes nunc videre possunt
me gementem et afflictam.
De hoc senex Symeon prophetat
dicens, ut evangelista narrat;
Ecce positus est in ruinam
tuus iste Filius,
Et tuam ipsius animam
pertransibit gladius.
Mater læta concepisti
et dolorem non sensisti:
quando virgo peperisti
tuum unigenitum;
Cum usura nunc solvisti,
pœnas quas tunc evasisti:
videns modo morte tristi
mori tuum Filium.
Sic stat mater desolata:
jam non mater sed orbata:
dulci suo Filio;
Plangit, plorat, præstolatur,
quoadusque deponatur
corpus de patibulo.
O lacrymosus intuitus,
sedet semimortua parens
et extincti funeris
in gremio tenet exuvias.
Omnia pererrat stigmata
locaque cruenta clavorum
necnon et plagas singulas.
Videt spinoso præcincta
tempora serto,
et in latere patentes
cordis januas.
O gravis dolor
et gemitus.

Nati quondam speciosa
membra, modo livida
tractat mater inter manus teneras.
Amplexatur, osculatur
ora facta pallida
propter pœnas atque plagas asperas.
Manus extorquens exclamavit,
fletuque corpus irrigavit
stillans ut rivos lacrymas.
Venit tandem Joseph pius
corpus involvit sindone:
venit atque Nichodemus
perfundens illud unguine.
Post in monumento novo
præparabant recondere.
Quis potest lacrymas tenere
licet corde saxeo,
et non simul condolere
in hoc planctu virgineo?
Qui cum ipsa nescit flere
non est ei compassio.
Qui scrutator scripturarum
est, videbit fœminarum
planctus amarissimos;
Anna Samuelis orat,
temulentaque dum plorat
putatur apud æmulos.
Vox Rachelis ululantis
in Rama personuit,
suos filios plorantis
consolari noluit.
Tristis Noemi dolebat
sæva morti dum trahebat
maritum cum filiis;
Annaque Tobiæ flebat
quando pater hunc mittebat
in Rages pro pecuniis.
Anna mater Samuelis
Annaque Tobiæ
[1]Noemi et Rachelis
si credamus[1] Hieremiæ
plorabant cum lacrymis;
Sed ad lacrymas amaras
virginis Mariæ
matris Christi crucifixi
verique Messiæ,
non erat planctui similis.
Ergo, mater Jesu Christi,
propter pœnas quas tulisti
pro tuo dulci Filio
des ut tecum hic ploremus,
et cor nostrum perforemus
compassionis gladio.
Sic, O virgo dolorosa,
fac nos tecum lacrymosa
sentire suspiria:
ut post vitam infelicem
habeamus te ductricem
ad æterna gaudia.

[1] et Noemi si credamus scriptis.—55P.

Evangelium: secundum Johannem. c. 19

In illo témpore, Stabant juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem quem diligébat, dixit matri suæ; Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dixit discípulo; Ecce mater tua. Et ex illa hora, accépit eam discípulus in suam.

Offertorium.

Christum cruce mortuum
nostros ob defectus
mæsta mater aspicit
pios per affectus;
et clamavit lacerans
capillos et pectus;
Heu me jacet Filius
meus hic despectus,
nuper inter millia
qui fuit electus
sicut myrrhæ fasciculus
meus sic dilectus.

Secreta.

Hostias, quæsumus, omnipotens redemptor, in memoriam acerbissimæ passionis tuæ lacrymosique doloris, quem pia virgo, mœstissima mater, pro tua morte sustinuit, tibi sacrandas propitius intuere; et præsta, ut per eas pietatis et compassionis lacrymas tibi vivo et vero Deo cum eadem sanctissima matre tua valeamus offerre. Qui vivis et regnas Deus. Per omnia.

Præfatio. Qui salutem.

Communio.

De cruce depositum
  videns corpus Christi:
mœsta mater lacrymas
  atque vultu tristi
dixit: O dulcissime
  Fili, quid fecisti,
quod has pœnas asperas
  et mortem subiisti.

Postcommunio.

Redemptor noster atque Salvator, æterne Deus, fragilem facturam tuam nos pietatis oculo respicere digneris; et præsta, ut qui pretiosi corporis et sanguinis tui sacrosancta mysteria pro totius populi salute oblata percepimus, per hæc ad compassionis lacrymas tuæque mœstissimæ matris devotionem facilius accendamur. Qui vivis.

IN FESTO SANCTI ARMAGILLI.

Ad Missam: Officium. Os justi meditabitur. Require in Communi unius Confessoris.

Oratio.

Deus, qui beatum Armagillum confessorem tuum, onere carnis deposito, in cœli palatio hodierna die collocasti; tribue, quæsumus, ut eo ductore valeamus ad optatam cœlestem patriam feliciter pervenire. Per Dominum.

Epistola. Justum deducit. Require in Communi Confessorum.

Gradale. Domine, prævenisti eum.

Alleluya. ℣. Armagile scandens cœlos
  victurus perenniter
tuos devotos famulos
  prece juva jugiter, alleluya.

Sequentia.

Corde, lingua, mente tota
  Armagilli pleba devota
    recolat solemnia;
Cujus probant sanctitatem
  et ferventem caritatem
    plura signa varia.
A consorte frigus pellit
  puer adhuc, et expellit
    febrilem angustiam;
Res, parentes, hic dimittens,
  totum Deo se committens,
    petivit Armoricam.
Jussu regis hinc vocatus,
  Deo placens, cunctis gratus,
    transivit in Galliam;
Spe salutis destituti,
  cæci, claudi, restituti
    sunt per ejus gratiam,
Mora facta per sex annos
  post recursus ad Britannos,
    adiit Redoniam;
In deserto se recondit,
  ibi Christo preces fundit,
    mundi spernens gloriam.
In momento turbas sanat,
  tactu virgæ fons emanat,
    defluenti Rimilo (rivulo);
Monstrum stola colligavit
  et in sicca suffocavit,
    stante procul populo.
Tactu vestis, tactu strati,
  duo cæci sunt sanati
    divino spiramine;
Quæ vexatus (vexatur) ab antiquo
  liberatur inimico
    mulier a sanguine.

Heremita cordis mundi
omnes hujus opes mundi
reputabat stercora;
Quoque morbo quis gravetur,
votis favet, et medetur
homines et pecora.
Ægri currunt ubi pergit,
et eorum noxas tergit
vas puræ munditiæ;
Hic post mortem et in vita
mira fecit inaudita
facitque quotidie.
Per angelum nuntiato
die mortis sibi dato
Deo reddit spiritum;
Exoremus omnes illum,
ut ad dulce cœli regnum
paret nobis aditum. Amen.

Evangelium. Nemo accendit. Require in Communi plurimorum Confessorum.

Offertorium. Veritas mea et misericordia.

Secreta.

Hostias quas tibi offerimus in honore beati Armagilli confessoris tui acceptare digneris, Domino Deus noster; ut per has mereamur sic per bona temporalia transire ut ad ea quæ non sunt transitoria possimus pervenire. Per Dominum.

Communio. Fidelis servus.

Postcommunio.

Concede nobis, clementissime Pater, hujus virtute sacramenti quod devote percepimus et intercessione beati Armagilli confessoris tui, pericula carnis desideria ac latentis insidias inimici superare. Per eundem Dominum.—98.

Missa de sancta Barbara.

Ad Missam: Officium. Ps. 118

OQUÉBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis quæ diléxi nimis.

Psalmus. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Oratio.

DEUS, cujus dilectionem beata Barbara omni terreno amori anteposuit; præsta, quæsumus, ut cujus martyrii triumphum hodierna die recolimus, ejus suffragiis ad cœlestia regna pervenire possimus. Per.

Epistola. Gaudens gaudebo. in Communi, fol. 609.

Gradale. Ps. 45 Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur.

℣. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Alleluya. ℣. Hæc est virgo sapiens: quam Dominus vigilantem invenit.

Sequentia. [1]Virginis venerandæ[1] in Communi, fol. 609.

Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro, in Communi, fol. 607.

Offertorium. Ps. 44 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: circúmdata varietáte.

Secreta.

HOSTIAM nostræ devotionis tibi, Domine, offerimus; quam precibus beatæ Barbaræ martyris tuæ acceptabilem majestati tuæ esse deposcimus. Per.

Communio. Ps. 118 Princípes persecúti sunt me gratis: et a verbis tuis formidávit cor meum, lætábor ego super elóquia tua: sicut qui invénit spólia multa, concu-

[1] Exsultemus.—97. 98. (supra, fol. 607.)

pívit ánima mea testimónia tua Dómine: et diléxit ea veheménter.

Postcommunio.

Ut nobis, Domine, veri corporis et sanguinis Filii tui sit fructuosa perceptio, beatæ Barbaræ martyris tuæ nos tibi jugiter commendet oratio. Per Dominum.

[Orationes de Passione Domini.]

Nota, quod istæ tres Orationes sequentes de Passione Domini nostri compositæ fuerunt a Papa Innocentio tertio, qui dicentibus eas cum devotione concessit multas indulgentias.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi qui pro redemptione nostra nasci et circumcidi voluisti, et a Judæis reprobari, a Juda osculo tradi, capi, et ligari et cum vinculis Annæ, Cayphæ, Herodi, Pilato, offerri, et coram eis illudi, colaphis, alapis, flagellis, arundine cædi, facie velari, et sputo conspui, spinis coronari, falsis quoque testibus accusari, judicari, et ut agnus innocens tuam crucem ferendo ad victimam duci, clavis perforari, felle et aceto potari, atque in cruce morte turpissima condemnari, ac lancea vulnerari; tu per has sacratissimas pœnas ab omnibus peccatis et pœnis nos libera, et per sanctam crucem tuam illuc perduc nos miseros peccatores quo perduxisti tecum crucifixum latronem sero pœnitentem. Qui vivis.

Secreta.

Auxilientur nobis, pie Domino Jesu Christe, omnes passiones tuæ, et defendant nos [1]ab omni dolore et tristitia, ab omni periculo et miseria, ab omni peccato et cordis immunditia, ab omni scandalo et infamia, a morbis malis animæ et corporis, et a morte subitanea et improvisa, et ab omni persecutione inimicorum visibilium et invisibilium; scimus enim quod in quacunque hora vel die, passionis tuæ memoriam habuerimus, salvi erimus. Ideo de immensa tua pietate confisi, te deprecamur, piissime Salvator, per benignissimas sacratissimasque passiones tuas; ut benigno nos protegas auxilio et continua pietate ab omni malo nos conserves. Qui vivis.

Postcommunio.

Domine, Deus de Deo, Lumen de lumine, qui humanum genus ex præcepto Patris patibulo crucis proprio sanguine redimere dignatus es; te suppliciter exoramus, ut non secundum peccata nostra facias nobis, sed secundum misericordiam tuam salvos nos fac indignos famulos tuos; tu quoque exsurge in adjutorium nostrum, et esto ibi turris fortitudinis et clypeus inexpugnabilis justitiæ a facie tam corporalis quam incorporalis inimici; atque ab omni peccato et pœna misericorditer nos libera, et ab omni adversitate corporis et animæ clementer nos defende. Qui vivis.

[De Cantu Kyrie eleyson.]

Omnibus duplicibus festis per annum sive fiat de Temporali sive de Festis Sanctorum, dicitur unum istorum Kyrie cum suis versibus, pro dispositione cantoris; ita tamen quod in festis majoribus duplicibus dicitur Deus creator omnium, et in cæteris duplicibus, per ordinem; videlicet,

Kyrie rex genitor,
Kyrie fons,
Kyrie omnipotens,

[1] ab omni tribulatione et angustia.—97. 98.

Kyrie rex splendens,
Lux et origo,
Cunctipotens,
Conditor, Kyrie.
Orbis factor rex.

Ita tamen quod in die Epiphaniæ et in die Pentecostes, et in festo Corporis Christi, dicitur Kyrie fons. In festo sancti Michaelis in mense Septembris dicitur Kyrie rex splendens cum suis versibus. In festo sancti Dunstani et sancti Michaelis in monte Tumba, dicitur Kyrie rex splendens absque versibus. In utroque festo sanctæ Crucis, dicitur Lux et origo cum suis versibus.

Deus Creator omnium tu Theos ymon nostri pie, eleyson.
Tibi laudes conjubilantes, regum rex Christe, oramus te, eleyson.
Laus, virtus, pax, et imperium, cui est semper sine fine, eleyson.

Christe, rex unice, Patris almi Nate coæterne, eleyson.
Qui perditum hominem salvasti, de morte reddens vitæ, eleyson.
Ne pereant pascuæ oves tuæ, Jesu, pastor bone, eleyson.

Consolator Spiritus, supplices ymas te exoramus, eleyson.
Virtus nostra, Domine, atque salus nostra in æternum, eleyson.
Summe Deus et une, vitæ dona nobis tribue misertus, nostrique tu digneris, eleyson.

Kyrie, rex genitor ingenite, vera essentia, eleyson.
Kyrie, luminis fons rerumque conditor, eleyson.
Kyrie, qui nos tuæ imaginis signasti specie, eleyson.

Christe, Dei forma humana particeps, eleyson.
Christe, lux oriens per quem sunt omnia, eleyson.
Christe, qui perfecta es sapientia, eleyson.

Kyrie, Spiritus vivifice, vitæ vis, eleyson.
Kyrie, utriusque vapor, in quo cuncta, eleyson.
Kyrie, expurgator scelerum et largitor gratiæ,
Quæsumus, propter nostras offensas noli nos relinquere.
O consolator dolentis animæ, eleyson.

Kyrie, fons bonitatis, Pater ingenite a quo bona cuncta procedunt, eleyson.
Kyrie, qui pati Natum mundi pro crimine ipsum ut salvaret misisti, eleyson.
Kyrie, qui [1]septiformis dans[1] dona Pneumate, a quo cœlum terra replentur, eleyson.

Christe, unice Dei Patris genite, quem de virgine nasciturum mundo mirifice sancti prædixerunt prophetæ, eleyson.
Christe, agie cœli compos regiæ, melos gloriæ, cui semper astat pro numine angelorum, decantans apex, eleyson.
Christe, cœlitus nostris assis precibus pronis mentibus quem in terris devote colimus, ad te, Jesu, clamantes pie, eleyson.

Kyrie, Spiritus alme cohærens Patri Natoque, unius usiæ consistendo, fluens ab utroque, eleyson.
Kyrie, qui baptizato in Jordanis unda Christo effulgens specie columbina apparuisti, eleyson.
Kyrie, ignis divine, pectora nostra succende, ut digni pariter proclamare possimus semper, eleyson.

[1] septiformi das.—55P.

Kyrie, omnipotens Pater, ingenite, nobis miseris eleyson.
Kyrie, qui proprio plasmatum[1] Filio redemisti, eleyson.
Kyrie, Adonay, nostra dele crimina plebique tuæ eleyson.

Christe, splendor gloriæ Patrisque figura substantiæ, eleyson.
Christe, Patris qui mundum præcepto salvasti, nobis eleyson.
Christe, salus hominum vitaque æterna angelorum, eleyson.

Kyrie, Spiritus Paraclyte, largitor veniæ, nobis eleyson.
Kyrie, fons misericordiæ, septiformis gratiæ, eleyson.
Kyrie, indultor piissime, procedens ab utroque,
Charismatum dator largissime, doctor, vivifice, clemens, eleyson.

Kyrie, rex splendens cœli arce salve jugiter et clemens, plebi tuæ semper eleyson.
Hymnidicæ quem turmæ cherubin, laude perenniter proclamant incessanter, nobis eleyson.
Insigniter catervæ præcelsæ et quibus seraphin respondent, te laudantes, nostri eleyson.

Christe, rex altithrone, ordines angelorum novem quem laudant incessanter pulchræ, dignare servis tuis semper eleyson.
Christe, quem toto orbe unica Ecclesia hymnizat sol et luna, astra, tellus, mare: cui et famulantur semper, eleyson.
Ipsi idem inclytæ patriæ perpetuæ hæredes sancti omnes digno carmine proclamant quam ovanter, nobis eleyson.
Virginis piæ Mariæ O alma proles, rex regum, benedicte redemptor, cruore mercatis proprio, mortis ex potestate, semper eleyson.
Insignissime, ingenite, O genite, origine jam expers et sine virtute, excellens omnia, catervæ huic tuæ clemens, eleyson.
Limpidissimæ gloriæ sol, justitiæ arbiter, omnes gentes districte dum judices turmæ, obnixe precamur, tunc astanti clemens, eleyson.

Lux et origo lucis summæ, Deus, eleyson.
In cujus nutu cuncta constant semper, eleyson.
Qui solus potes misereri, nobis eleyson.

Redemptor hominum et salus eorum, benigne nobis eleyson.
Per crucem redempti a morte perenni, te exoramus, eleyson.
Qui es Verbum Patris, sator pietatis, lux veritatis, eleyson.

Paraclyte, Spiritus Sancte, Deus, nobis eleyson.
Medicina nostra et misericordia, eleyson.
Trinitas et unitas sancta, nostri semper eleyson.

Cunctipotens genitor, Deus, omnicreator, eleyson.
Fons et origo boni, pie luxque perennis, eleyson.
Salvificet pietas tua, nos bone rector, eleyson.

Christe Dei splendor, virtus Patrisque sophia, eleyson.
Plasmatis humani factor, lapsi reparator, eleyson.
Ne tua damnetur, Jesu, factura, benigne eleyson.
Amborum sacrum Spiramen, nexus amorque, eleyson.

[1] plasma tuum.—92. Grad. *recte*.

Procedens fomes, vitæ fons, purificans vis, eleyson.
Purgator culpæ, veniæ largitor optime,
Offensas dele, sacro nos munere reple.
Spiritus alme, eleyson.

Conditor, Kyrie, omnium, ymas creaturarum, eleyson.
Tu nostra delens crimina, nobis incessanter eleyson.
Ne sinas perire facturam: sed clemens ei eleyson.

Christe, Patris unice, natus de virgine, nobis eleyson.
Mundum perditum qui tuo sanguine salvasti de morte, eleyson.
Ad te nunc clamantum preces exaudias pius, eleyson.

Spiritus alme, tua nos reple gratia, eleyson.
A Patre et Nato qui manas jugiter, nobis eleyson.
Trinitas sancta, trina Unitas, simul adoranda,
Nostrorum scelerum vincula resolve redimens a morte,
Omnes proclamemus nunc voce dulciflua, Deus, eleyson.

Orbis factor, rex æterne, eleyson.
Pietatis fons immensæ, eleyson.
Noxas omnes nostras pelle, eleyson.

Christe, qui lux es mundi, dator vitæ, eleyson.
Arte læsos dæmonis intuere, eleyson.
Conservans te credentes, confirmansque, eleyson.
Patrem tuum teque, Flamen utrorumque, eleyson.
Deum scimus unum atque trinum esse, eleyson.
Clemens nobis assis, Paraclyte, ut vivamus in te, eleyson.

Oratio devota.

Deus misericordiæ et veritatis, clementiam tuam suppliciter deprecor; ut mihi miserrimo innumerabilium veniam concedas peccatorum, quibus iram tuæ potentiæ provocavi; quatenus te miserante in hac vita secundum tuam voluntatem purgatus ad beatitudinis æternæ participationem pertingam. Cunctis etiam in corpore sive extra corpus fidelibus qui mihi spirituali rel carnali conjunctione cohærent, et qui se mihi confitendo vel rogando commendaverunt; necnon et quorum pecunias et eleemosynas suscepi; vel qui per meam malitiam seu negligentiam corrupti sunt; manum misericordiæ tuæ porrigas; et, per ineffabilem largitatem tuam, optatam eis indulgentiam peccatorum concedas et ad requiem beatorum eos perducas. Amen.